Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVI
B
6
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA
EUROPÆ
NOVISSIMA,
POLITICO-
CURIOSA.

Digitized by Google

PROTHEUS HISTORICUS:

SIVE

HISTORIÆ UNIVERSALIS

SACRÆ ET PROFANÆ,

Rerum tam bello quàm pace, terrâ maríque per Orbem, præcipuè Europam, Imperium Romanum, Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, Italiam, Hungariam, Angliam, Poloniam, Sueciam, Daniam, Moſcoviam, Belgium, Sabaudiam, Tranſylvaniam, Turciam &c.

Ab Anno 1660. à ſancita ad Pyrenæos pace ad hæc uſque tempora 1719. Pacis Raſtadii & Badæ pacta, & ultra geſtarum,

DECADES SEX,

Ex probatiſſimis Authoribus, Actis publicis & Comitialibus, intermixtis hinc inde antiquis hiſtoriis, & eruditioni accommodatis variorum Authorum ſententiis, ſincerâ fide & relatione, nec minore ſtudio & diligentiâ accuratè ac nervosè, ſtylo hyſtorico, lectu & ſcitu dignæ, ac curioſæ;

Per varias Regionum, Urbium, præliorum, obſidionum, aliorumque Tractatuum & fœderum deſcriptiones cum ſuis circumſtantiis compoſitæ & collectæ, Jurisque publici ſtudioſis apprimè utiles ac neceſſariæ: ac ſingula quaq; ſuis Diei, Menſi, & Anno, quantum fieri potuit attributa.

Per JOANNEM JACOBUM KETTELER S.G.V.

PARS PRIMA

Ab Anno 1660. uſque 1680. &c.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus SEBASTIANI KETTELER prope S.Paulum, ſub ſigno Galli. MDCCXXIII.

NAPOLI

54

Digitized by Google

*)(o)(*

Lectori Benevolo.

PRotheum hiſtoricum, Benevole Lector, tibi ſiſto, diverſam hiſtoriarum faciem, & ſeriem præferentem, nunc quæ per Imperium Romanum & Germaniam, nunc quæ per Italiam, Galliam, Hiſpaniam, & Angliam; nunc quæ per Hungariam, Poloniam, Sueciam, Turciam, &c. ſunt geſta, tot regnorum, & familiarum revolutionibus, tot Regum ac Principum caſibus, tot rerum omnium cataſtrophis famoſiſſima; quæq; ipſemet ego annum ætatis octuageſimum nunc ingresſus vidi, & ex aliorum ſcriptis vera & confirmata collegi; quia antiquitus nemo ſcribebat hiſtoriam (hyſteron, id eſt videre, vel cognoſcere) niſi qui vidiſſet,

Ex

Ex probatiſſimis dein Auctoribus, ut dixi, fide dignis excerpſi: *Londorpii Actis, Prietii Annalibus, Valkienerii* verwirtes Europen/ *Puffendorffio*, Ottomaniſchen Pforten/ *Nani hiſtoria Veneta*, *Paſſarelli bello Luſitanico*, *Diario Europæo*, Monatlichem Stat-Spiegel/ *Vita Leopoldi, Ludovici, Eugenii, Comazio, Ludolffs* Schawbühn/ & pluribus aliis gallicis & italicis publicis & confirmatis Relationibus & Tractatibus, ex iisque quæ digna memoratu videbantur, in aliquod compendium, ſervato temporis ordine & die ita digreſſi, ut ab uno ad alterum numerum hiſtoriæ continuationem remiſerim: in copioſa enim librorum officina ſemper educatus, multifariâ & continuâ lectione occupatus, hanc ſcriptionem amicorum hortatu & impulſu non properatam, aut ſeſqui die elucubratam in lucem emiſi, ſed ut præceptum eſt Horatii *de arte*, *in fine*, ultra novennium premen-

mendum, quod luci, & publicè velis committere, ſervavi, & ex præſtantiſſimis hinc inde Auctoribus, huic ſcriptioni conducibilium ſententiarum, & antiquarum hiſtoriarum auctuarium adjeci. Scio, & prævideo hanc meam ſcriptionem non omnibus placituram; quis quæſo Scriptorum unquam omnibus fecit ſatis? ubi Ariſtoteles notatur obſcuritatis, Virgilius tanquam Homerici laboris compilator habuit Zoilum, Peronem; Homerum aliquando dormitaſſe prodit Horatius, Demoſthenes Ciceroni non in omnibus placuit, Cicero damnatur frigiditatis in ſalibus, & copiæ puerilis &c. Memineris illud Poëtæ: ut *nemo hominum vitiis ſine naſcitur*; ita nec ullus liber, qui ab eorum labore proficiſcitur. Si erratum quid, aut præteritum fuerit, tuæ, ut ſpero, erit prudentiæ, ut moneas, humanitatis, ut ignoſcas: ego quippe non ſolùm benevolum mei ſcripti deſi-

dero

dero Lectorem, ſed etiam liberum correctorem; veruntamen ſicut Lectorem meum nolo eſſe mihi deditum, ita correctorem nolo ſibi. Obtrectationes & calumnias malevolorum nihil miror. Vale. Coloniæ Calend. Januarii 1723.

DECADIS
PRIMÆ
Annus 1660.

1. SApientiſſimus Thomas Morus, Angliæ Cancellarius, & clariſſimum lumen, juſtitiæ & veritatis defenſor conſtantiſſimus, morum inſtitutorumque norma juſtiſſima emphaticè ſcripſit & dixit:

Regibus è multis regnum cui ſufficit unum?
Vix Rex unus erit, ſi tamen unus erit.

Quot & quàm cruentis hucuſque bellis, & humani ſanguinis effuſionibus regni ſui dilatandi ambitione duo Reges Galliæ & Hiſpaniæ ſe invicem prioribus annis contriverunt? Anno 1657. Hiſpani (ut plura prætercam) fanum Gislenii & Condetum in Hannonia capiunt; Turenius viciſſim gallicus Mareſchallus Cameracum invaſurus, à Duce Condæo (Hiſpanica tunc arma ſecuto) profligatus rejicitur; ipſe Rex Ludovicus XIV. in ducatu Limburgenſi Montmedium occupat, dum interim Hiſpani Caletum fruſtraneè tentant; Turenius autem fanum S. Venantii in Arteſiæ comitatu trium dierum infeſtatione, deinde Bourbourgum, Mardickum, & plura alia intercipit. Sic alternatim nunc Gallus, nunc Hiſpanus victor, nunc victus ingenti Gallo-Hiſpanica bella.

utrimque æmulatione arma promovebant. Hiſpanus initâ cum Batavis exercitæ utrimque hactenus ſimultatis compoſitione, dum Gallia civili internè arderet bello, plura prius à Gallis rapta non ſolùm recuperat, ſed & Galliæ limites invadit: at Ludovicus majorennitatem adeptus, & regiminis ſui ſuſceptione potens majori, ſed iniquiori proſecutus bellum fervore, martem Anno 1658. multò ſibi habuit faventiorem & feliciorem; utpote Cardinalis Mazarini inſtitutione junior Rex ad caſtrorum exercitationes & ſpectacula, quibus à teneris annis inter amicos blandientis fortunæ favores innutritus, ab armis deinceps temperare vix potuit, ut huic uni ad pugnas & expugnationes formatæ indoli debeatur, quòd Europa hactenus quieſcere nequiverit.

Alexander VII. pacem fruſtra adurget.

2. Tandem bono inſpirante numine, illabenteque in belligerantium animos pacis deſiderio, Alexander PP. VII. Fabius Chiſius antea vocatus, nuper Anno 1655. ad ſupremum aſſumptus pontificatum, cùm per plures annos intus & extra aulam pontificiam tractationes fuiſſet exercitatus, omnibus quibus potuit modis ad pacem & concordiam ambos Reges reducere conatus, fruſtra laboravit: Electorale Principum etiam collegium duos pacis mediatores Moguntinum & Colonienſem deſignavit, qui miſſis ad Ludovicum Comitibus Plumeno & Furſtenbergo Electorum mediationem offerunt Regi non ingratam, nihilque laboris & diligentiæ omittunt, ut concordiæ opus univerſæ Europæ adeo neceſſariæ perficerent; ſed & ipſi la-

va-

vabant æthiopem; nam tales utrimque afferebantur propoſitiones ſibi oppoſitas duras,& difficiles, ut Hiſpanus Legatus Pigneranda pacis conſilia (quam Hiſpani tamen unicè jam pridem urgebant) omninò fruſtranea prævidens ſine ſcrupulo diſſolveret, infeſtis armis, non amicis tractatibus extorquendam. Quare Ludovicus Rex Anni 1658. initio cum Turenio in campum procedens Dunquerckam obſidione terrâ, & mari claſſe 6000. claſſiariorum cingunt Angli (nam Gallis Angli, Luſitani & Sueci confœderati, communibus conſiliis bella gerebant, Angli in Belgio initâ jam diu 1646. à Mazarino cum Cromvellio armorum ſocietate, Luſitani in Hiſpania, & Sueci in Germania, quo Cæſar Polonis amicus, res iſtorum fovere pergens, in ſuas & Imperii Rom. ditiones illos revocarat,) quam cives & præſidiarii pyrobolis tunc primùm inventis & probatis, perterrefacti deditione Regi tradunt, & hic Anglis urbem jure conventionis impoſito anglico præſidio committit. Interea obſidionis tempore illam Joannes Auſtriacus & Condæus Hiſpano exercitu ſoluturi prope Abbatiam Dunes cruentum invicem prælium conſerentes, Hiſpani internecivè cæduntur, victoria Anglorum potius quam Gallorum adſcripta fortitudini, uti hi ſemper, aut ſaltem communiter ſine aliarum nationum auxilio vix quicquam glorioſi in bello perficiunt. Deinde Turenius Montes Hannoniæ cingit, capitq; dumque Rex ad caſtra venit, præſidiariis furiosè excurrentibus, in magno verſatur periculo, & Caletum unde venerat rediens, ex incuſſo periculi

Dunquerca, qua à Ludovico Rege cingitur.

Capitur.

Hiſpani cæduntur.

Turenius Montes Hanoniæ & plures urbes capit.

culi terrore perculſus graviter infirmatur, & vitâ periclitatur, tota Gallia deſperata pro Regis incolumitate votis, orationibus & proceſſionibus ſupplicat, & medicus in re deſperata, ultimum & deſperatum probaturus remedium, Vinum emeticum Regi porrigit, quo ſumpto ſecutus vomitus Regem ſanavit, non ſine ſingulari Dei providentia, Europam per hunc Regem caſtigantis, & Galliam, ut vidimus, flagellantis. Mox capta Gravelinga inter Caletum & Dunquerckam, Audenarda, Menina, Ipra, Comines abſque gravi difficultate, Hiſpanis in hac expeditione vix ob paſſam ſtragem reſiſtentibus.

Ludovicus R. ægrotat.

3. Rex confirmatâ valetudine Lugdunum properat tum ad opprimendam ſub cinere ſeditionem civium, ob nimios belli ſumptus & tributa querulantium, tum deſiderio Sabaudiæ filiam principem videndi, cujus formoſitatis typus ei non diſplicebat, ideoque etiam cum matre Lugdunum veniens, magno quidem excepta honore, ſed non tali amore, quali in Hiſpania Infantem ardebat, ut aula Hiſpanica eò promptius in propoſitas pacis propoſitiones, & Infantis cum Rege deſponſationem facilius condeſcenderet; quam animorum concordiam unicè etiam deſiderabat Regis mater & Regina Anna Maria Mauritia Auſtriaca, Hiſpaniæ Princeps, & omni adeo ſtudio promovebat, ut inito armiſtitio Legati Gallicus Leonneus, & Hiſpanus Pimentelius graviſſimi hujus negotii jacerent fundamentum, in deſponſatione Regis cum Infante unicè fundatum; quod tamen omnibus Hiſpani viribus, ob futuram ſucceſſionem permit-

Ludovicus XIV. Hiſp. Infantem & pacem ambit.

mittere recuſabant: nam lege pragmaticâ, & communi Nationis-conſulto ante biennium Madriti per omnes Regni Hiſpanici Ordines ſancitum, ne ullâ unquam aut transactione, aut ſucceſſione in catholicam Monarchiam jura ad Gallos eſſent devolvenda, ne duorum in Europa maximorum ſtatuum vires in unum coaleſcentes, ceterorum omnium libertati graves incumberent. Econtra Mazarinus Hiſpanicam hanc ſucceſſionem maxime intendens, Regi perſuaſit, ne in pacem ſine hac deſponſatione unquam conſentiret; viſuſque hic Cardinalis, ut plures aſſerunt, ineptis & pravis ſuis policiſmis gallicam voluiſſe Monarchiam non in vivis ſolùm, ſed etiam mortuus in extremum præcipitare exitium; in vivis namque gallicam gentem ſpolians libertate, ſuppreſſit ſervitute: poſt mortem Hiſpanicam ambiens Monarchiam Regem ſuſtulit in altum, ut lapſu graviore rueret, & regnum peſſumdaret. Mazarini policiſmus noxius.

Non benè pro toto libertas venditur auro.
Hoc cæleſte bonum præterit orbis opes.
ait Ovidius.

Maximilianus I. Imperator dicere ſolebat, Hiſpanum eſſe Regem hominum uti Regem Galliæ aſinorum, quòd ſcilicet hic rigore, abſolutâ poteſtate, & ſervitute, ille manſuetudine regeret ſubditos; ſe verò regem eſſe regum, ut qui multos quidem magnates ſubditos haberet; ſed qui non niſi pro libitu mandata ſua capeſſerent.

4. Compoſitis interea Pariſiis inter Mazarinum, & Leonneum Gallum & Pementelium Hiſpa- Pacis Pirenææ Fabricatores.

Hiſpanum centum quinquaginta pacis articulis, Mazarinus Ludovici Galliæ, & Ludovicus d'Haro Philippi Hiſpaniæ Regum nomine in Phaſianorum Inſula, fluminis Vidaſſonis, regni utriuſque limitis (in qua olim Franciſcus I. Valeſius Carolum V. ad ſingulare provocaverat duellum) tanquam primarii utriuſque Monarchiæ Miniſtri conveniunt, eoſdem pacis articulos ſolidè examinaturi, & diſcuſſuri: ubi totus fermè tractatus ob Principis Condei reſtitutionē abruptus & divulſus fuiſſet; Philippus namq; volebat abſolute vi horum tractatuū Condeum totum in integrum Regis gratiæ, dignitatis & bonorum reſtitui, ut Philippus eidem appromiſerat, quod denegabat Ludovicus, ſuæ illud reſervans gratiæ, petiitque à Pontifice, quatenus ille Philippum ab hoc puncto abduceret; ſed fruſtra Alexander laboravit: nam Rex debet habere unum calamum & unam linguam, & debet eſſe immobilis ſicut lapis angularis, & ſicut polus in cælo; ita ut in eum quadret, quod ſcripſi, ſcripſi: ait *Bald. conſ. 466. incipit. Rex Romanor. col. 5. vol. 1.* Ludovicus autem ideo recuſabat, ne alii Principes hujus exemplo à ſuo Rege deficientes, aliena & hoſtilia impunè caſtra ſequerentur, ideoque etiam Condæi nomen ignominiosè patibulo publicè affixum fuit Anno 1654. 10. Septemb. Uti paulò ante etiam ab aula gallica offenſus Mareſchallus Hoquincourtius Hiſpanica induerat arma. Sed quidquid conteſtaretur Mazarinus, debuit Condæum Ludovicus totum in integrum reſtituere, & pacis inſerere tractatibus. Tum in ſeptima conferen-

Condæi reſtitutio.

tia

tia mittitur Madritum procus Dux Grammontius à Philippo parente filiamMariam Thereſiam primogenitam nomine Ludovici XIV. procaturus, à quo magnificentiſſimè exceptus, brevi etiam plenum deſponſationis à Philippo conſenſum obtinens, Regiis donis honoratus, Pariſios remittitur, Legatique Mazarinus & Haroſius pacis tabulas concludunt, ſubſcribunt, & Ambroſiano hymno 29. Novembris die confirmant; conſuetis tamen ceremoniis ejuſdem proclamatio dilata eſt in annum ſequentem. Pacis autem & deſponſationis contractus à Ludovico ratificati & ſubſignati Madritum ſunt remiſſi: quibus ſupra modum lætatus Ludovicus ſupremum univerſalis Monarchiæ gradum jam tunc quærens in miſerum turpiter poſtmodum dejectus eſt præcipitium; ejuſdem tamen matrimonii intuitu Gallis penè omnia ab iis bello occupata, & aliquot etiam alia in Belgio loca ceſſerunt, præterquam Ipræ, Dixmuda, Audenarda, Furnes, & Montes Hannoniæ Hiſpanis reſtitutæ: Carlo-Regium Monarchiæ Hiſpanicæ tanquam proprium in perpetuum ceſſum: Condæus tam in bonis temporalibus quam officiis & dignitatibus plenè reſtitutus, Rocrojum tamen & Catelerum, quorum dominium ipſi Hiſpanus donaverat, debuit Ludovico extradere. Denique Dux Lotharingiæ aliquot annis Bruxellis captivus libertati etiam eſt redditus, &c. Hos pacis & matrimonii contractus 12. Februarii 1660. Cancellarius Parlamento prælegit & inſcripſit, ſequentique die pax publicata ſummo populi gaudio hymnum Ambroſianum in templo B.

Pax & deſponſatio Ludovici.

Conditiones.

Lotharingus reſtitutus.

Virginis decantantis, & ſperantis pacem omnino firmam & diuturnam, cujus Hiſpanica Infans Maria Thereſia eſſet pignus ſanctiſſimum. Quod intimè ſperabat & ſummopere gaudebat Papa Alexander VII. cum tota Roma, Venetiis & Italia univerſa.

5. Ludovicus hiſce abſolutis ad tractatus & deſponſationis anhelans complementum, ſimulque ſuas viſitaturus Provincias, abiit in Languedociam & Provinciam (ubi Condæus Regem reverenter ſalutans, frigidè ab eo eſt exceptus: poſtmodùm tamen in primam neceſſitudinem admiſſus) Maſſiliam ingreſſus, ſuâ ſub cinere gliſcentem ſeditionem præſentiâ extinxit; conſtans enim animi Ludovicus nullum in Regno ſuo pati voluit, qui privilegia abſolutæ Monarchiæ opponeret, ex Richelii & Mazarini ſenſu (qui nullo alio ſecuriori modo gentem verſatilis ingenii ad ſummam evectum iri gloriam & potentiam ſuaſerant, quàm ſi deſpotico Imperio ſe regi pateretur) immiſſis in Maſſiliam copiis, quibus plebs non auſa eſt reſiſtere, Magiſtratum inſignibus, & urbem bellicis munimentis ſpoliavit, deſignato extruendæ arci ſpatio, quæ cives omni tempore regiis obſequentes mandatis tueretur. Tum pergit Avenionem, Arauſium, Perpignanum, & fanum S. Joannis de Luz, proximum Phaſianorum inſulæ, quo etiam Rex Hiſpaniæ Philippus cum filia Maria Thereſia pervenit, & factâ ibidem 6. Junii amicâ amborum Regum conferentiâ, die altera 7. Junii 1660. ſuper prædictos pacis articulos, & infantis matrimonium Rex uterque, & imprimis Ludovicus Rex non ſolùm

Maſſilia tumultuatur.

ſolùm expreſſis promiſſis ſe nullâ omninò ope Luſitanos adjuturum juravit; ſed expreſſiſſimâ ſimul renuntiatione & juramento juribus omnibus cum uxore Infante Mariâ Thereſia valedixit, quæ unquam ex tali conjugio ſibi, aut naſcituris liberis, quocunque modo advenire poſſent, acceptavitque prædictam pragmaticam Hiſpanorum legem, & Nationis-conſultum: quo iterato juramento Philippus filiam ſuam Infantem Ludovico non ſine lacrimis in ſponſam extradidit, 9. Junii in fano S. Joannis de Luz per Epiſcopum Bayonnenſem copulatam; tali ſplendore & magnificentiâ, quali vix alius ſimilis inveniri poterat, ſicque pax regio ſanguine ſolemniſſimè inter duos potentiſſimos Reges eſt confirmata, quemadmodùm olim, ut inquit *Tacitus lib. 12. Annal.* Mos erat Regibus, quoties in ſocietatem coibant, implicare dexteras, pollicesque inter ſe vincire, & nodo præſtingere, mox ubi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, levi ictu cruorem elicere, atque invicem lambere: id fœdus arcanum habebatur, quaſi mutuo cruore ſacratum. Poſt copulationem Mazarinus argenteam aureamque in vulgus monetam emiſit, cujus unum latus Regis & Reginæ effigiem gerebat, alterum Urbis Luz cum aureo ſupra imbre *Non lætior alter* inſignitum. Altero poſt S. Ludovici die Rex hiſpanico equo tolutim incedente, & Regina umbellato eſſedo triumphali quaſi curru auro gemmisque ſplendente, Pariſios per aliquot triumphales arcus doctis quibusdam ſymbolicis picturis exornatos ingreſſus, in pretioſiſſimo throno

Ludovici & Philippi juramentum in inſula Phaſiana

Ludovici R. copulatio.

Antiquorum fœdera.

Pariſios ingreditur triumphaliter.

confidens congratulationes & fidei juramentum recepit ab urbis primatibus, à clero tam ſeculari quàm regulari, & à quatuor facultatum univerſitate, totâ plaudente & tripudiante regno & civitate. Sunt qui aſſerunt, ne Ludovicum fide non integrâ juraſſe ſuſpicio ſit, facto deinde eventu promiſſis contrario, dandum eſſe alienis conſiliis, quòd ejus fides fuerit in diverſa traducta, dum ſe non ita juramentis obligari putavit, quo minus remiſſam hæreditatem datâ opportunitate prenſaret. Sed quâcunque arte verborum quis juret, Deus tamen ita accipit, ſicut ille, cui juratur; hinc pejerans artificiosè fit dupliciter reus; quia videlicet Dei nomen in vanum aſſumit, & proximum dolo capit, ait *Can. Quacunque* 9. *& ſeq.* 22. *q.* 5. Ideoque jurisjurandi contempta religio ſatis Deum ultorem habet ait *L.* 2*da. C. de reb. Cred. & jurejur.*

Mors Gaſtonis Ducis Aurelian.

6. Secundâ Februarii Bleſis diem ſupremum obiit Joannes Baptiſta Gaſto, Ludovici XIII. Galliarum Regis frater, natus 25. Aprilis 1608. pacatis dudum ſolemni pietatis profeſſione animis, quibus olim in Richelei Cardinalis auctoritatem inſiluerat. Princeps Regii ſanguinis prærogativâ ad ſuprema quæque munia vocatus, eisque animo non impar: aſt novis Richelei conſiliis decretâ ſententiâ revellendæ, & in unum Regem contrahendæ auctoritatis, quæ priſci temporis uſu viris principibus ad menſuram permiſſa fuerat, repugnantem apud exteros exulare primum, reducemque in Gallias longè ab aula ſecretum, omnisque adminiſtrationis expertem coëgit otiari. Halcyones videre ra-

Eccleſiaſtici aulis abeſſe deberēt. Halcyones.

rariſſimum eſt, ſed quoties apparent, tranquillitatem vel faciunt, vel denuntiant: Eccleſiaſtici raro deberent prodire in principum aulas, niſi ad componendos motus & tempeſtates civiles. Similiter reconciliandis Polonis & Suecis præluſit Caroli Guſtavi Suecorum Regis mors, quæ illum priſtinas reparare clades molientem 23. Februarii intercepit. Hic Polonis primùm, deinde Danis ſorte non ſemper uſus felici, cùm innumera intuliſſet damna, tandem ad Haffniam Daniæ metropolim à ſe obſidione cinctam ſemel victus, animi potius quàm corporis ægritudine contabuit: ingraveſcente enim prælio, quod ultimum 13. Februarii commiſit, Danis (quibus Batavi claſſe ſuppetias attulerant) cùm Sueci ceſſiſſent, ſalutemque ſuam Rex ipſe fugâ quæritare coactus, in paludem prolapſus eſſet, vix à ſuis è cœno extractus dilabitur, quin in hoſtium manus deveniret. Quo adverſæ ſortis ictu plus æquo attritus, ſeque animi mœrore diſcrucians, continuò ad extrema vitæ perductus eſt Bahuſii in Norwegia, quo ſe comitiorum cauſa contulerat, cum annum ætatis vix attigiſſet trigeſimum ſeptimum; ob inſatiatum bellicæ laudis amorem, & implacabilem hoſtium inſectationem minùs laudari meritus, quàm ſi victoriis modum, ſaltem fortunæ novercari ſolitæ metu potuiſſet. Nulli præſtat velox fortuna fidem, ait *Horatius*: Longi pœnas fortuna favoris exigit à miſero. *Lucanus lib.* 8. *Pharſal.* Sors incerta vagatur Fertque refertque vices, & habent mortalia caſum. *Idem* 2. *Pharſal.* Rerum Suecarum ſumma hac morte ad imbellem filium Ca-

Et Caroli Guſtavi Regis Sueciæ.

Pax Polono Suecica.

Carolum XI. devoluta, brevi pax inter Polonos & Suecos coaluit, ſancita Olivæ prope Gedanum 26. Aprilis, nullo alio tot victoriarum Suecis reſiduo fructu, quàm ærumnoſi belli invidiâ & damnis: Polonis enim omnia ſunt reſtituta, quæ Carolus Guſtavus diſtraxerat, annitente præſertim conſiliis & copiis Cæſare Leopoldo, qui alienam ab amore Caſimiri Regis gentem ad priſtinum reduxerat obſequium. Grandi autem victoriâ Poloni de Moſchis ad Vilnam 29. Maji triumphant. Iſti nedum Coſachis rebellibus favere deſiſtentes, aliâ majori, & propè internecivâ duorum dierum clade potius quàm pugnâ denuò ab ipſis atteruntur 26. Septembris. Hâc poſteriori vindictâ Coſachi ad priſtinum reducti ſunt ſervitium, amandatique à Polonorum ditionibus Moſchi, poſt redemptam ab ipſis turpibus pactis vitam & pacem, in reditu nova à diripientibus Tartaris damna paſſuri.

Cæſi à Polonis Moſchi & Coſachi.

7. Direptâ jam diuturno conflictu inter rivales toparchas Transſilvaniâ Georgius Ragotzius æmulum Achatium Barclæum primæ nobilitatis Tranſilvanum loco Ragotzii certis conditionibus ducatui à Turcis præfectum Hermenſtadii obſidet, unâque ineunte majo bis mille Turcas Barclæi præſidiarios capit: aſt paulò poſt Vezirius Budenſis Ragotzium aggreſſus, cæſis eorum octo millibus, Ducem cum ſuis ſaucium in fugam compulit, qui licet numero Turcis multùm inferior, horum tamen quatuor millia proſtravit, proximè, ubi Moldavorum Walachorumque ſubſidio confirmatus, cladem uberiùs ulturus; ſed animo vires defuerunt: nam Turcæ

Tranſilvania Ragotzio, Barclæo & Kemeni Janos cedit.

Turcæ omnia circumquaque cædendo, rapiendo, inflammando, capiendo, depopulabantur, jamque trajecto Tibiſco Tocajum uſque pervenerant: tum Ragotzius Walachorum Moldavorumque copiis aliquot auctus obviam progreſſus, eos ultra Tibiſcum rejicit, navali ponte, eique junctâ munitiunculâ deſtructis; ſed vigeſima ſecunda Maji prope Claudiopolim infeliciter à Turcis ad internecionem deletus, amiſſis centum & decem ſignis equeſtribus ipſe, quanquam fortiter in quinto equo dimicans ſeptemdecim Turcas peremerit, lethaliter in latere & capite ſauciatus, & in fuga bis virium deliquio lapſus, ſpiritum emiſit Varadini, anno ſequenti in Turcarum poteſtatem redacti: in cujus locum in principatu Tranſylvaniæ Barclæus à Turcis ſubſtituitur, indecoro tamen & gravi tributo cliens; Huic ſe oppoſuit Kemenius, vulgò Kemeni Janos, primus Ragotzianæ militiæ præfectus, collectum raptim militem in Barclæum, ejuſque fautores Turcas (quorum ope principatum hic invaſerat) educit, eóque rem ſuam perducit, ut conciliatis ſibi aliquot Tranſilvaniæ ſtatibus comitia in Decembrem Regnum indiceret, ubi rejecto Ordinum votis Barclæo, omnes trium nationum, Ungarorum, Saxonum, & Siculorum Ordines Kemeni Janum in Ducem concorditer elegerunt, & uterque Turcarum & Tartarorum Imperator confirmavit, poſtquam illi Kemenus 500000. imperiales obtuliſſet, & ex Tartarorum ſe nuper captivitate 6000. Impp. redemerat. Ragotzii mors.

8. Chriſtina Suecorum Regina ab Hiſpanico Chriſtinæ Regi-

næ in Sueciam iter. co Miniſtro Pementelo perſuaſa, ut alias Europæ Provincias viſitando perluſtraret; in una namque Belgii civitate plus deliciarum & jucunditatis, quam in toto algido Sueciæ Regno capi poſſe: illa translatâ regni coronâ in Carolum Guſtavum nepotem ſuum, relictoque Lutheraniſmo Romano-Catholicam amplexa religionem, Germaniam, Belgium & Galliam perluſtravit, Pariſios tanquam Amazonis eques ingreſſa, ingenti ſplendore & magnificentiâ excepta eſt, & quia literis erudita, à multis literatis viris & doctoribus eſt ſalutata, atque à Rege omnibus affecta deliciis & honoribus, Romæ demum ſedem ſuæ fixit habitationis. Inde hoc anno 18. Auguſti navigavit in Sueciam, ob minus exactam reſervatæ ſibi penſionis ſolutionem queſtura, & præſens res ſuas efficacius procuratura, quàm per epiſtolas fecerat. A Suecis nuntium profeſſæ Catholicorum religioni remittere ſuaſa, ut priſtinæ ſortis omnia repararet commoda, generosè abnuit, unumque itineris ſui finem aſſeruit, ut violatam pactorum fidem ſuâ præſentiâ regii ærarii adminiſtros reintegrare cogeret.

9. Octobris 8. in Regiam Londinenſem poſtliminiò inter frequentes Anglorum plauſus recipitur Carolus II. Rex Britanniæ, cujus parentem Carolum I. vigeſimo ſexto regiminis Anno 1649. 30. Januarii inaudita tyrannide contra omnem legem Angli capite diminuerant, & Cromwellus parlamenti caput intruſus ſub protectoris nomine Angliam, Scotiam & Hiberniam regiâ poteſtate gubernavit (regis ſemper

Carol. II. Angliæ Rex regno reſtituitur

per titulum fugiens) omneſque Europæ principes & ſtatus, ut ſe legitimum Britanniæ poſſeſſorem agnoſcerent, adegit, reipſa proditor, fur & latro. Hoc anno 1658. defuncto, cùm duo ejus filii regiminis incapaces, & Angli tyrannidis tœdioſi, factorumque pœnitentes, Carolum II. filium in parentis thronum revocantes receperunt, procurante indefeſsè copiarum duce Munkio, qui populares primùm animos, deinde proceres parlamenti, & milites (illis exauctoratis qui diverſa ſentiebant) ad factorum pœnitentiam ſedulò, fideliter & cautè adduxerat, & protectoratum extinxerat, cujus ipſum affectantem plures malè primùm inſimulaverant, cùm tamen unicam ſolùm Regis iniquè dejecti quæreret reſtitutionem; nam oppreſſo protectoratu, revixit ſenſim ſubditorum in Regem amor, & deſiderii affectio. Revulſa primò omnia opprobii monimenta, quæ Cromwellus in Regiam Caroli I. tum dignitatem, tum perſonam erigi & poni curaverat, diris omnibus ipſo devoto, & exhumato, velut humanæ pietatis indigno: reſtitutæ regis imagines, & exhibitæ omnes quæ potuerunt exprimi honoris & fidei ſignificationes: mirabili gentis inconſtantis genio, quæ modò cervicosâ rebellione, modò extemporaneo ſtudio omnia movet, ut odium vel devotionem conteſtetur. De hoc Anglorum flagitii portento hæc fatur *Gratianus Lucius Hibernus in ſuo Cambrenſi everſo pagina mihi* 265. Scelus illud Anglorum, quo Regi ſuo caput amputarunt, quo nomine appellem neſcio, Parricidium nominabo, quòd Reges & Magiſtratus pa-

Cromwelli & Anglorum impietas.

patriæ parentes nuncupantur ? Sed hæc vox ad privatos homines, cæde ſe paternâ inquinantes aſtringi ſolita, non ſatis laxa eſt ad tam tetri facinoris atrocitatem exprimendam. An rebellionem, aut perduellionem dicam ? Sed cogitationes ad afficiendum Regem ſuſceptæ, aut levior contumelia eidem illata, ſive arrogantior Regis compellatio his vocabulis denotantur, etſi hujus flagitii gravitatem non exæquent. An furorem & inſaniam nuncupabo ? leve illud eſt. An belluinam ſub larva vultus humani immanitatem? Ne iſtud quidem ſufficit. An florentiſſimæ Britanniæ fœdiſſimam maculam, imò exitium, flammam, atque perniciem ? Quàm poſſum atrocia ac deteſtanda nomina mente efformavero, vincit omnia ſceleris horrendi atrocitas, ac ne cogitatione quidem capi, nedum oratione ſatis exprimi, explicarique poteſt. E Regibus alii à ſubornatis prævaricatoribus confoſſi, alii veneno ſublati, alii per inſidias in lecto ſuffocati ſunt. At nemo per omnes omnium gentium hiſtorias, quantumvis lectione verſatus, ex iis eruere potuit, Regem adhuc ullum ſuprema regni poteſtate viginti ſex annos jam functum, & ſuſpenſas regendi rationes à populo non habentem, à plebeio ſuæ gentis ordine quæſtionibus in judicio ita reum capitis per nefas pronunciatum, & carnificis manu (non quidem ordinarii carnificis, à tanta impietate abhorrentis, ut hiſtoria Anglicana proditum eſt, ſed carnificis ſub larva latentis ; ſuſpicantur plures impium fuiſſe Cronvellum, totius iniquitatis compendium) orbe terrarum obſtupeſcente necatum. Quàm atrociter in hujuſce ſceleris Authores

Cicero

Cicero inveheretur, qui Verrem accuſans: *Facinus eſt*, inquit, *vincire civem Romanum, ſcelus verberare, parricidium necare, verbo ſatis digno tam nefaria res appellari non poteſt.* Vocem igitur aliquam novam à Cicerone excogitari oportebat ſceleris hujus atrocitati ſatis indicandæ accommodatam, in quo peragendo divina, humanaque jura conculcata ſunt, non tanta patientis acerbitate, quanta condemnantium turpitudine, qui facinus ediderunt tam ſuperioribus inuſitatum ſæculis, quam futuris execrandum & abominabile. Cui edicendo ſicut proprium nomen, ſic plectendo idonea pœna inveniri non poteſt. Paulò tamen poſt ut Carolus omnem tolleret inquietudinem, & ſimultates, generalem omnium in ſe & ſuam perſonam, præjudiciumque commiſſorum amneſtiam parlamento ſubmiſit, exceptis præcipuis in Carolum I. parentem conſpirationis auctoribus, quos parlamentum etiam Regiæ Majeſtatis reos condemnavit, & punivit. Nihilo ſecius ante revolutum vix anni finem Overtonus & aliquot alii, qui Cromwello meruerant, novâ ſeceſſione in Regem reſtitutum conſpirant, ſoli fortuiti casûs ope detecti & præventi, quominus ad primam anarchiam omnia revolverent. 20. Octobris in eadem Anglorum Regia obit Henricus Claudio-Ceſtrienſis Dux, Caroli Regis frater, inter prima blandientis ætatis, & reconciliatæ fortunæ lenocinia; inopinâ morte docens, nullam hominum ſortem, nullam generis vel auctoritatis prærogativam mortales letho ſubducere. Et in una Cycladum inſula Paro, fervente eodem

Londini iterata conjuratio.

Mors Ducis Glocestrienſis.

ætatis robore deceſſit ſub anni finem Almericus Eſtenſis Princeps, copiarum Dux, quæ auxiliares Venetis merebant, Cretam contra Turcas tutantibus. Intempeſtativa mors aliquâ viſa eſt laborare propinati veneni ſuſpicione, propter exortas illum inter, & exſcenſionis, ut vocant, Generalem præfectum ſimultates, & jactatas à principe delationis ad Senatum de re non benè geſta minas. Almerico de republica uſquequaque benè merito in ducali S. Marci Baſilica Venetiis ſolemni pompâ parentatum eſt, elegansq; cenotaphium cum honorifica operæ præſtitæ commendatione in D. Franciſci templo publicis ſumptibus inſtitutum.

Et Eſtenſis.

Terræ motus hoc anno in Gallia & alibi magnus, & Veſuvius mons flammas, cineres & lapides copioſos horribiliter eructavit; & incendium pariter vaſtum Conſtantinopolim devaſtavit. Romæ Franciſcus Joſephus Borri Mediolanenſis novæ hæreſeos damnatur, ejuſque ſectarii delati, & occultis Sacris operari convicti, ſectam abjurare Romæ coguntur, Sectæ anteſignano fugâ dilapſo, qui ſtolidæ plebis homines dementaverat; hic tranſactis primùm inter licentioris vitæ lenocinia annis aliquot ad meliorem vitam & frugem ſe converſum hypocriticæ pietatis oſtentatione ſimulans, de divinis multa apud imperitos comminiſci, & clam muſſitare cæpit; & Romæ, & Mediolani, quo ſe detectus contulit, & præcipuè Spiritum S. in Maria incarnatum fuiſſe, & brevi complendum (contractis in ovile unum electis omnibus) Altiſſimi Regnum, cujus ipſe bellicus promotor futurus

Borri hæreſis damnata.

eſſet

eſſet, Sectatores ſuos vocabat *Rationaliſtas*, ſeu *Rationales evangelicos*, illiſque ſe gratiam impertiri manuum ſuarum impoſitione jactitabat. Aſt captis aliquot ex iſtis, fuga ipſe ſalutem quærens, Mediolano Oenipontum, hinc Argentoratum, Amſtelodamum, & Hamburgum, ſui ubique incertus irrepſit. Demum Hafniæ chimicum agens Friderico III. Regi innotuit, qui etiam quamdiu vixit, falſi ſe ejus vanæ chryſopœiæ oſtentatione & promiſſis eſt paſſus.

Caſtrenſis in Italia principatus & civitas ad pontificiam hoc anno 1660. redit ditionem, quem Paulus III. Farneſius Pontifex Anno 1557. (alii ajunt 1554.) Petro Aloyſio filio naturali cum principatu Parmenſi in feudum eccleſiaſticum donavit; ſed Urbanus VIII. pontificiæ rurſus incorporavit Cameræ, & Innocentius X. urbi à ſe deſtructæ columnam impoſuit cum hac inſcriptione: *Hic fuit Caſtro.* Caſtrenſis principatus.

Annus 1661.

11. Danorum Rex Fridericus III. abſolutâ anno ſexageſimo primo ſupra milleſimum ſexcenteſimum regendi poteſtate à regni ordinibus eſt donatus, hæreditariumque recepit in familia ſua jus regnandi, quod antea electioni erat obnoxium. Id ægrè nobiles tulerunt; ſed horum auctoritas in dominando inferiori plebi, maximè ruſticanæ, in tantum abuſum & odium excreverat, ut eam minui ſummo unius Regis Imperio avidè omnes inferiores ordines admiſerint. Debita aliunde viſa eſt Friderico ipſi hæc in ſublimiorem ſtatum fortunæ converſio, cujus fortitudini, indefeſſiſque laboribus in propulſan- Dania Friderico hæreditaria.

dis Suecis Dania debebat, quod nupero bello iis oppreſsâ libertate non pareret.

Leopol- Græci- um abit.

Leopoldus Cæſar à Mantuano Duce comitatus Græcium, Styriæ metropolim fidelitatis juramentum recipiendi causâ ingreſſus, ſingulari pompâ & affectu cùm eſſet exceptus, Caniſia cœleſti fulmine tacta, tota flammis eſt everſa, omni commeatu, bellico apparatu ignis ſævitie in cineres redactis, & præter Turcas trecentis Chriſtianis captivis miſerè conſumptis: quam nunc eſſe occaſionem opportunam comes Serinius oppidum munitiſſimum hoſtibus facilè extorquendi exiſtimabat; Cæſar autem abſtinendum pro tempore ratus, quod pacis turcicæ nequaquam temerandæ obſtaret violatio. Suecorum præterea non immerito timenda invaſio: bellicum etiam deeſſe nervum, exhauſtam viribus Ungariam, & Transſylvaniam, ſemper hactenus inconſtantem, Turcis tributariam, Cæſari refractariam; ideoque non expedire hoſtem laceſſere ferociſſimum, cujus tantus bellicus fervebat apparatus, ac ſi non tantùm Tranſylvaniam, ob rivalium æmulationem diviſam & diſcordem, ſed Ungariam totam vellent inundare; hinc Ungari & Germani iteratis excurſionibus Turcas carpebant & jumenta, illumque qui Zeckelheidam nuper Turcis prodere volebat, vivum flammis adjudicarunt, modo ibidem conſueto, catenis nimirum denſæ alligatum quercui ſuper prunas per rotam primi verſabant nobiles, tum plebs communis, quem alii aquâ tamdiu refrigerabant, donec exanimatum rogo injicerent.

Caniſa fulmine tacta.

Ungarorum punitio.

Kemen-

Kemenjanus ut periculoſis Turcarum machinationibus peſſulum objiceret, omni ſtudio nititur Cæſarem Rom. in ſuas partes & ſubſidium pertrahere, quod ſubodorantes Turcæ, Kemenum Janum principatu dejicere pertentant, niſi debitum quadriennii tributum perſolveret, & filium ſuum vadem Byzantium transmitteret: utrumque Kemen-Janus denegans, comitia in decimum Kalend. Maji indicit, ubi Barclæi ſeu Barſchzai fratres ex interceptis cum Turcis literis Majeſtatis rei, & patriæ proditionis convicti, patrum comitialium ſententiâ capite ſunt minuti: deinde Ordines Cæſarem Tranſylvaniæ defenſorem eligunt, oblato eidem annuo cenſu, quem aliàs Ottomanno ſolvebant: quo ad Cæſarem delato, hic legiones ſuas ex hæreditariis provinciis in Tranſylvaniam maturare jubet, & ex conventione Zeckelheidam, Samos-Vivarium, Kovarum & Devam occupari. Vezirius autem negativo Tranſylvanorum Michaëlem Abaffium reſpuentium reſponſo, & Cæſareanorum in Kemen-Jani tutelam adventu offenſus, firmum ſimul & anguſtum Tranſylvaniæ aditum Ferream portam per Alibaſſam adortus à à Kamen-janis repellitur; ſed iterato mox impetu capit. Qua Turcarum ubique dominantium ferociâ excitus Nicolaus Serinius, ne jam ruptâ temerè ab ipſis pace ſuæ ulterius imminerent Croatiæ, ejus infinibus, ſeu in ipſo hoſtium torritorio, haud longè Caniſia diſtantem in Inſula Wahr, arci ſuæ contigua, Muhrâ fluvio una ex parte circumdatam munitionem, Serinwahr indigitatam, incredibili extruxit celerita-

Kemen-Janus. Cæſarem invocat.

Turcæ Abaffiū Keminjano ſubſtituunt.

Serinwarum extruitur.

 te,

re, tum ut Croatiam Styriamque ab hoſtium ſecurius impetu communiret, tum ut expeditior ipſi in hoſticum ſemper excurrendi pateret aditus. Vizirius Kiuperlus hujus rei certior factus, Caniſienſem baſſam jubet ſtrangulari, quòd vicinus Serinwari extructionem aut vi deſtruere, aut impedire ſaltem neglexerit, quam nec Cæſar approbare dicebatur, ne primus pacis pacta infringere, bellique anſam præbere videretur. Alibaſſa interea 24000. auctus copiis Zachmariam eminus includens, Zeckelheidam per Haſſan & Kutzug Baſſas ad deditionem ſollicitat, quam cùm Tieffentalius præfectus generoſe recuſat, & Cæſareus cum Montecuculo exercitus magnis in Kemenjani auxilium approperat paſſibus, inde diſcedens depopulatis latè ferro & igne pagis & oppidis, ingentem Chriſtianorum numerum cæde & ſervitute mactavit; ſubdolus enim Alibaſſa tunc cautior manus cum Montecuculo conſerere declinabat; ſed ut fatali ſemper Chriſtianis diſcordiâ, quâ miſerè laborabant Transſylvani, horum vires minueret, Abaffium prætoris filium, ſtaturâ puſillum, ſed egregiis naturæ donis, arroganti tamen etiam ambitione affectum, è turcica nuper ſervitute in Transſylvaniæ ducatum pertinaci vi intruſit: cui quòd magna pars Transſylvanorum relicto Kemenjano paſſim ſe adjungeret, Chriſtianus adeo defluxit exercitus itinerum difficultatibus, nuditate, morbis & fame omnimodò enervatus, ut jam non hoſtem perſequi, ſed fugere cogeretur. Quâ ſubdolâ arte, & Abaffii copiis confirmatus Alibaſſa haud procul Claudiopoli Chriſtianos aggreſ-

Kemenjanus cæditur.

aggreſſus, clade mulctavit inſigni, cæſis, præter vulneratos plurimos, quinque millibus, Kemenjano fuga in Ungariam elapſo. Sunt, qui victrices Montecuculo lauros deferant, magno tamen exercitûs ſui diſpendio.

12. Interea temporis Varadinum etiam Turcarum furorem experiri debuit, quod continuis tormentorum fulminibus per aliquod jam tempus anguſtiatur, jamque pervio muro ingentem pecorum numerum adduxerant Turcæ, foveas eisdem ad tentandum decretorium impetum expleturi; ſed ignium flammis, & ſingulari præſidiariorum ſolertiâ retroacta in Turcas pecora, non leve illis intulêre detrimentum; mulieresque incredibili audaciâ hoſtem fervente aquâ, reſinâ & lapidibus quandoque vallis dejiciebant. Et quamvis urbis armamentarium cum omni bellico apparatu militis incuriâ flammis conſumptum, foveæque mulieris ex urbe transfugæ inſtinctu aquis evacuatæ eſſent, ac præſidiarii bimeſtri obſidione admodùm eſſent diminuti, ſpe tamen ſuccursûs urbem fortiter & conſtanter ſex mille hoſtium cæde adhuc defendunt. Graviori itaque tormentorum vi valla & propugnacula ab hoſtibus dejiciuntur, præſidiarii iteratis continuò franguntur inſultibus, de 2000. ad 200, redacti, urbis præfectus Joannes Ratzius ſeu Ratz Janus plumbeo alite trajicitur, & quod malorum erat ultimum, ſpes omnis præſtolati hucuſque ſubſidii erat fruſtranea; fortem nihilominus oſtentabant defenſionem: jamque Turcæ nimiam ſuorum ruinam & ſtragem queritantes, abitum meditabantur; ſed dum Tra-

Varadinum obſidetur.

cius miles ex urbe profugus certam proximo impetu, ex præſidiariorum defectu, deditionis ſpem faceret, hoſtis ſimulato impetu ultima quaſi tentaturus, ſexto tandem Kalendis Septembris 1661. urbem deditione capit, præſidiariis cum trecentis curribus liberè Debrecinum dimiſſis. Heu quanto cum dolore Ungarorum, Tranſylvanorum, & adjacentium provinciarum terrore, imo & Viennæ tremore! Civitas illa quinque vallis firmata, & tribus ſuburbiis ampla adjacet fluvio Sebeskeres, vilibus quidem & agreſtibus inſtructa domibus, arx autem & baſilica auguſta & valida, olim epiſcopalis, multis fulgebat templis & monaſteriis, de quorum ruderibus extructa urbis propugnacula; uno ſordet Reformatorum delubro, quod horreo quàm templo eſt ſimilius. Alibaſſa Budenſis expeditionis hujus Dux impoſito urbi præfecto Ziphra Haſano cum 10000. Janiſchatorum præſidio, jam toti imperitare Tranſylvaniæ, & adſitos comitatus Zathmarienſem & Szaboleckenſem, eorundemque oppida & munitiones, Ragotzio ad dies ſolùm vitæ à Cæſare permiſſa, ſibi extradi jubebat, ideoque Haſanus non minus arroganter quàm minaciter fratribus Adamo & Ladislao Karoliis Zathmarii & Kallonis præfectis ſignificavit literis, oppida illa quamprimùm extradenda, aut vi eſſe eripienda: quibus nihil territi fratres omnia defenſioni præparabant.

Capitur.

13. Romandioliæ provinciam 11. Martii pluribus in locis terræ motus & venti violenti agitarunt, & vicini Ravennæ pagi, urbsque ipſa fa-

Terræ motus in Romandiola.

fatiſcente horribiliter humo magna ex parte corruerunt, ſepultis & enecatis inter miſeras domorum ruinas hominibus ferè mille, ceterisque vix non pavore & tremore exanimatis. Tonitrua, & concitatiores cœli motus, quid niſi comminationes & monita miſerantis ſunt Dei? certe non minaretur, niſi amaret, ſed feriret. Cùm multæ & graves nunquam deſint feriendi cauſæ; at quis oro, niſi amens hæc non metuat? cum apud fortiſſimos olim hominum Romanos videat veteri ſtatuto decretum, ut comitia populi Jove tonante non habeantur. Ceterum metus hic niſi ad emendationem vitæ ſpectet, inutilis eſt, ait *Petrarcha* 1. *remed.* 90.

Viridario cœleſti currente hujus anni vere inſertus eſt ab Alexandro VII. Pontifice flos terreſtris, tranſcripto in album beatorum Franciſco Saleſio Genevenſi, dum vixit, Epiſcopo. Hic illibatæ puritatis inter aulæ & ætatis lenocinia, ardentiſſimæ inſuper charitatis in Deum & proximum zelo æſtuavit, quâ incenſus omnibus omnia fiebat, ut omnes Chriſto lucrifaceret, etiam ruſticus & verna, ut ſub ſervili habitu apud ſuæ diœceſis heterodoxos admiſſus, eos à dæmonum ſervitute liberaret, trophæo ſeptuaginta & amplius millium illuſtris, quos omnes Chriſto reconciliavit; aſperrima quæque perpeſſus eſt, ſæpe etiam ad necem quæſitus, variisque calumniis & inſidiis impetitus; tot tamen inter diſcrimina & agones inſuperabilis ejus conſtantia enituit: Annum denique agens 55. mortuus eſt anno 1622. Ad ſanctitatem & puritatem ejus, quæ per longos Romæ pro-

S. Franciſcus Saleſius

ceſſus ſunt examinatæ evincendas, argumentum evidens fuit integerrimæ animæ olim ſedes corpus, poſt mortem expers corruptionis, quale hactenus ſtupentibus devotis Annetii in Sabaudia viſitur & veneratur.

Tumultus Neapoli & Meſſanæ

Neapoli, & Meſſanæ in Sicilia tumultuatum eſt ob graviora impoſita tributa, parumque abfuit, quin Hiſpani utramque Siciliam rebelli ſeceſſione divulſam bello revellere cogerentur. Felici tamen arte populis illuſum eſt, dum quod nimia avaritia extortum querebantur, hoc tutultuum pacatores obtinuerunt, ut regi liberalis & gratuiti doni nomine cederet. Ceterum gens ad tumultus inclinata, & ad ſublevanda regni onera difficilis: Neapolitani vero Regni ordinarii annui reditus ſunt 775500. ducatorum, extraordinarii 3000000. ducatorum; habet 24. Archiepiſcopatus. 120. Epiſcopatus. 160. principatus & ducatus, 60. marchionatus, 70. comitatus, ultra mille baronatus: una Neapolis civitas continet 700. cives, qui urbes, dominia, arces, pagos & oppida proprietarie poſſident, & in vulgo quindecim animarum millia: diciturque hoc regnum Europæ paradiſus, rerum omnium delitiis affluens; ſed veſuvii incendiis exurens; nam ab anno 79. quo primùm exarſit, identidem prorupit impoſterum in amœniſſima orbis regione, vel ad gentis, ne peccaret obſtinacius, medicinam, vel ad providentiæ regimen, ne una regio ſine mixtura mali felix eſſet.

Neapolis præſtantia.

Veſuvii.

Anno vix uno à pactis Pireneæ pacis & regalis matrimonii tabulis elapſo, duo earundem com-

compoſitores Cardinalis Julius Mazarinus Gallus, & Ludovicus Haroſius Hiſpanus, ambo aularum iſtarum miniſtri primarii obierunt, forſitan quòd qui rerum humanarum maximam perfecerint, nihil habeant ulterius, in quo ſuum poſſint exercere ingenium, miniſteriumque ſuum glorioſo fine coronaverint. Mazarinus quòd Ludovicum Regem omnes politiæ artes ubertim edocuerat, abſolutè ab ipſo perficiendas, jam commodum adeſſe tempus poſt tam glorioſæ expeditionis finem valedicendi & abſcedendi exiſtimabat; noverat enim & multoties novercantis fortunæ inconſtantiam in ſua etiam perſona erat expertus, hac nunc abeundi vice faventem. Mortuus eſt Vincennes, morbo, quem vocant medici ab exhauſto, hoc anno 8. Martii, ſummo totius aulæ dolore, ſine autem Regii ſanguinis principum, & totius vulgi condolentia, qui id ante decem annos ob ingentes aulæ turbas exoptaſſent. Erat vir magni ingenii, capacitatis & calliditatis, omnium animis vaferrimè ſe inſinuans: ardebat dominandi deſiderio, quod tamen ut abſolutus politicus noverat mirificè occultare, non ita tamen diteſcendi cupiditatem, quin à multis imprecaretur; multifariis ſæpiſſimè impetitus injuriis, patienter diſſimulabat, nec vindicabat, cùm poſſet, ex Richelii inſtructione: Rex ſolenniſſimis Pariſiis eidem exequiis in Eccleſia D. Virginis parentavit. Heu! quàm diverſus fuit Mazarini & Haroſii ſtatus & diſceſsus: ditiſſimus omnium, qui tunc privatâ fortunâ uterentur, Cardinalis diſceſſit; pauperrimus magnatum Ludovicus Haroſius, immo

Mors Mazarini & Haroſii.

Mazarini typus.

Haroſii liberalitas.

immo multo ære alieno oppreſſus, etſi uterque regum potentiſſimorum pari intimæ familiaritatis & favoris titulo opes, quin & voluntates habuiſſet ad libitum. Quid? forſan quòd agnatorum gentem morte ſuâ ditandam primus proſpiciens, ſervatis omnibus nihil habuit quod vivens aliis tribueret: ſecundus, Haroſius, arte omni liberalis ſoli memoriæ providit, ut hæc collatis beneficiis dives, & gratiis cumulata ſuperviveret, monitum ſapientiſſimi hominum æmulatus *Proverb.* 5. 16. Deriventur fontes tui foras, & in plateis divide aquas tuas. M. Antonius apud *Rabirium poetam*, cùm fortunam ſuam ad alios emigrantem ingemiſceret, hoc, inquit, habeo, quodcunque dedi.

Foquetus bonis exuitur.

15. Ludovicus Rex poſt Cardinalis diſceſſum omnes aulæ & regni miniſtros in ſuis confirmavit officiis & dignitatibus, Mazarini loco nullum admiſit miniſtrum primarium, regiminis Rex ipſemet ſufficiens. Luſtrando intentus regno, inque minorem Britanniam Coloneſi inſulam deductus, Foqueti regio ærario præfecti ſtudio, non delitiis tantùm ornatam ad faſtum uſque, ſed munimentis etiam defenſam ſibi tradi voluit, vocato ad regii fiſci adminiſtrati rationem ipſo procuratore & præfecto exhibendam, qui peculatûs admiſſi convictus, tractus in carcerem primò Andegavæ, poſtmodùm Pinarolii, ubi ad extremum uſque finem vitæ detentus eſt omnium admiratione, exiſtimantium fortunam ejus concuti, minùs dejici poſſe; ſed fortuna vitrea eſt, cùm maximè ſplendet, frangitur. *Pub. Mimus.* Levis quo-

quoque eſt, repoſcit, quod dedit: corporum optima valetudo, morbi eſt præſagium: ſicut & tranquillitas maris maxima inſtantis tempeſtatis præludium *Silius*. Infortunatiſſimum genus infortunii eſt, fuiſſe felicem, ait *Boetius*. Monocerotem Foquetus in topiario ſuo pinxerat lilia tranſilientem in firmam quercum, quem Rex conſpiciens ajebat, ungulæ huic beſtiæ ſunt amputandæ. Facultates ejus fiſco addictæ, aliquæ amicis permiſſæ; & quid ſunt, niſi fortunæ vomitus? ajebat *Bion*. Tunc rex ut per fideles ærarium ſuum adminiſtros deinceps procuraretur, Superintendentis (ut vocabant) abolevit nomen, admiſſo ut idem munus exequeretur ſub propria ſui inſpectione Joanne Baptiſtâ Colberto, qui peculiari Cardinalis Mazarini gazæ præfectus fuerat. Inſtitutum quoque in publicanos omnes, qui regios procurarant reditus, tribunal, à quo in adminiſtrationis rationem traherentur.

Tertiâ die Maji æmuli Gallorum Angli ſuum redintegratum Regem Carolum II. omni quâ potuerunt ſolemnitatis pompâ coronatum voluerunt Weſtmunſterii, Wittehal nominati, quod olim monachorum cœnobium, nunc antiquato cultu catholico regum Britannorum eſt baſilica. Feſtivo & ſolemni concurſu ſinguli ordines redeuntem Londinum (Pariſiis amplitudine par, domorum multitudine majus) regem aut comitati ſunt, aut exceperunt; ad agros Georgianos perveniens, eum in tentorio præſtolatur Comes Maire debitâ excepit reverentiâ, & humi ſtratus nomine urbis, & omnium ſubdito- *Caroli II. Reg. Angliæ Coronatio.*

rum

rum fidei præſtitit juramentum, ſuum ei porrigens gladium, quem comiti mox reddidit, invenitque exercitum in ſui tutelam in acie ſtantem; inde progreſſus ad urbem multiplici arcu, ornatâ viâ, quæ velut triumphantem complecteretur, plauſibusque & omnimodæ felicitatis augurio in regiam eſt deductus, atque in lecto, quem Batavi 32000. imperialibus emptum ei in Angliam redeunti donaverant, ſecurè quievit. Paulò poſt idem Carolus Angliæ Rex uxorem ducit Catharinam Brigantinam, Luſitani Regis ſororem, dotisque nomine arcem Tingitanam in litore Africano recepit, viciſſimque Luſitanis danda pro bello ſubſidia paciſcitur. Sponſionis fidem ſoluturus Carolus, ex in claſſem ſuam Ulyſſiponem mittit, quæ promiſſos ſubſidiarios exponeret, & ſponſam reveheret Londinum. Per eadem ferè tempora Philippus Aurelianenſis, Ludovici Galliarum Regis frater, ducit Henricam, dicti Caroli Anglorum Regis ſororem, quæ mulierum, quæ tunc viverent, formoſiſſima à multis eſt habita. Pulchris corporibus debentur pulchræ animæ, ajebant olim antiqui: unde *Seneca Epiſt.* 67. Quosdam mihi videtur in hoc natura generaſſe, ut approbet virtutem in omni loco naſci. Thomas Aquinas Doctor Angelicus dum inter convivandum fœminam venuſti vultûs fixioribus oculis aſpexiſſet, ejus rei cauſam rogatus à ſocio nonnihil ob hoc offenſo, admirabar, inquit, mundi creatorem; ſi enim rebus creatis tantum eſt formæ & pulchritudinis, ipſe opifex & creator infinitè pulchrior ſit & formoſior oportet; ſi caduci homun-

Ducit uxorem.

Philippi Aurelian. connubium.

Formoſitas.

Thomas Aquinas

homunciones adeo vultu præſtant in hoc xenodochio, quales erunt beati poſt reſurrectionem in cœlo? Quod ſi ita ſe habet, mirandum magis, quàm imitandum ob annexum periculum, quia formoſitas eſt amoris illicium.

16. Fanatici in Anglia (hoc ſectariorum nomen, qui deliria ſua pro inſpiratis à Deo cogitationibus habent) bis hoc anno in Regem rebellarunt, bisque levi negotio ſunt repulſi, qui inordinato agmine anarchiam ſibi firmare conabantur. Horum error præcipuus erat, Reges omnes exauctorandos eſſe, & liberè plebi omnia permittenda. Captorum aliqui ad terrorem ceterorum è patibulis complices ſuos docere juſſi ſunt obedientiam. Religionis antiquæ mutatio quantum in republica ſtatûs mutationem inducat aliqui hodie populi docent, qui poſtquam ſacris majorum ritibus parere dedidicerunt, legitimo principi ſuo rebelles eſſe didicerunt, libertatis nomen longi teſſera belli facta eſt; ſed nonne ſerviunt, ſi res dicenda eſt? quia jam ab uno non premuntur; bis miſeri, quia privilegia patriæ in onera pugnando commutarunt. Si hoc ſatis eſt, principem non habere, potius ducent infelicitatem admittere, quam agnoſcere. Fanatici Angliæ rebellio.

Obiit hoc anno Franciſcus Guilielmus Comes de Wartenberg Cardinalis & Epiſcopus Oſnabrugenſis, Verdenſis, & Ratisbonenſis, cui ſequenti Anno in primatu & Epiſcopatu Oſnabrugenſi ſecundum pacta Monaſterio-Oſnabrugenſia Anno 1648. alternativè ſucceſſit Erneſtus Auguſtus Dux Brunſuicenſium, & Mors Franciſci Oſnabrug. Epiſc. Oſnabrugum.

Luneburgenſium; [penes hanc domum Hanoveranam in alternatione ſemper manet hic Epiſcopatus, apud Catholicos electivus eſt] qui Epiſcopatus anno 776. inſtitutus eſt ab Imperatore Carolo Magno, eſtque Archiepiſcopi Colonienſis ſuffraganeus.

Mauroceni de Turcis victoria.

Vigeſima ſeptima Auguſti Georgius Maurocenus, claſſis venetæ Architalaſſus, Melitenſium triremibus adjutus, inſigni de Mahumetano Architalaſſo victoriâ triumphavit. Cùm enim 40. onerarias ex Ægypto & aliis locis in tutum vellet per Ægeum mare ſubducere, è Rhodienſi portu ſolvens, Maurocenum habuit obvium, tentatoque vano conatu per circumjacentes Inſulas effugio, tandem ad Molon interceptus, & pugnare coactus, poſt primam velitationem malè habitus evaſit, decem navibus amiſſis, quas in portu ipſo vel tormentis attritas, vel vi ſubactas Venetorum præfectus obtinuit, portu & inſula ad deditionem compulſis. Suffecta Chriſtianorum remigum loco tria Turcarum millia, quos jure belli tranſtris addixit Maurocenus, primamque laudis partem veluti præcipui victoriæ opifices retulêre Meliteneſes, quos ad efferam impatiens pugnandi ardor abripuit aggresſionem.

Rixa præcedentiæ inter Gallum & Hiſpanum.

17. Excitata eſt Londini 10. Octobris favilla, qua ſopitum vix non Europæ totius incendium recrudeſceret. Baro Battevillæus Philippi Hiſpaniarum Regis Orator occurrenti ad ingreſſum Sueci oratoris Comiti Eſtradæo Galliæ legato concurrens, ut ſuæ rhedæ anteriorem locum aſſereret, vi & armis Londinenſi plebe adju-

adjutus agit, reſciſſiſque gallicorum equorum loris (ſua autem catenulis corio involutis diſſecari nequiverant) Galliſque aliquot interfectis rivalem remoratus præcedit. Injuriæ gravitate Ludovicus offenſus, hiſpano ad ſuam aulam oratori comiti Fuenſaldagno quamprimum aula & regno interdicit, & ſuum ad aulam Hiſpanam Legatum Archiepiſcopum Ebrodunenſem revocat, vim illatam bello ulciſci paratus; poſt multas pro concilianda animorum conſenſione tractationes, tandem publicâ placatur anno ſequenti proteſtatione, quâ Philippus Battevillæo caſtigato ſpondet, ſe deinceps effecturum, ne ſuus eo loci interveniat Orator, ubi gallicum intereſſe ſciret; præponderavit enim paternus amor, Philippus enim regiæ dignitatis immemor genitorem induit, non inglorium putans illi cedere, cui ſua ceſſiſſet viſcera. Mittit igitur magno comitatu Pariſios March. Fuentum pari ſplendore à Ludovico exceptum, ſic Regem Galliæ allocutum: Cum Regi Domino meo nihil ita ſanctum, quàm conjuncti ſanguinis jura ſervare; me huc delegavit, ea firmaturum, quæ præſens ore ſancivit. Perſonam ejus ſuſtineo, non repræſentans Regem, cedere neſcium, ſed patrem, cujus ſenſus ſola inflectit natura; æquum illi viſum eſt fugaces honores, quibus tamdiu aſſuevit, ſpontè tibi relinquere, cùm mors de illis brevi futura erit arbitra; eos appetere ætati tibi decorum, juvenili ambitioni non invidet ſenex & ſocer. Altiùs quàm te penetravit Londinenſis atrocitas, non potuit efficacius elevaſſe, quàm animadverſione in aucto-

rem. Sed quid his potuit aſtrui majus, quàm per ſevera caviſſe mandata, ne legati ſui impoſterum cum tuis de primatu & præcedentia certent. Ludovicus honore lætatus voluit primùm ſcripto, non verbo hunc fieri actum; ſed quia publicè in præſentia Nuntii Apoſtolici & cæterorum legatorum peractus, Rex ipſemet illos ſpecialiter monuit, ut hanc præcedentiæ ceſſionem ſuis ſingulis regibus & principibus ſibi præſtitam referrent, juſſitque erigi inſtrumentum à quatuor ſtatûs ſecretariis ſubſcribi ad poſteros transmittendum. Galli paſſim credunt per hunc actum ab Hiſpano primatûs prærogativam Galliæ Regi ceſſiſſe, quod prudentiores tamen Galli ipſimet diffitentur: & in aula Cæſarea Hiſpanus præcedit Gallum. Quamvis Regis appellatione per antonomaſiam veniat Rex Franciæ. *Can. Adrianus. diſt.* 68. quia, ut inquit, *Rebuffus*, omnes alios reges honore, magnificentiâ & potentiâ longo anteit intervallo: & eſt ſuper omnes reges, teſte *Baldo in* §. *fin. col. pen. de prohib. feud. per Fred.* unde contra Regis Franciæ decorem nemo præſumat honorem, ait idem *Baldus conſ.* 217. *Ego puto. in* 3. *volum.* certum namque eſt, quòd Galliæ regnum ab anno 499. ſit antiquiſſimum Chriſtianitatis, & Romæ in capella regia orator ejus primum occupet locum, & Chriſtianiſſimus hodiedum vocetur. Olim Carolum Magnum anno 813. in Moguntino concilio appellatione Chriſtianiſſimi honeſtatum, ſcribit Papyrius Maſſonius Gallus; ſed, inquit *Scioppius* in concilio Reggio, ut Imperator, non verò ut Rex: hinc JoannesPa-

Gallus illam prætendit.

Primus ſic intitulatus.

pa XXII. Clemens V. Bonifacius VIII. & Martinus V. Illuſtres tantum Galliæ reges, nunquam verò Chriſtianiſſimos appellant: & Pius II. in Mantuano concilio anno 1460. Carolum VII. Galliæ Regem primum fuiſſe teſtatur, qui ultrò aſcito ſibi Chriſtianiſſimi titulo, cæteris ſe principibus prætulerit, cui in Concilio Tridentino Hiſpanus ſi non contradixit, æqualitatem tamen dignitatis prætendit; & juſtiore quidem titulo, quàm Turcarum & Barbarorum amico & fratri Gallo debitam, uti anno 1604. Soldanus Turcicus Henricum IV. alius Franciſcum I. & alius Ludovicum XIV. &c. in pactis cum eiſdem initis illos amicos appellarunt. Cardinalis verò Baronius (*inquit Scioppius ubi ſuprà*) minimè alioqui in Hiſpanos ambitioſus, duplici titulo Catholici (meritò Catholiciſſimi, & Chriſtianiſſimi) cognomen Hiſpanorum Regi aſſerit: Primùm, quia Catholicam propagarit Religionem. Dein quia ſucceſſit Recaredo Gothorum non ſolùm Regi, ſed & Apoſtolo, utpote cui ita acclamatum ſit in Concilio tertio Toletano: quàm autem id æquum ſit, ex eo patet, quòd ſoli tres primi Hiſpaniæ Reges plures fortaſsè Eccleſias ac Monaſteria excitarint, & regiis reditibus liberaliter inſtruxerint, quàm omnes ſimul Romani Imperatores Galliæque Reges: & unus Jacobus Aragonum Rex, cui rerum belli geſtarum magnitudo Expugnatoris cognomen peperit, plus quàm duo Eccleſiarum millia condiderit.

Æqualitatem prætendit merito Hiſpanus.

Hiſpanorum R in Eccleſiam pietas.

18. Moſchis Coſacos iterum ad renovandi belli ſocietatem allicientibus, eorum plagiarius

Moſchi à Polonis cæduntur.

Legatus manus pedesque vinctus ad Regem Poloniæ Caſimirum mittitur, & commiſſo quintâ Novembris prælio, iterum Moſchi à Polonis Czarnekio archiſtratego, militari gloriâ excellente vincuntur, ingenti editâ ipſorum ſtrage in Lithuania, in quo omnia ſui exercitûs impedimenta, & bellica tormenta amittunt: ſuam tamen Poloni corrupêre turpiter victoriam, dum ob non ſoluta militibus ſtipendia, hi in triplex agmen diviſi, propriam miſerè patriam depopulantur: hoc uno reipublicæ utiles, quòd arcem Vilnenſem, jam dudum Moſchis parentem, recepêre, coacto à præſidiariis arcis præfecto, ut eam dederet. Nihil indignius & injuſtius eſt militum vitam & ſanguinem fame & inopiâ retentis ſtipendiis conficere.

Ingens Galliæ fames.

Dum ingens fames ob frugum decreſcentiam hoc anno totam fermè Galliam depaſceret, in graviſſimas indigenæ dejectæ ſunt calamitates, quas Rex tandem ſuâ ſublevavit providentiâ, frumenta Dantiſco, aliundeque magnâ copiâ advehendo, & mortis oſtia occludendo. Eſt enim fames peſtilentiâ triſtior juxta *Livium decad.* 1. *lib.* 4. quam unam, inquit, natura vinci non ſinit; adeoque prout *decad.* 3. *lib.* 1. ait, ultimum ſupplicium humanorum fames eſt: unde Poëta ait:

Fames malorum miſerrima.

Dura quidem miſeris mors eſt mortalibus omnis.
Aſt periiſſe fame, res una miſerrima longè eſt.

Sub Honorio Imperatore tam ingens memoratur fames, ut venatu homines paſſim caperentur in eſum. Horreſco referens, in cibum tunc etiam verſum fuiſſe non ſolùm quòd & in obſidione

dione Samariæ, ſtercus columbinum; ſed & iteratò id ipſum, quod jam antè homini cibus fuerat. Tremet calamus ſcribere, qualiter duæ mulieres vi famis eouſque adactæ ſint, ut ſeptemdecim viros proditoriè occiderint ac commederint, à decimo octavo demum pœnam talionis paſſæ, dum intentum earundem ſubolevisſet. Ita *Procopius lib.* 2.

19. Kalendis Novembris ad Fontem Bellaqueum, vulgò Fontainebleau, quatuor leucis diſſitum Pariſiis, ingenti Galliæ totius applauſu Maria Thereſia, Regis Ludovici conjux filium enititur, uſu recepto Delphinum vocatum, qui phœnix potiùs dici debuiſſet, quum effœta tanto partu mater nullum deinceps alium ediderit, forſan ne minorem pareret. Sex diebus junior Philippum Hiſpaniarum Regem conſolatus eſt Carolus, regnorum itidem & totius monarchiæ unicus hæres futurus, hoc uno utriusque ortu diſcrimine diſtincto, quòd prior grandi Gallorum ſpe, expectatione, & votis jam penè publicus, nihil niſi præſentiam habuit, qua eos exhilararat, dum ſecundus maximo mœrore cmerſos Hiſpanos tanto ſuaviori recreavit lætitiâ, quo acriori planctu Philippi Proſperi itidem unigeniti pridianam mortem defleverant. Stant malè regna, quæ trunco ſterili fulciuntur: per liberos plurimùm majeſtas regibus ſarta tecta eſt.

Delphinus Galliæ naſcitur.

Hiſpano Carolus.

Ad finem hujus anni Ludovicus XIV. inito cum Duce Lotharingiæ Carolo IV. tractatu, Regi cedit Strenay, Clermont, Jamets, & Thun, promittitque Dux omnes ſuas copias præter-

Lotharingus Gallo oppida cedit.

quam prætorianam vexillationem exauctorare, Nancei urbis munimenta dejicere, & liberum per Lotharingiam Regi tranſitum uſque in Germaniam permittere, quem contractum confirmandum Rex Bartelum miſit Nancejum ſubſcribendum.

Contentio Epiſc. cum urbe Monaſteriensi.

Renovata rurſum eſt inter civitatem Monaſterium Weſtphaliæ & ejuſdem Epiſcopum Bernardum de Galen de jure præſidii ſimultas, & contentio de jure præſidii; causâ ad Cæſareo-Imperiale conſilium anno 1659. delatâ, jus pro Epiſcopo deciſum: urbe reſtitutionem in integrum, & actorum reviſionem petente, & abnegatâ Epiſcopus 10. Octobris executoriales intra bimeſtre arctiores,& 25. Januarii anni ſequentis ſub pœna banni impetravit: cives Batavorum ſubſidio fulti contumaciores cùm Electoris Colonienſis & Comitis Palatini mediationem rejicerent, & amica Cæſareorum commiſſariorum Epiſcopi Oſnabrugenſis & Paderbornenſis, ſimulque Comitis Ritbergenſis monita non admitterent, Batavi quoque per Comitem Flodorp apud Epiſcopum & civitatem nihil pacificationis tractu temporis efficerent, Epiſcopus binis Cæſareis legionibus, aliisque militaribus auctus copiis, arctâ urbem cingens obſidione, inobedientes & banno damnatos cives, omni ſubſidio deſperatos ad deditionis ſubmiſſionem adegit, menſe Martio 1661. his conditionibus: abdicato Batavico præſidio Epiſcopi copiis urbs extradatur, quæ Epiſcopo certis terminis quadraginta quinque imperialium millia, & annuè octo millia, cui viciſſim donabitur om-

Monaſterium Weſtph. Epiſcopus capit

omnium commiſſorum condonatio & amneſtia exceptis ſex tumultuariis, non vitâ tamen caſtigandis: urbis deinde claves cum omni regiminis poteſtate Epiſcopo extradantur; ſicque Epiſcopus comitantibus Com. Gronsfeld & Friquet legatis Cæſareis urbem ingreſſus, arcem Paulopolim, ſeu Brill dictam, in urbe ad coercendos impoſterùm cives extrui juſſit: ubi ingenioſus quidam domui civicæ, ubi tribus conveniunt, hæc inſcripſit verba: ne ſVtor VLtra CrepIDaM. hujus anni Chronicon.

Annus 1662.

20. Carolus IV. Dux Lotharingiæ non modicè offenſus, quòd neque in Monaſterienſibus, neque in Pyrenæis pactis de componendis Ducatûs ſui differentiis, atque ad obtinendam ejusdem ducatûs tranquillitatem vix quicquam esſet actum, cùm à Rege ex Hiſpanorum captivitate in libertatem eſſet aſſertus, optaretque eminentiorem domûs ſuæ dignitatem, ex ingenita inconſtantis animi mutabilitate jam volebat Card. Mazarini neptem, regii nunc ſanguinis Duciſſam Monpenſier primogenitam Ducis Aurelianenſis filiam deſponſari, atque ita ducatum ſuum regio ſanguini inſertum volebat in Regem Galliæ Ludovicum, ſub annuo vitalitio transferre, ſed mox pœnitens & mutatus revocat omnia, utpote maximè ſibi & ducatui fore damnoſa, ac imprimis deſponſationem improbat, in quam jam modò Rex conſentire & promovere dicebatur, licet Dux nollet, offenſus, quaſi frater ejus Nicolaus, & nepos Carolus quædam apud Regem in ſuum ſubornaſſent præ- *Carolus IV. Lotharingus Gallo ducatum cedit.*

judicium, animum à nepote averſum impotens charitati ſanguinis reconciliare, Ducatum ſuum (quaſi abſoluti juris ſui eſſet) ineunte hoc anno 1662. 3. Martii ſcriptâ tranſactione Ludovico Galliarum Regi conceſſit, qui Ducem & Lotharingos principes in regiam Borboniorum familiam adoptavit, compenſatæ traditionis titulo. Nepos Carolus proximus avunculi legitimus ſucceſſor, poſtea V. dictus, ne præſentiâ ſuâ ceſſioni acquieſcere aut videretur, aut cogeretur (quod improli avunculo proximus hæres ſuccederet) clam è Gallia, ubi tunc de matrimonio ſuo agebat, ſe ſurripuit, Româque luſtratâ, ubi ab Alexandro VII. Pontifice benignè acceptus eſt, ſed illum ſuæ cauſæ patronum apud Regem obtinere non potuit, hinc in Germaniam ad Cæſarem Leopoldum ſeceſſit. Vix hic ceſſionis tractatus parlamento demonſtratus, & coram rege inſcriptus erat, continuò Caroli frater Nicolaus Franciſcus ſolemni ſcripto apud regem proteſtatus eſt, ceſſionem hanc eſſe invalidam & nullam, ac lege ſalicâ alienari prohibitam: dein Renati Regis Siciliæ & Lotharingiæ Ducis teſtamento hos Lotharingiæ & Baar ducatus à deſcendentibus in deſcendentes debere ſubſtitui; ideoque eorum poſſeſſor ſolùm eſſet uſufructuarius, & proximus ſucceſſor Carolus Leopoldus. Subditi deinde & indigenæ, omniſque equeſtris ordo huic ceſſionis tractatui abſq; ſuo ſcitu & conſenſu invalidè facto contradicebant, & ſeſe opponebant; cúmque pœnitens Dux ipſe mitiores hujus tractatûs conditiones à Rege ſubmiſsè peteret, reſpondit ſubiraſcens Ludovicus: Reges

Cui contradicunt frater Nicolaus & nepos Carolus.

certas

certas habere ſtatûs regulas & maximas quaſi leges omnino naturales, quibus ſua gubernent regna; ex ſatanæ nimirum doctrina imperandi, quam *Cicero lib.* 3. *de offic.* Julio Cæſari ibidem applicat: Si violandum eſt jus, regnandi gratiâ violandum eſt; in aliis rebus pietatem colas. Querebantur etiam regii ſanguinis principes, verebanturque, ne vi hujus tractatûs Ducibus Lotharingiæ in parlamento, & in publicis ſolemnioribusque actibus deberent cedere. Rex autem animo gaviſus dum tractatûs conceptum à Principe Guiſio ad revidendum in nundinis ad S. Germanum traditum legiſſet, ait Guiſio: nullum in his nundinis tam eſt præſtans cymelium, quàm quod hodie hoc tractatu ſum lucratus. At vero cum regii ſanguinis principes adhuc contra eum proteſtarentur in parlamento, illud hanc in ejus verificationem addidit clauſulam; Tunc hunc ceſſionis tractatum prius ratificandum valere, quando omnes huic intereſſentes in omnibus & ſingulis punctis conſenſerint, aliàs invalidus & nullus eſſet. Quia igitur Nicolaus Franciſcus, & ejus filius Carolus ſolemniter proteſtando contradicebant, parlamenti ſententiâ erat contractus nullus, addito quod Cancellarius Seguier publicè declaraverit: regem non poſſe alios quàm ex regina conjuge ſua regii ſanguinis principes facere: conſequenter regis prætenſiones & executiones eſſe injuſtas; nihilo tamen minus Ludovicus ceſſioni inhærens, Marſalii poſſeſſionem exigebat ſequenti anno obſidione cincti, ex præcedenti diabolica maxima: ſi violandum jus, regnandi gratiâ violandum.

Pax Anglo-Luſitana.

Alphonſus Luſitaniæ, & Carolus Angliæ Reges in pacem ſub anni principium coeuntes, finem vix inchoato bello fecêre: primus familiaris ſibi aulici conſiliis abreptus, & alter quietis amans, forſan ob nominis regii decus: equidem levibus argumentis in odia politica prolapſi, indole utrumque ad alia revocante, facilè in concordiam retracti ſunt.

21. Hujus anni 16. Februarii feralis Viennæ nuntius cometa viſus, communi omnium opinione prænuntiare Cometa mala formidabatur; nec errantem fuiſſe ſequens manifeſtavit eventus: nam Kemenjanus ex Hungaria in Tranſilvaniam rediens, diſperſas undequaque copias recolligit, novisque à Montecuculo ſubſidiis 2000. equitum, & 500. dimachis auctus, cum octo millium exercitu alteram fortunæ aleam experturus; Abaffium Medwiſcho depellit, & cinctum oppidum Fogaraz obſidione feliciter liberans Schesburgum uſque perſequitur: hic accitis ab Alibaſſa Turcarum copiis, & auro corruptis intimis Kemenjanis miniſtris Bethlemo-Janos & Gabriele Hollero in ſuas partes tractis, Kemenjanum ad vicum Kelles incautum aggreditur: certatum utrimque fortiter, hic pro obtinendo, ille pro retinendo principatu contentione magnâ, variâque partium viciſſitudine pertinaciter, donec à prædictis miniſtris, & conſanguineo Dionyſio Bamfio derelictus, & hoſtium numero oppreſſus Kemenjanus, optimi licet tum ducis tum militis officio functus, à ſuismet equo detractus, vel ut alii ſcribunt, equi præcipitio in fuga & glacie infeliciter pro-

Abaffius Kemenjanum. cædit.

cul-

ſulcatus, victoriam ſimul & principatum cedere debuit Abaffio, cæſis bis mille Tranſilvanis, & Germanis ſeptingentis; qui turcico deinde confirmatus exercitu, Claudiopolim Tranſylvaniæ metropolim, & ſedem principum obſidione mox cingit, urbem verò non adeo munitam, neceſſariis tormentis, & bellico apparatu deſtitutam, per trimeſtre tamen incredibili fortitudine David Retanus Venetus cum germanico præſidio tam glorioſè defendit, ut felicibus præſidiariorum excurſionibus hoſtis iteratò conciſus, cum inſigni militum jactura inde abitum pararet; quem Georg. Rudolphus Schneidavius collectis ſubitò ſex Ungarorum millibus opportunè adveniens maturavit, & Abaffium magno tremore ob majorem famâ mentitum exercitum fugientem ulterius rejecit. Turpem hanc hoſtis fugam opportuniori aliàs tempore vindicandam vafre ſimulare poterat bello prægnans Vezirius, ut allatis abs Joanne Goeſio Cæſaris ad PortamOttomannicam internuntio, Tranſylvaniæ tranquillandæ causâ pacis propoſitionibus conſentire, diſſentire ſaltem, vel reprobare non videretur: quòd nimirum Cæſar Serinwarum ſuum extra conſenſum extructum demoliendum, Zeckelheidam, Claudiopolim, Zathmarium, aliaque loca germanico evacuanda, & Tranſylvanico ſupplenda præſidio, juſtisque Turcarum prætenſionibus ſatisfaciendum eâ potiſſimum causâ offerebat, quòd Alſatiam à Galliarum Rege, & fœderato Lotharingiæ Duce metueret invadendam. Placebant Turcis hæc pacis propoſita, urgebantque illa de-

Claudiopolim fruſtra cingit.

Spes interſtitiorum.

deſtructo intra trimeſtre Serinwaro per extraordinarium ad Portam legatum confirmari, & ſubſcriptione ut videbatur communiri. Sed quantum Cæſar à Pontifice Venetiſque interea certioratus nihil inſtante hoc Turcico bello à Gallia metuendum, ſubſidiumque etiam Gallus offerret, credulo nimis Principis Portiæ conſilio hæſitabat, & defenſionem differebat, tanto magis Sultanus maturare expeditionem, & ſuum Adrianopolim diſceſſum adornari jubet; quæ in vernum tamen juſtis de cauſis eſt prolongata. Dum magno interim ſtudio in vernalem hanc expeditionem omnia curabantur, eamque parari in Dalmatiam fingebant, Cæſar ſub doli cinere belli flammam in Tranſylvaniam à Turcis effundendam juſte metuens, comitia præſens in majo Presburgi indicit, deliberando quomodo Turcarum moliminibus maturè ſit occurrendum ſed vix incepta ab heterodoxis ob violatam religionis in regno libertatem ſunt reſciſſa, periculo & amittendi religionis libertatem, & bona temporalia, & vitam, utinam non ſempiternam? Cæſar tamen Claudiopolim, Someswarium, Zeckelheidam, Clivarum, Bethlemum, finitimasque urbes & arces munire, bellico apparatu, commeatuque neceſſario inſtruere: Serinius Serinwarium ſuum contra quemcunque impetum fortificare, omniaque in defenſionem, maturamve expeditionem curari jubebat, eò quòd paſſim cernebantur Turcæ Tranſylvaniæ viſcera penetrando occupare, Varadinenſem Baſſam ſuum latius territorium citra pacta extendere, incolas, ipſumque

Cæſar ad bellum Hung. ſe præparat.

que Abaſſium principem viribus, auctoritateque penitùs emungere, ut eliſo exhauſtoque tandem principatu, enervis ſub jugo turcico provincia à Baſſa more ſuo moderaretur. Cumque id repetitis literis, & ſupplicibus precibus à Sultano & Vezirio deprecari non poſſet Abaſſius, vigilanti ubique curâ in ſuî ſuorumque tutelam, quantum licuit, intendebat. Romani Principes Imperii in ſocietatem belli à Cæſare ſollicitati, in ſubmittendo ſubſidio erant ſegnes, Dalmaticâ Turcarum expeditione decepti; Romanus etiam Pontifex Alexander VII. belli promotor & confœderatus (unde magna auri ſumma, nervuſque bellicus expectabatur) gallico implicabatur diſſidio, in periculoſum fortè bellum erupturo; ita ut bellicus in Europa quo magis elangueſceret, eò ſtudioſius illum à Mahumete Sultano in Ungariam certò promovere admoneret Cæſareus ad Portam Ottomannicam Reſidens Simon de Remmingen, vir conſtantiæ, fidelitatis ac zeli erga rem Chriſtianam incomparabilis, & vel ipſos adeo barbaros ſuâ capiens humanitate, isque aſſeveraret octoginta modò inſignis magnitudinis bellica tormenta, & ingentem bellicum apparatum Danubio Albam regalem deſtinata fuiſſe.

22. Kalendis Aprilis reintegrata eſt inter Venetos, & Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem, poſt triginta fermè annorum diſſidium pax per Vincentium Dinum Turinenſem, & Marcum Piſanum Venetum in ipſa urbe Veneta, & cepti ſunt remitti ex utraque parte Legati Venetias Marchio de Borgo, & Turinum Ludovicus *Veneti Sabaudo reconciliantur.*

vicus

vicus Sagredo, qui mutuam confirmarent & foverent reconciliationem. Regni à neutra parte poſſeſſi titulus ſeceſſionis anſam miniſtraverat, & antiqua invicem ſalutandi, recipiendique legatos omiſſio; aſt meliori conſilio decretum eſt ob inutilem quæſtionem & titulum amicitiæ teſſeras omitti non debere, iisque privari auxiliis, quæ ab alterutra parte opportunè exigi aut recipi poterant; Duxque in amicitiæ confirmationem trecentorum peditum cum 25. officialibus ſupplementum Venetis transmiſit, ad complendas binas legiones bello turcico adhibitas. Idem Dux hoc eodem tempore heterodoxæ religionis Waldenſes, rebellionis, & petiti à Rege Galliæ ſubſidii reos & hoſtes eſt perſecutus.

Alphonſi Luſitani nuptiæ.

Alphonſus VI. Luſitaniæ Rex, Joannis IV. filius jam tunc mentis non adeo compos, & perditæ ex improbis familiaris ſui Antonii Contii moribus vitæ princeps, ideoque omnia pro libitu non ſano, ſed in evidentem totius regni perniciem regens, iteratò à regni ſtatibus tam privatim quam publice admonitus, matrem Aloyſiam Guzman, mulierem fortem & prudentem, Regis Joannis teſtamento ejus tutricem effreni ejus indoli adverſantem includit monaſterio, aliosque aulæ miniſtros relegat, & Mariam Franciſcam Aumaliæ Ducis filiam in ſponſam ducit, procurato ei uxoris dexterrimæ conjugio, cujus conſiliis ſe regi pateretur. Ludovicus Galliæ Rex, ut conjugis ſibi agnatæ decori conſuleret, nuptiarum paranymphus dici voluit; utque ſponſum amplius demereret, tabu-

lis

lis ipſe ſubſcripſit, dotalisque xenii nomine contribuit licentiam, quâ Gallorum cedebat arbitrio(qui bellum tractare vellent) in Luſitaniam proficiſcendi, claſſe Anglicâ uſuris ad matris transmiſſionem. Hic Alphonſus anno 1667. throno dejectus, & ad Inſulam Terceram translatus, in ejus locum anno 1683. Octob. 2. defuncto ſucceſſit Frater ejus Petrus, cujus ſecunda conjux Maria Sophia Eliſabeth Palatina, filia Ducis, Joannis Wilhelmi Electoris Palatini, ſoror Imperatricis Eleonoræ Magd. Thereſiæ, quæ jam plures illi peperit Principes, ſtirpis propagatores.

Ducenta Scutorum millia, quæ ex immenſa prope gaza Cardinalis Mazarini Leopoldo Cæſari pro inſtanti bello adverſus Turcas gerendo, ultimis teſtamenti tabulis Cardinalis ipſe liberaliter legaverat, Rex Ludovicus XIV. pari pietate numerata jubet Apoſtolico Nuntio Picolomineo conſignari, qui ea Viennam transmittenda curaret. Magnum pietatis & liberalitatis opus, regiæ impietati contrarium. *Mazarini Legatum contra Turcas.*

Bononienſes Picardi Maſſilienſium impatientiam æmulati eâdem mulctâ reprimuntur; immiſſis namque in eos copiis, qui puram putamque obedientiam privilegiorum prærogativæ anteponendam ſub Ludovico XIV. Rege confirmarent. Aliqui ſunt patibulis addicti, plures tranſtris, ut diuturnior vindicta appareret, improbitatis namque fax eſt ſupplicium. *Bononiæ tumultus.*

In Polonia Caſimirus Rex ob animi imbecillitatem nulli diviſi ſui & Reipublicæ exercitûs debita multorum annorum ſtipendia exigentis *In Polonia turbæ.*

gentis parti, niſi vanis aut promiſſionibus, aut terriculamentis potens ſatisfacere, eum continuatâ ſeceſſione rebellem experitur; comitiis ſeu dietis fruſtra convocatis, quòd deficeret pecunia, quâ debita quindecim millionum æris polonici ſtipendia numerarentur. In ultimis tandem comitiis circa ultimum Aprilis concluſum, & decreta fuit militum ſtipendiis duodecim millionum ſolutio, regiorum viciſſim & Eccleſiaſticorum bonorum fiat liberatio & reſtitutio: Vivente deinde Rege novi Regis, de Conde, electio ſeu ſucceſſio omnino aboleatur, cujus auctores & promotores admodùm periclitabantur. &c. Lithuaniæ verò confœderati Zieromskium confœderationis directorem, & Gonſiewskium theſaurarium proditionis ſuſpectos illatâ vi trucidarunt. Moſchus interim averſis Coſachis infenſus, eos egregiè vexat; aſt domeſticâ ſuorum ſeditione revocatus in Ruſſiam, tandem armiſtitium & pacem cum Polonis, non adeo decoris ſibi conditionibus paciſcitur, finemque facit bello Polonico.

Pax Moſcho polonica.

23. Alexander VII. Pontifex ingentem Turcarum intelligens potentiam, & inevitabilem in Hungariam expeditionem, indeſinenter & laborabat Chriſtianos reges & principes communi contra illum fœdere coadunare, ſed ſanctam pontificiis intentionem plures interim occurrentes adverſitates, & animorum interrupe-runt diſſidia: Londini Gallorum & Hiſpanorum legatorum æmulatio, Romæ Gallus Cæſari & Hiſpano denegabat titulos Ducis Burgundiæ,

Ludovici Regis arrogantia.

diæ, Alſatiæ Landgravii, & Comitis Ferrette, quorum jura & prærogativas ſibi ſoli ex pactis Pyrenæis & Weſtphalicis attribui volebat: neque Cæſarem Eccleſiæ catholicæ advocatum, & orbis Chriſtiani caput venerari patiebatur, abſolutamq; ſemper præ Hiſpano prætendebat præcedentiam. O arrogantia! extrema quædam dementia! juxta Chryſoſtomum *Serm. contr. deſp. & ſu- perb.* Sicut deficit fumus, ita deficient *Pſ.* 67; unde non eſt ut glorietur fumus, quia aſcendit; nam aſcendendo evaneſcit. Sic & pontificis Alexandri Principes uniendi ardor in fumum Gallo inſtante evanuit: cujus etiam genius & dominandi libido pontifici diſplicebat. Hic Ludovicus Romam ad Alexandrum VII. mittit oratorem Ducem Crequium, virum arrogantem & nemini cedentem; qui regio & copioſo ad omnium admirationem comitatu urbem ingreſſus, pontificis alloquio gaviſus, pro ducibus Modenenſi & Parmenſi juxta pacta Pyrænenſia exigit ſatisfactionem; deinde pro Duce Mercuriano Cardinalatum, & pro Rege denique ſuo in Belgio competentia ſibi jura regalium; ſed cùm pontificis agnatos Chiſios viſitare, & ſalutare neglexiſſet, aulamque ſuam Farneſianam armatis pluribus augeret militibus, duriuſculè ab eo habetur, iis omnibus illi denegatis, quæ ex juris rigore non debebantur. Quòd Regis juſſu eos poſtea viſitaſſet, non ex integro reſtinctæ eſt animorum amarities, ſed pontificius miles Sbirri aulam Crequii arctius includentes eam ſtudioſiùs obſervabant; Oratore apud aliquot Cardinales fruſtra querulante; tandem res in publi-

Crequius male Romæ habetur.

ca erupit diſſidia, dum 20. Auguſti poſt habitam ad pontem Sixtinum acrioribus verbi diſceptationem inter aliquos regii oratoris familiares, & aliquot item milites Corſicanos excubiarum pontificis, ad arma tandem deventum eſt, & Corſicanorum unus à Gallo interfectus: illi convocantibus tumultuariè pluribus copiis, expanſis vexillis, tympaniſque ſonantibus oratoris aulam circumcingunt, in ſecretarium explodentes vulnerant, tranſeuntem Italum occidunt, in oratorem ipſum ad feneſtram, tumultum compoſiturum ejaculantur; tum in perſonam Duciſſæ è templo rhedâ revertenti explodentes, ephebum trajiciunt, & aliquot pediſſequos vulnerant: illa rhedâ tertiò perfoſsâ ex terrore ſemianimis, ad aulam Cardinalis de Eſte deportata, non niſi ſerâ nocte ſub cuſtodia benè armata per ipſummet Cardinalem ad maritum eſt reducta. Turbarum auctores ſuſpicabantur pontificis frater Marius Chiſius, eccleſiaſticæ militiæ generalis, & Cardinalis Imperialis urbis præfectus, qui ſe excuſantes nullâ omnino invaſionem violentam, ſed naturalem imperaſſe militi defenſionem ajebant. Alexander quamprimùm intellexit tumultum, convocato Cardinalium conſilio, quatuor continuò armatorum millia in urbem introducta, domum Farneſianam oratoris, Cardinalium de Eſte & Anton. Barbarini, ac Ducis Ceſarini circumquaque cingunt, & obſervant ſingula accuratiſſimè, ne pejora exorirentur. Sed Crequius ob violatum jus gentium, (cujus famuli primam cædis dederant occaſionem) & ſui ſuorumque

Chiſiorum Acta Romæ.

ſe-

ſecuritatem Româ excedens, cum Card. de Eſte, & Duce Ceſarino ad S. Quiricum Florentiæ ſeceſſit, rejectis plurium mediatorum Petri Baſadonæ Venetorum Legati, Card. Arragonii, Ducis Florentiæ, Chriſtinæ Suecorum Reginæ, aliorumque principum excuſationibus, propoſitionibus & mediis quibuscunque; ſed volebat urgebatque ut pontificis frater Generalatu privaretur, & exilio Sienæ mulctaretur, ejusdem Cardinalis nepos tanquam Legatus coram Rege injuriam deprecaretur: Card. Imperialis orbaretur Cardinalatu; Corſicani milites eliminarentur Româ in perpetuum: ad aulam Farneſianam in erecta pyramide, illatæ injuriæ ſpecies inſculperetur: ducatus Caſtro ad Apoſtolicam Cameram reductus Farneſianæ domui, & Comachium cum ceteris vallibus Domui Eſtenſi reſtituerentur. Hæc faſtuoſa quia nimis Sedi Apoſtolicæ contemptibilia videbantur, pontifex binis ad Regem literis honeſtam offert ſatisfactionem & compoſitionem; quam & ille reſpuit, & militarem ab Hiſpano per Mediolanenſem ducatum in pontificias ditiones poſtulat tranſitum, Apoſtolicumque Nuntium aulâ & regno ablegat triginta militibus ſtipatum, uſque dum pro affecta contumelia ſibi debitâ honoris conteſtatione fieret ſatis: adeoque Cardinalis Imperialis Romanâ licet privatus præfecturâ, & quæſtuoſiore Anconæ eſſet proviſus, Genuenſes ejus in urbe præſentiam ex Gallorum metu tolerare non ſunt auſi. vid. num. 39.

Ludovicus R. exigit ſatisfactionem à pontifice.

Nuntius Apoſt. è Gallia demittitur.

24. In Anglia continuatum eſt regnum à præteritis ſeditionibus reſtaurari, reſtitutis in priſti-

Carolus Anglus res ſuas

reparat despon-ſatus. priſtinas dignitates & officia ſua iis omnibus qui ea ante Cromwellii tyrannidem probati, dum interea architalaſſus Comes Sandwichus cum Regis Caroli ex Luſitania conjux Catharina infans 14. Maji Portum magnum appulit, regiqueconſuetis nationis cæremoniis deſponſata, & ſolemniter poſteà ad thronum Londinum introducta; multi etiam ultimo damnati ſupplicio, qui iniquæ adhuc Caroli I. damnationis complices vivebant, regiâ excluſi amneſtiâ, & paſſim regii infamabantur latrones, quorum tres clam in Hollandiam Delphium dilapſi, Joannes Barſtead, Joannes Okey, & Miles Corbet 73. annorum ſenecio omnes auctoritate & divitiis potentes, electa parlamenti quondam membra, regii & reipublicæ à regibus quondam venerati legati, à Britannico legato Downing in taberna ibidem ſeu hoſpitio, ſub ignoto mercatorum Hanovienſium ſcemate latentes deprehenſi, & Batavorum indulgentiâ capti, inque Angliam delati, cum pluribus aliis 19. Aprilis capite ſunt minuti: Alii ſectarii, qui paci publicæ ſingularibus dogmatibus, vel concionibus, vel liturgiis, vel ſacris apud plebem obſtrepentes tumultuati, mulctâ pecuniariâ ſunt caſtigati. Omnium horum in Anglia tumultuum, ſeditionum, & conjurationum unica eſt variarum religionum diſcordia tripartita, Regis regimini, & Eccleſiaſticæ ſeu epiſcopali diſciplinæ contraria: quorum primi ſunt Sectarii & Independentes, neque epiſcopis, neque presbyterianis conſentientes, quales ſunt Quackeriani, Anabaptiſtæ, perfectioniſtæ, & ſimiles;

Latrones damnat.

Anglia variarum hæreſum nutrix.

ſe-

ſecundi regem in ſeculari regimine non agnoſcunt, ſedunicum ſolum & univerſalem omnium regem Jeſum; adeoque populi dominationem & democratiam, cum Oliviero Cromwel, & Cromwelliſtis ſectantur: tertiò denique ſunt presbyteriani, Regem debitè admittentes, epiſcoporum autem liturgias, precationes & diſciplinas rejiciunt tanquam papiſticas, & volunt presbyteris eſſe æquales, non ſuperiores, non parlamenti aſſeſſores, non civilium, criminaliumque cauſarum judices nolunt illos eſſe, eccleſiaſticarum rerum adminiſtratores per alios, ſed per ſeipſos &c. Hæc epiſcoporum & presbyterianorum diſcordia eſt omnium in Anglia & Scotia malorum Medea, quæ & Regi Carolo I. & tot Anglorum Scotorumque capita demesſuit, ut ait Ludolff Schaubühn *An.1662.cap.8.* Quales?

Hæc ille Auctor ſcribit, hæc videt, & tamen cœcus oculos habet, & non vult videre. Apertius & latius illud manifeſtat *Contenſon theol. mentis & cord. lib. 5. præamb. cap.2. fol. 322. 323.* Illud eſt, ait, & fuit hæreticorum genium, infrunitæ libertatis amore dominationem tam Eccleſiaſticam & ſpiritualem, quàm temporalem & ſecularem omnem peſſumdare; facilè namque eſt demonſtratu ſupremæ Rom. antiſtitum poteſtatis ſpiritualis inficiatores, disjiciendis quoque regibus, deturbandæ Monarchiæ, fovendis perduellibus, & convellendis ſceptris viam ſternere & munire. Illis claſſicum præcecinerunt Judæi quidam, à Juda Galilæo anteſignano dicti Galilæi, qui ſolum Deum appellari dominum fas eſſe credebant, ideoque refe-

Hæreſis excuſſâ ſpiritua-li evertit poteſtatem ſecularem

In Galilæa Judas.

rente *Joſepho lib.* 8. *antiquit. cap.* 2. graviſſimas luere pœnas maluerunt, quàm Cæſarem dominum appellare. Quamobrem Apoſtoli, qui à Chriſto Galilæo dicto Galilæi etiam cognominabantur, ſæpius ejusdem criminis inſimulabantur ab æmulis, in nominis æquivocatione malignè ludentibus, unde ut ab ea ſe ſuſpicione diſcipuli Domini purgarent, debitam regibus obedientiam inculcabant.

Wiclef & Hus in Bohemia &c.

Quis neſcit Wiclefum poſt indiſtinctum Eccleſiæ bellum Reges etiam aggreſſum fuiſſe, dum peccati mortalis conſciis dominii & regni jura denegavit? Hieronymum à Praga & Joannem Huſſum his peſtilentiſſimis dogmatibus perſuaſos Bohemiam inteſtinis rebellionibus incendiſſe, ignorat nemo.

Lutherus Germania. Calvinus in Gallia. Batavia Anglia. &c.

Lutherum Henrico Regi peræquè ac Rom. Papæ fuiſſe injurium, & atrociſſimis inſectationibus maledixiſſe compertum eſt. Galliam concitatis à Calvino flammis flagrantem non ita pridem Patres noſtri viderunt, quas nec millionum hominum ſanguis, nec infinitæ profuſæ lacrymæ extinguere potuerunt. Batavia legitimi regis Hiſpani imperium poſt introductum calviniſmum ſuis depulit cervicibus. Parricidium poſt hominum memoriam flagitioſiſſimum, & ſolo Chriſti Deicidio inferius, poſt ejuratam Romanæ Sedis reverentiam Angliæ primores in Regem ſuum Carolum Stuart, ſtupente orbe ſub ſole toto perpetrarunt. Nec ex impetu ſubitæ iracundiæ, vel clandeſtini Sicarii pugione, ſed ſolenni Senatus-conſulto in eam perduelles impietatem proruperunt, quam credere poſteri detrectabunt, noſque ipſi vix crederemus, niſi tan-

tantum facinus ſeculum noſtrum æternis tenebris obſcuraſſet. Et quod amplius eſt, ejusdem Caroli filios Carolum & Jacobum Monckii præſertim ſtudio & prudentiâ throno & regno reſtitutos iterum ejecerunt, ut tanquam exules vitam in Gallia clauſerint; & jam adhuc Jacobi filius etiam eliminatus, Romæ in Italia exul pontificis potiſſimùm vivit liberalitate, qua de re plura inferius. Familiâ Stuart Angliâ eliminata eſt.

Hi ſunt, hi fuêre ſemper rebellionis (etiam in Hungaria, ut plura prætercam) gradus, ut primùm monarchiæ ſpiritualis Rom. Antiſtitis jugo excuſſo, in deturbationem terreni & ſecularis principatûs liberè irruat, ſuperioris omnis impatiens, fiatque ſimul & exlex, & exrex. Quia ſicut non minùs reipſa quàm vocabulo affinia ſunt Lex & Rex; ſic hæretici legum hoſtes, & effrenis libertatis amatores, in Reges legislatores quâ datâ vel acceptâ occaſione lubentes inſurgunt. A talibus igitur, addit auctor, ſibi caveant Regés, qui poſt everſam ſpiritualem infandis moliminibus poteſtatem, monarchiam quoque ſecularem concutiunt, omnia ſus deque miſcent, principatus ſuffodiunt & dicunt: *Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea.*

Sic ad anni finem 28. Octobris detecta eſt Londini impiiſſima, pariterque ſecreta Non-Conformiſtarum conjuratio (qui non ſolùm Anglicanæ Eccleſiæ Liturgiam, ſed etiam Epiſcopales, & ut ajunt, papiſticos ritus & modos omnes rejiciunt, & regiam poteſtatem atque regimen non admittunt) non in urbe tantùm Londinenſi, Conjurationis novæ cauſæ.

ſed etiam in pluribus regni provinciis conjurarunt die SS. Simonis & Judæ 28. Octobris totam regiam domum, & regiæ familiæ addictos, Ducem Albemarliæ, Richardum Brovvne &c. tumultuariè trucidare, & occupatâ turri certis in locis urbem incendere, atque ita novam ubique reipublicæ innovationem vi introducere; cujus cauſam *Gerardus Craſius lib. 2. hiſt. Quaker. pag. 211. & 212.* ipſi regi tribuit, quòd nimiam Epiſcopis tribuerit poteſtatem & auctoritatem, quòd Romano-Catholicam Luſitaniæ Infantem ſibi matrimonio junxerit; quòd magno ubique ſcandalo, effuſis in immenſum opibus immerſus voluptatibus, neglecta regni negotia per amicos expedierit; quòd denique emptâ inutili, & cum gravis diſpendii onere arce Tingitanâ in litore Africano, aliam, ſcilicet Dunquerkam, in vicinæ & æmulæ Galliæ confinio, à qua rebus ſuis utile momentum accedebat præſtantiſſimam validamque Flandriæ urbem quinque libr. gall. millionibus Gallis vendiderit, cum adjectis munimentis Mardyk, Bois, & Winoxberga, non ſine irreparabili Angliæ & Bataviæ detrimento, & omnium odio perſuaſus à Cancellario Hyde, qui ad hoc à Gallo centum ſterlingarum millibus erat corruptus, ideoque accuſatus, quæ juxta leges politicas potiùs minùs potenti Hiſpano, quàm potentiori Gallo divendidiſſet; niſi fortè, ut aliqui aſſerunt (*Ludolfs ubi ſupr.*) ex flagrante in Cromwellium parricidam, qui eam occupaverat, odio, in Gallum tranſtulerit; quemadmodùm etiam parlamentum omnia Cromwellii acta reſcidit, hono-

Dunquerqua Gallo vendita.

rem.

rem Carolo priſtinum reſtituendo; uti cives urbis Douvres è regione Caleti (unde brevis ſeptem ſolùm milliarium maris datur tranſitus) Carolo II. Angliæ Regi honoris & memoriæ erexerunt columnam, hac inſcriptione inſignitam;

Siſte viator iter, veſtigia prima ſecundus
Carolus heic poſuit, cùm redit exilio.

die 25. Maji anno 1660. ſed irrequieto regii conſilii ſtudio prædicta conjuratio reſtincta eſt priusquam erumperet.

Mimum egit apud Lucanos homuncio quidam nomine Vincentius, theatralis ludi cataſtrophe factus inſignis. Hic ſe principem, & Regis Catholici nepotem ſimulans, provincias oberrare ceperat, ſpecie quâ populos inani tituli jure, velut à rege avunculo miſſus viſitaret, audiretque eorum querelas, eis remedia impenſurus. Pro principe apud aliquos receptus, vectigalia regia propriâ auctoritate aut minuit, aut ſuſtulit, corraſis interim ſibi, & ad proprios uſus, liberæ donationis titulo, ſexaginta ſcutorum millibus, & aliqua ex argento ſupellectili. Captus tandem & Neapolim perductus, ambitionis & larvarum pœnas morte luit, remiſſo ad ſeductos populos capite, in cavea ferrea incluſo, ut viderent cui paruerint. *Seductoris vanitas & ſupplicium.*

25. In Saxoniæ inferioris comitiis Luneburgi habitis diſceptatum fuit de Regali, ſeu jure poſtarum, ab antiquis temporibus ſibi competente, quod hactenus per proprios patriæ veredarios uſurparant; nunc autem ſupremus veredariorum magiſter inhibeat, regale illud ſibi ſoli ex liberali Cæſaris benignitate donatum arrogans, *Jus poſtarum.*

Comitiorum verò patres manutenendum, ut hactenus obſervatum, & Cæſareum veredarium non admittendum decreverunt: ſed non multò pòſt ſub pœna centum marcarum auri aula Cæſarea Lubecæ, Hamburgo, Luneburgo &c. prohibuit aliis quàm Cæſareis uti veredariis.

Galliæ fames. Hac anni tempeſtate ingens & miſerrima ex frumentorum decreſcentia orta eſt in Gallia fames, in provincia imprimis Tourainenſi, territorio Blaiſois, quod aliàs ob frumentorum copiam totius Galliæ dicitur horreum; ut divites vix & opulenti ſufficiens magno ſibi ære vitæ alimentum poſſent comparare; cives verò & ruricolæ inſuetis herbis & radicibus paſti, miſerrimâ paſſim fame crepabant, uſque dum Rex miſeratione tactus frumentis aliunde delatis & pecuniâ, ne ulteriùs per univerſam graſſaretur Galliam, ſuccurriſſet; plurimis interea fame pereuntibus.

Maximiliani ortus & Annæ Eliſab. Monachii in Bavaria natus eſt Ferdinando Mariæ Electori ex Henrica Adelheide Victoris Amadei Sabaudi filia II. Julii Maximilianus Emmanuel, poſtea etiam factus elector. Et 8. Novembris Ludovico XIV. Regi Galliæ ex Maria Thereſia filia Philippi IV. Regis Hiſpaniarum naſcitur Anna Eliſabetha, quæ hoc eodem anno 30. Decembris eſt defuncta. XII. Kalen-

Mors Leopoldi Wilhelmi Auſtriaci. dis Decembris, diem ſupremum obiit Viennæ Auſtriæ Leopoldus Wilhelmus Archidux, Leopoldi Cæſaris patruus, vir qualis in toto vitæ & belli ſtudio (in quo ferè continuò exercitus fuit) piè fortiterque ſe geſſerat, talis etiam in morte agnitus,

agnitus, ſingulari ſcilicet pietate, humilitate & prudentiâ fervens & conſpicuus. Hic Ferdinandi II. Cæſaris anno 1614. ſextâ Januarii nati filius, ab ineunte licet ætate clericali militiæ addictus, & Epiſcopatu Argentinenſi, Paſſavienſi, Halberſtadienſi, Olmucenſi & Neus dotatus, adeoque permultis Eccleſiaſticorum beneficiorum proventibus fuiſſet inſtructus; tamen vigente in Germania contra heterodoxos Proteſtantes bello, copiis à patre anno 1639. præfectus, variâ diù fortunâ catholicis imperavit exercitibus. Accerſitus dein à Rege Catholico ad Belgii adminiſtrationem, laudabiliter geſtam, inde Cæſaris Ferdinandi III, fratris morte Viennam revocatur, ut nepotis Leopoldi, hodie imperantis, & tunc minorennis ageret tutorem, & Imperii Rom. æmulatorem, & poſtea poſſeſſorem, in aula uſque ad mortem vivere pergens, ad exactæ probitatis normam formatus princeps. Et quales ferè ſolent omnes Auguſtæ & Auſtriacæ Domûs ut patrimonii, ſic & dignitatis ſummæ Teutonicorum equitum hæres dictus eſt Carolus Joſephus, item Archidux alter & nepos; ſed cui anni non ſuffecerunt, ut iiſdem experimentis ſe patruo non imparem probaret. Oenipotente ultimo (alii penultimo) anni die fatis conceſſit Ferdinandus Carolus Archidux Auſtriæ, Ferdinandi II. Cæſaris ex fratre Leopoldo V. nepos, natus 7. Maji 1628. relictâ ex Anna Medicea conjuge unica ſuperſtite filiâ, 30. Maji 1653. natâ, Claudiâ Felicitate, quæ poſtmodùm anno 1673. Leopoldo Cæſari nupſit. Illi in principatu fraterno jure ſuc-

Et Caroli Joſephi Auſtriaci.

Et Ferdinandi Caroli Archiducis.

ſucceſſit Sigiſmundus Franciſcus natus 1630. Epiſcopus Auguſtæ Vindelicorum & Tridenti, poſtea anno 1655. factus Cardinalis; ſed qui tertio abhinc ſucceſſionis anno improlis moriens, aridum in ſe hunc Domûs Auſtriacæ ramum terminavit. In Saxonia quoque obiit Wilhelmus Dux Vinarienſis 17. Maji, ſago togâque inclytus, qui ſingulari ſemper in fideles, ſenioque confectos famulos affectu propenſos non dimittebat ſervitio.

Et Wilhelmi D. Vinarienſis.

Ultimâ Decembris die Ludovicus Rex Galliæ novos ſeptuaginta & unum Equites Ordinis S. Spiritûs magnificâ Pariſiis pompâ creavit: qui ordo in Europa celebris ab Henrico III. Poloniæ primò, dein Galliæ Rege anno 1579. in perpetuam gratiarum actionem pro collatis ſibi à Spiritu ſancto beneficiis eſt inſtitutus, in cujus feſtivo Pentecoſtes die utramque Polonicam & Gallicam adeptus eſt coronam; eo autem erectus fine, ut inſcripti equites veram & conſtantem ſemper in Deum, Religionem & Regem præſtent fidem & æmulationem. Modernus Ludovicus XIV. novum anno 1693. S. Ludovici Ordinem inſtituit, de quo infrà.

Ordo S. Spiritûs,

Annus 1663.

26. Jactatum eſt per Europam ſub hujus anni 1663. initium auditos fuiſſe in America ſeptentrionali eâ parte, quam novam Franciam vocant, tales in aëre, & ſub terra fragores, ut cœlum & terram novo hocce prodigio incolæ revelli crederent: immutatos aquarum fluviatilium colores, diſciſſam pluribus in locis humum

Prodigia varia.

mum, aliaque hujusmodi portenta, quæ videntes vix non præ ſtupore exanimarunt. Sed nullius miraculi res foret, ſi quæ tot terrarum mariumque tractus transmeare fama cogitur, ut nobis alterius orbis referat eventa , pedem aliquando in aliqua fabellarum regione deponat, ſicque dubiæ fidei commentis ſua acroamata permixta nobis longè poſitis propinet. Hoc mille teſtibus confirmatum, quòd ad finem hujus anni fluvius Unſtrut in Thuringia tribus horis ſine curſu immotus ſtiterit, ut ſicco pede aliquibus in locis tranſiri potuerit, non ſine ominoſo terrore ſubſequentis belli, vel alterius calamitatis, uti ſimilis fluminis Unſtrut emanſio anno 1617. bellum præſagiit Bohemicum, Thuringiæ calamitoſum, & anno 1664. Erfordii in Thuringia debellationem. Fulda Haſſiæ fluvius adeo curſum ſuum ſiſtit , ut piſces manu capi poſſint, ſi Haſſiæ regens Landgravius, aut ejuſdem uxor fato cedant, ut anno 1567. in obitu Georgii, anno 1642. in obitu Landgravii Philippi, anno 1567. in morte Philippi Magnanimi; rapidus Saxo-Haſſicus fluvius Werra anno 1682. ſuum remorata curſum piſces, anguillas, cancros magno numero præbens hominibus, magnum toti Germaniæ incuſſit Turcarum terrorem, qui anno ſequenti 1683. Viennam Auſtriæ obſederunt. Fluminum.

Refert *Leonardus Vairus lib. 2. de Faſcino cap.* 14. in Cebtiberiæ oppido Villila campanam eſſe, quam vocant incolæ campanam miraculorum, quæ per aliquot menſes, priuſquam Chriſtiana Reſpub. aliquid adverſi patitur, per ſeip- Campanæ.

ſeipſam, nemine pulſante, ſonare ſolitam, cujus rei (inquit) teſtimonium per publicos tabelliones hiſce oculis egomet legi, præter fidem, quam de eadem re illius regni proreges ſuis literis faciebant, quæ eodem anno proximo elapſo ſpontaneum ſonitum edidiſſe ferebatur. Item ad flumen Rhodanum in Sequanorum confinio ſitum eſt nobile monaſterium S. Mauritii, ubi in vivario juxta numerum monachorum piſces ponuntur, illorum ſi quis ægrotet, piſciculus quoque ſemivivus cernitur ſupernatare, quod ſi monachus è vita migraturus ſit, paucis antè diebus piſcis moritur. Hæc ſe ita *Vairus d. lib. 2.* ſcribit accepiſſe tum à Card. Granvillano teſte oculato, tum ab aliis fide dignis, ut rem locis illis notam, atque omni fide conteſtatam.

Caroli Sabaudi matrimonium & honor.

XIV. Kalend. Aprilis Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ Franciſcam Valeſiam ducit uxorem, poſt protractas, ac multis difficultatibus implexas tractationes, quæ hoc præceſſerunt conjugium, ob expetitos à Duce titulos, & aliquos honores, qui conſtantem ſuæ Domûs erga Reges Galliæ devotionem ſingulari aliquâ prærogativâ diſtinguerent. Trahimur omnes, inquit *Cicero pro Archia*, laudis ſtudio, & optimus quiſque maximè gloriâ ducitur: nec ulla eſt tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non agatur, ait *Valerius Max.* Cæterum Sabaudiæ familia ex antiqua Saxonum Wittikindi progenie ducit originem, & Sigiſmundus Imperator anno 1416. Amadeum VIII. Conſtantiæ Ducem Sabaudiæ declaravit: noſtro hoc ſæculo Victor Amadeus titulum Regis Siciliæ uſurpavit

Sabaudus Rex Sardiniæ.

vit & poſſeſſionem adeptus, à Philippo V. Rege Hiſpaniæ ejectus fuit; & hic à Carolo VI. Cæſare legitimo ejuſdem hærede per tranſactionem & Siciliâ & Sardiniâ privatus fuit; qui demum Carolus retentâ ſibi Siciliâ Sardiniæ regnum in Victorem Amadeum tranſtulit, idque quod diu ambivit, obtinuit.

Morinus hæreſiarcha comburitur.

Nova delirii ſpecie inſaniens plebejus quidam Albamalenſis Gallus, Simon Morinus nomine, inter alia ſingularis hæreſis commenta, ſe ſanctum Dei ipſius Spiritum aſſerere non erubuit: & quod vix credatur, ſectatores habuit, qui tantæ inſaniæ fidem non detrectarent. In judicium vocatus, inque ſtolida aſſertione conſtans, nullo alio ſupplicio dignus dimittitur, quàm publico riſu. Sed quin reſipiſceret, immo alios novâ dementatione ſequaces allicere pergens, iterum ad quæſtionem tractus, & pervicax flammis addicitur, ne errores latius ſereret: hoc uno ſuper hominem eminere viſus, quòd rogum ſubiit imperterritus, ni dixeris propriâ dementiâ inſenſatum, ne flammas ſentiret. Ferro candenti notati aliqui ex profeſſis ejus diſcipulis, ne ſtolidâ hæreſi impunè deſipere pergerent.

Hæreſes variæ.

Quis non miretur Caianos olim fuiſſe, qui homicidam Cain adorarent, velut ex potenti virtute procreatum? aut Ophitas, qui, ut *Tertullianus de præſcript.* ait, magnificarent ſerpentem, qui primos parentes in paradiſo decepit, velut auctorem ſcientiæ boni & mali?

Chriſtianus Princeps Daniæ in Gallia.

Chriſtianus Daniæ Princeps in Gallias, varias luſtrandi gentes ſtudio delatus, liberaliſſimè à Rege Ludovico Pariſiis excipitur, non neglectâ

ctâ ab aliquibus inter familiare contubernium occaſione miſcendi de religione ſermones, ut juvenis ad fidem catholicam retraheretur. Quod princeps non faſtidientes aures his colloquiis præberet, exiſſetque fama eum ab hæreſi retractum, uxorem in Gallia inter principes feminas ducturum; inſtante regio Daniæ conſilio à patre revocatur, ſpeque conceptâ catholicos fallit.

Induciæ Cæſareo-Turcicæ.

17. Multum præcedenti anno Cæſar Rom. laboravit, ut ſuo etiam damno inducias cum Ottomannica Porta poſſet continuare, ideoque primò Hungaricum Secretarium Philippum Petes, deinde Baronem Joan. Goëſium ad Turcicam dimiſit aulam, qui cum ibidem Reſidente Simone Renningen ſequentes concluſerunt tractatus 1. Bini comitatus Zabolck & Zathmarienſis maneant Rom. Cæſari ab omnibus Turcarum exactionibus liberi. 2. Tranſylvania tam germanico quàm turcico evacuabitur præſidio. 3. Manebitque in priori ſtatu, & poſt mortem Abaffi erit electiva. 4. Nec filiis Ragotzii, nec Kemen-Janos ullum ſuppeditabitur ſubſidium. 5. Poterit utraque pars limitanea erigere munimenta, ſed abſque exercitum imponendo. 6. Utriuſque partis hoſtibus nullum præſtabitur auxilium. 7. Serinvarium deſtruetur. &c. His induciarum tractatibus Viennenſis aula nimium conſilio & incuriâ Principis Portiæ, ut *Nani hiſtoria Veneta lib. 9. pag. 549.* refert, confidens, non ſolùm aliquas reducit legiones, ſed earum etiam quatuor Hiſpaniarum Regi contra Luſitanos ingenti reipublicæ detrimento tranſcribit,

Turcarum ad bellum præparatio.

dum

dum Sultanus interim & Vezirius decretâ in Hungariam expeditione, ad medium Februarii ſignum prætorium, ſeu caudam equinam Byzantii, futuræ intra menſem expeditionis indicium infallibile expoſuerunt: & Sultanus ipſe incredibili apparatu ingentem in Martio exercitum Byzantio in campum, præcedente camelo, educit, qui in dorſo turcicum Alcoranum telæ aureæ involutum geſtabat, quòd Turcæ exiſtimabant induciarum tractatu ſibi Chriſtianos voluiſſe ſolùm imponere & decipere; alii verò hujus turcicæ expeditionis cauſam fuiſſe putant Ottomannici militis ex diuturno otio ferocem inſolentiam, & effrenem proterviam, ipſi penè Sultano inſultantem, quam belli germanici occupatione caſtigandam ſupprimendamque duxerat Vezirius neceſſarium. Cauſa belli.

Mahumetes igitur Byzantio moræ impatiens 7. Idus Martii cum Vezirio Adrianopolim diſcedit, ingentes undequaque militum copias ad deſtinatum juxta Sophim urbem ditibitorium exeunte Aprili conventuras luſtraturus: quo etiam Cæſareus Reſidens turcica ſequi caſtra juſſus, 14. Kalendas Julii cum Vezirio Belgradum pervenit, ubi habito rurſus delectu luſtrata ſunt 80. Turcarum millia, accedebant quoque octoginta Tartarorum millia, præter foſſorum aliorumque imbellium millia, ac præter Moldavos, Walachos & Tranſylvanos propediem adventuros. Goeſius interim ſuperiorum pactorum conſenſum aut Cæſaris infirmitate, vel cunctatione, aut Vezirii fallaciis dilatum, dum expedito rurſus curſore expectat, comitari jubetur

exercitum, per pontem Eſſeckinum Budam tendentem: quo curſor poſt quindenam rediens, retulit Cæſarem in poſtulata pacis ſtudio conſentire: tantis enim impar viribus, & in fiuſtranea Hungarorum nuper evocatione Proteſtantium offensâ & diſſenſionibus (quorum in nuperis comitiis poſtulata fuerant rejecta) Principumque Chriſtianorum ſocordiâ haud multum ſibi promittens ſubſidii, maluit iniquiſſimis etiam pacem emere conditionibus. Hoc autem arrogantior Vezirius & impudentior, abſurdiora præter ſupradicta exigit, in belli nimirum hujus ſumptus duos milliones, & annuum triginta millium imperialium ex Ungaria tributum, ac ut quidam addunt, Nicolai Setini caput, quem unicum Neoſerinwarii extructione offenſionis lapidem, & pacis prævaricatorem aſſerebat. Gocſius iniquiora hæc juſtè rejicit, & veteratorium Vezirii animum bellum, nunquam pacem intendiſſe haud obſcurè colligens, Cæſarem inevitabilis propediem tempeſtatis admonet. cujus fulmine è lethargo Chriſtiani excitati, Cæſar majori quàm hactenus ſtudio nihil ad urgentem defenſionem intermittit, terroreque paſſim increbreſcente, pretioſiora cum Archivio Lintzium præmittens, ipſe Ratisbonam ad indicta Imperii Rom. comitia properat, ibidemque Ordines certis legibus & pactis quadruplicem exercitum, uno Soucheſius Moraviam & Sileſiam, altero Jaurinum, Comorram, Novarinum, cæteroſque Ungariæ limites Montecuculus defendere, Setinius tertium in Croatiam, & quartum denique Ungarorum Palatinus in neceſſitatis caſum

Turcarum poſtulata.

Goeſius

Cæſar tendit Ratisbonam ad comitia.

caſum educere votis communibus II. Julii decreverunt: quorum ſtipendia & annonam Principes & Imperii Ordines, Cæſar tormenta impedimentaque bellica ſuppeditaret. Tum terrore undique perſonante jucundiſſima Viennæ ſuburbia, ne hoſtium fierent receptacula, ſunt diruta, incolis de annona in annum comparandâ edicto publicatum, & univerſa contremebat Auſtria.

28. Vezirius intereà coactò bellico Budæ conſilio Jaurinum aut Comorram præripiendo expeditiorem Viennam occupandi viam patere proponit; illudque quo validiùs robore Solimanni olim illuſerit potentiam, eo martia Muſelmannorum fortitudo nunc fieri glorioſior; ingenti hoc validiſſimoque exercitu poſterorum æternitati celebranda. Omnibus illud, ægrè licet, efficaciter diſſuadentibus, quòd Jaurinum arte & naturâ, commeatu affatim & apparatu; præſidioque munitum validiſſimo, majoris etiam exercitûs viros, non ſine turcici ſolii dedecore, & irreparabili militum jactura eluſurum crederetur. Vyvarinum igitur expeditionis ſcopum decreverunt, jamque iſtuc quatuor peditum millia (alii 16000. ſcribunt) inſtratum Danubio pontem tranſiverant, quem ab horrendâ mox aëris tempeſtate magnam in partem reſciſſum Vezirius Cæſareanos inſidiosè alliciendò divulgaverat, cùm tres ſolummodò naves poſt tranſitum extraxerit, facilè reficiendas. *Vyvarini obſidio decernitur*

Hæc audiens credensq; Forgatſchius Vyvarini præfectus, hoſtem ſibi imminere prævidens, convocato conſilio opportunam modò ſepara-

tas ab exercitu copias opprimendi occaſionem eſſe perſuadere tentavit; ſed refragantibus omnibus, & præcipuè Voltero tribuno (qui à Montecuculo recenter 4. peditum millia urbem defendendi, & nequaquam excurrendi ſe in mismiſſum aſſerebat) dum imbelles & excordes fucos, Regis, patriæque fortunam impiè negligentes improperat, tribuni ne tales audirentur, noctu tacentibus tubis & tympanis, funiculisque extinctis ductore Forgatſchio excurrunt 6000. in hoſtem prope Barckanum ſexdecim millibus modò transvectum, ſed ſecurè indormiſcentem, quem luce dubiâ ſomno adhuc ſopitum fortiter, ſed temerè aggreſſi, incredibilem paſſim ſine obice ſtragem trium millium edidêre, donec evulgato clamoribus periculo, collectisque raptim 20. millium viribus, acie lunari hoſtis Chriſtianos in medium concluſit, qui glorioſam duræ ſervituti mortem præferentes, deſperatiùs vitam cutemque ſatis carè vendendo pugnarunt, donec viribus lacertisque deficientibus ſe hoſtibus ſubmiſerunt, Forgatſchio & Palffio equorum beneficio, paucisque tribunis vix fugâ elapſis Vyvarinum: necata ſunt 3000. quos inter ex Ungaricæ nobilitatis flore CCCC. non ſine temeraria quæſitæ necis ſuſpicione narrabantur: amiſſa quoque ſunt quinque campeſtria tormenta & unum mortarium, capti mille octingenti, quorum 1400. velut canes pane indignos crudeliter contra jus gentium necari Vezirius juſſit, execrabili ſuimet exercitûs horrore & metu, eandem ſibi à Chriſtianis talionem parari præſagientis: reliquos 400. imbellis ſuæ victo-

Forgatſchius cæditur.

victoriæ teſtes Byzantium dimiſit. Nec multo pòſt Serinius cæſis ex Arnautii Baſſæ copiis ſexcentis plures cepit captivos, eâdem talionis pœnâ mulctatos, paucos evulſis oculis, manibusque præciſis juſtæ retalionis teſtes Vezirio relegavit: cujus imperio præfectus Caniſienſis hanc ulturus injuriam, juſto agmine, magnoque impetu Neoſerinwarium Turcæ irruunt; ſed tertiò repulſi, & nongentis interemptis Caniſam uſque à Serinio profligati, feliciorem ejus fortunam vindictamque Caniſienſes metuentes, pretioſiora ſua in ulteriorem transferentes Turciam, à Serinio opportunè intercepti, omnia eidem in prædam ceſſerunt. Serinius Turcas cædit.

29. Sub hæc Vezirius numeroſiſſimis Moldavorum, Walachorum & Tartarorum ſubſidiis confirmatus, relictis in defenſionem pontium Strigonienſis mille, totidem Budenſis, & Eſſeckenſis ter mille quingentis equitibus Novigradum verſus cum exercitu 51400. alii ajunt 716500. movet. Tum Forgatſchius indubitatam Vyvarini oppugnationem prævidens, Monticuculo Jaurini excubanti urbis ſtatum, fatali nuperâ clade martii robore militis deſtitutam dolenter exponit, maturumque petit ſubſidium: mox igitur mille armati cum apparatu commeatuque illuc deſtinati in hoſtium facilè urbem jam modò cingentium fauces incidiſſent, niſi Forgatſchius albis ſimulatæ deditionis ſignis hoſtem cum admiratione ovantem horis aliquot, donec ſuccurſus in urbem admiſſus, decepiſſet: quo feliciter ingreſſo, dum Vezirius deditionis articulos fruſtra expectaret, & For-

gatſchius cruentum defenſionis vexillum exponeret, ille frendens furore maturare jubet impugnationem.

Vyvariſni deſcriptio. Cæterum Vyvarinum germanicè Newhäuſel/ hungaricè Vywar præcipuum ſuperioris in comitatu Nitrienſi Hungariæ præſidium, intra Wagum, Danubium & Neutram Fl. cis Comorronium, paludibus inſitum, à Rudolpho II. poſt occupatum à Turcis Strigonium, ad arcendas eorundem in Moraviam excurſiones & devaſtationes, extructum in ſtellæ figura ſex propugnaculis probè munitum eſt. Inerant tunc præſidiariorum, præter incolas 5000. ſub præfecto & tribunis Adamo Forgatſchio, March. Pio, Walterio, Grana, & Lucatello, manu & conſilio expeditiſſimo; omnes in ſtrenuam defenſionem jurati: cujus Mechmet Vezirius haud ignarus, primùm literis (17. Auguſti) urbis provocat deditionem; tum ſexaginta tormentis muralibus horribiliter concutiens, pleraque deſtruit ædificia, nullusque deinceps abiit dies, quo non ultra trecentos quinquaginta ſexagintàve librarum globos, ſine ulla quiete & ſecuritate ſuſtinerent obſeſſi. Nec minus hi ſegnes tormentis Vezirii papilionem evertere, grande tormentum 96. libras evomens, Braunſchwicenſe dictum, deſtruere, & vaſtam in iteratis inſultibus Turcarum ſtragem edere non intermittunt; ſimulque Heiduci Strigonium inter & Budam commeatuum currus intercipiunt, elapſis Zerretum illis, qui æs militare & veſtimenta vehebant.

Cogitur

30. Obſidionis porrò initio in Auſtriam Mor-

Moraviamque legiones aliquot Turcarum & Tartarorum tùm pabulandi, cùm depopulandi causâ emiſſæ, quæ Wagum fl. tranſituræ à Tſckiakio Comite ibidem cum 4500. conſidente, ſexcentorum clade rejiciuntur; altero autem die numero auctiores majori perrumpunt furore, pelluntque noſtros, internecione ſine dubio deletos, niſi trajecto, & tempeſtivè diſſoluto ponte Preſburgum convolaſſent. Inde pluribus confirmati Tartarorum agminibus (viginti univerſim millia dicebantur) feraliter Olmutium uſque penetrantes, longè latèque ferro & igne omnia devaſtant, ſacra profanaque contemerantes, nec inſani metam furoris in trimula ponunt infantia; ſed pede in altum ſublatos mucronibus diſſecant, alios terræ aut parietibus alliſos trucidant, alios ſaccis vivos in equis circumferunt, ut ſociis adeo Turcis horrori fuerint & deteſtationi: viros ſenectute aut viribus debiles mactant, alios cum puellis & matronis captivos crudeliter abducunt. Plures terror in montibus, ſilvis, ſpeluncis, & concavis abdiderat arboribus, quos patriotæ transfugi, perfidi viæ duces ſuâ linguâ germanicâ, aut hungaricâ, aut bohemicâ latitantes inſidioſo dolo prodebant, atque ita duodecim captivorum millia in fœdam abducta ſunt ſervitutem: illi tamen patriæ proditores, ut meritam nunquam effugiunt pœnam, à Comorrienſibus aliquot intercepti, vivi rogo ſunt cremati, quidam ferro paloque transfixi, alii recenti equinæ cuti involuti miſerrimè perierunt. Plurimis autem Chriſtianis, quos fuga Turcarum furori ſubduxerat,

Turcæ & Tartari Auſtriam & Moraviam vaſtant.

Eorum barbaries.

Vienna fuit perfugium, quæ omnes continere, tueríque non potuit; ſed aliquot curruum millia in proxima Danubii inſula ſub dio cum innumerabili hominum multitudine, in continuo gemitu & clamore pernoctabant, ſpectabantque noctu diuque patriam ſuam buſtis circumquaque & flammis ſine ulla obſiſtentia conflagrantem; unde meritò ſibi etiam metuens Cæſar, convaſatis pretioſioribus & archivio, Lintzium abiit cum ingenti omnium terrore, & inconſolabili dolore, fatalem patriæ, fortunarum ac hominum interitum certò ſibi præſagientium. Sed cùm hoſtis abs Ravensburgenſibus, & Nicolaburgi obſidione fortiter rejiceretur, & Cæſareus ſpatſim miles plurimos carptim deleret, annonâ etiam, viribusque plurimùm accîſis, ſpoliis tamen & captivis onuſtiſſimus eſſet, pridie idus Septembris viam relegens Vyvarinum ad ſuum revertitur exercitum: quo maxima etiam annonæ & monetæ copia contendebat, quam Serinius cæſis ter Janizarorum millibus feliciter intercepit.

Cæſar Lintzium abit.

31. Perforato nunc latius Vyvarini muro, alterum jubet Vezirius tentari inſultum, quem præſidiarii ex propugnaculo Forgatſchino facilè fortiterque, ex Fridrichino difficilè, valido tamen per tres horas virium robore propulſarunt; nec abſceſſit hoſtis à propugnaculi radicibus, niſi ejectis noctu pireis vaſis, binis potitus vexillis repulſus, non levi propugnantium, grandiore oppugnantium internecione. Ordines quidem Hungariæ, quorum res agebatur, agonizanti Vyvarino metuentes, armatorum millibus

millibus quinquaginta urbem obſidione liberari poſſe, omni ſtudio per Croatiæ Banum, ut vocant, Nicolaum Serinium conſultabant; ſed conſilium optimum peſſimâ religionis diſcordiâ (quæ unica eſt Ungariæ ruina) & diuturnâ auxiliarium copiarum abſentia (quas per legatos Ratisbonæ Principes ſubmittere decreverant) omninò eſt extinctum. Hæc probè perpendens Vezirius, & moræ periculum prævidens, diu noctuque urbem continuò impugnando tentare, tormentis & cuniculis muros ſolo æquare, tertium ceteris truculentiorem parare inſultum, adigere fuſtibus in pugnam Janizaros inſano quodam furore tranſcendere valla &mœnia,iiſque lunas quatuor ſupra denas implantare non deſiſtebant: quàm generosâ verò fortitudine,& quàm heroicâ præſidiariorum conſtantiâ & alacritate vallo Muſelmanni dejecti, reſciſſæ lunæ, aquilæ repoſitæ, dici vix poteſt; nimiâ tamen omnium defatigatione, cunctorum fermè centurionum, tribunorumque vulneratione, & 400. gregariorum occubitu in hac impreſſione; Turcarum verò 5000. cum Agalarſo generali equitum magiſtro, 2. Tschori Baſſis, 2. Capizi Baſſis, & Aga quodam generoſiſſimo ſunt interempta. Sed, quo fato, vel incuriâ neſcitur, armamentarium cum omni bellico apparatu & pulvere, cædeque 50. militum & aliquot centurionum in aëra evibratum infauſtam maturavit deditionem, quam cives & milites, ac imprimis Ungari minaciter adurgebant, refragantibus maximè Forgatſchio, aliiſque tribunis; cùm autem miles intolerabili exhauſtus labore

Vyvarinum Turcis deditur.

ob imminens certò periculum arma dejiceret, tribunique omni ſpe tuendi ac ſuccurrendi eſſent deſtituti, miſſo ad Vezirium nuntio ſeptimo Kalend. Octobris juſtis urbem conditionibus tradiderunt, non extremâ tamen necdum coacti neceſſitate, ideoque arreſto Forgatſchius aliique tribuni innodati, examinatâ demum causâ libertati ſunt reſtituti. Vezirius potiundâ urbe gaviſus, pactis omnibus à Forgatſchio & præſidiariis propoſitis non modò ſe acquieturum, ſed ſanctè etiam ſervaturum pollicetur. Pactum fuit, ut ſonantibus tubis & tympanis, volantibus ſignis, cum omnibus impedimentis, ſine machinis tamen urbem egrederentur, cujus fidei obſides binos Baſſas præfecto Commorienſi Adolpho Buchemio ſubmiſit, qui eosdem quòd Cæſareis repugnaret conſtitutionibus, remiſit, ſicque 5. Kalend. Octobris impoſito urbi ſeptem millium præſidio ſub præfecto Kurt, patria Saxone, Chriſtianorum tria millia ſexcenti ſani, vulnerati, infirmique quingenti Comorram à Turcis innoxiè deducti, & imminentes illis Tartari, rapinis & latrociniis aſſueti, egregiè ſunt repulſi, relictis ibidem 60. tormentis bellicis aut vix uſui, aut quaſſatis, & abundanti vini copiâ.

32. Vyvarinum multo Turcarum ſanguine (15000. alii ajunt 25000.) emptum, quantum illis univerſim gaudium, & expeditiorem Hungariam ſuperiorem, Tranſylvaniamque ſubjugandi contulit potentiam, tantum orbi Chriſtiano intulit ruinæ terrorem: quocirca Vienna, & totus Danubii tractus Lintzium uſ-

que

que validis ubique muniebatur aggeribus, & propugnaculis. Presburgum oppugnationi, ut credebatur proximum, mœnibus quidem antiqui roboris cinctum, ſed tanti exercitûs viribus reſiſtere minimè potens, & ſuam metuens funditùs everſionem, ſollicitantis ſe Vezirii poteſtati ſubmittere, & nullum Cæſaris admittere præſidium decreverat, quòd cives publicato ubique Vezirii Manifeſto decepti, credebant omnes per triennium vectigali & tributo fore exemptos, qui ſe Magni Mahumetis tutelæ commiſiſſent, donec Strozzii Comitis rationibus perſuaſi, legionem ejus admiſerunt, qui & cives novâ fidei in regem ſuum conſtantiâ erectos confirmare, & urbem validis utcunque vallis & loricis roborare non intermiſit. Levenza verò haud exigui roboris præſidium eodem exanimata terrore, ſolis promiſſionum fraudibus circumventa, quinta nonas Octobris perfidam ſuî fecit deditionem; ſecuta mox Nitra, propugnaculum fermè invincibile, primâ Vezirii provocatione turpiter à præfecto tradita; cujus poſtmodùm perfidia capitis ſectione mulctata eſt. Favente ſic Martis fortunâ jam etiam hoſtis oppidum Freyſtadel ad fluvium Waag ob præſidiariorum rebellionem capit; Schintam etiam vel Schintaviam Vezirius tum pollicitationibus, tum machinis pulſabat; ſed quia locus copioſo tormentorum apparatu & commeatu, Commendator etiam Nicolas Bavarus animi ac fidei juratæ conſtantiâ probè munitus erat, Turcarum furorem ſannis eluſit. Cùm Vezirius ſuo poſiturus finem triumpho aulæ ſe vellet reſtituere,

Presburgi timor

Levenza capitur.

Et Neutra.

Non Schinta. Pet. Serinus cædit Turcas.

tuere, Aly Baſſam, Licchæ Boſniæ præfectum cum 9. armatorum millibus in Croatiam, abſente, & Ungarorum generalatum ambiente Nicolao Serinio, dirigit, hoc mandato, ut viam ſibi quovis conatu in Italiam aperiret. Sed occurrente cum ſolis ſexcentis militibus Petro Serinio, non ſolùm à meditato progreſſu prohibitus eſt præfectus; ſed commiſſo prælio peſſimè habitus, deſideratis Turcarum mille ducentis; qui præſenti neci ſunt addicti, & trecentis aliis tractis in ſervitutem, inter quos præcipuæ notæ duces aliquot numerabantur. Sed haud longè poſt iisdem turpiter ceſſit Novigradum, arte & naturâ in montis cacumine ſitum, ſaxoſa circum foveâ triginta pedum altitudine roboratum, & valido 600. præſidio omnique apparatu inſtructum.

33. Quâ fortunæ benevolentiâ ſi Vezirius uti noviſſet, omnem facile regionem ſubjugasſet; terrorem ſiquidem circumferebatur ubique, & ſine ullo Cæſarei exercitûs, ſe nimiæ hoſtium multitudini & furori ſubducentis obſtaculo ad ipſa Comorræ, Jaurini & Presburgi mœnia liberrimè ſæpiùs excurrens, fruges & ſata, ſacra profanaque omnia evertebat, donec inclinato in hyemem anno, potiorem ad hyberna militem dimitteret, & volatili triginta millium qua Turcarum, qua Tartarorum exercitu Croatiam, ſubinde & Styriam jubet depopulari: quâ excitus famâ Nicolaus Serinius recens ex Ungaria redux, exiguo equitum agmine 480. raptim collecto Muhræ Fl. tranſitum impediturus, in altera cernit ripa hoſtem confidentem, auditque alibi

Nicol. Serinius cædit Turcas.

bi jam duo millia flumen tranſiiſſe; ille viribus multùm licet impar, ſed magno aggreſſus animo cum Chirfalca tribuno, paris generoſitatis ſocio, quinta Kalend. Decembris ex inſidiis irruit, turbat, fugat, internecione cædit, & quos non framearum acies, aquarum abſorbuerunt voragines, unde equi ſupra mille emerſi in poteſtatem vincentium venère; ſicque Croatia & Styria in victâ Serinii fortitudine (quam Vezirii vindicta opprimere non potuit) ſimul & immortali nominis ejus gloriâ tunc conſervatæ ſunt; hoſtis verò hac mulctatus ſtrage Caniſiam irâ frendens progreditur. Vezirius interea victoriis elatus, univerſæ veluti Hungariæ domitor Budam triumphaliter ingreſſus, Goëſio Cæſaris internuntio, ejus juſſu ibidem durante Vyvarini oppugnatione, ob incertam expeditionis aleam ſubſiſtenti, ſcriptas belli cauſas purpureo ſacculo, auratoque munitas ſigillo tradit Cæſari exponendas, eumque Viennam remittit. Singularis inter tot Chriſtianorum exitia modeſtiæ & æquitatis exemplum Sultanus edidit, qui cùm Adrianopoli inter feſtivas acclamationes ob devictas urbes inſolentem aliquorum Judæorum proterviam (qui victis, & victorum religioni Chriſtinæ inſultabant) obſervaſſet, eos fuſtibus cædi, & ſupplicio inſultus retundi imperavit.

Judæi Chriſtianis inſultanter puniuntur.

34. In Portugallia Loyſa Guzmannia Alphonſi Regis mater, tutrix, & Joannis Regis teſtamento regni adminiſtratrix, pluribus inſani Regii filii laceſſita injuriis, decimâ martii relictâ aulâ monaſterium ingreſſa, petentibus in diſ-

Aloyſia Reg. Luſitaniæ monaſterium ingreditur

ceſſu

ceſſu filiis Alphonſo & Petro maternam benedi- ctionem denegat, & Alphonſus deinde liberius inſolentis vitæ curſum continuans, noctu latronum turbâ ſtipatus per urbis vicos obvios quosvis involans delumbat; & ad mortem uſque Petrum de Merces ſecretarium cædit. In hoc perplexo rerum & regni ſtatu Hiſpani favente prioris anni Marte illecti Duce Joanne Auſtriaco 20. Junii quindecim peditum & ſex equitum millibus Eboram, primam poſt Ulyſiponem urbem obſidione circumdant, Octo tum civium tum militum millibus ſub præfecto Antonio Henrico de Miranda munitam, & novem dierum circulo deditione expugnant; & jure quidem victoriæ Auſtriacus in regnum Caſtiliæ tria Eborenſium præſidiariorum millia erat traducturus, civibus bonorum expoliationem pacto ſeptuaginta millium ſcutorum pretio redimentibus. Quo infauſto deditionis nuntio tota Ulyſſibona civitas terrore contremuit, & plebs tumultuata inſano furore & armis urbem pervagata aulam Archiepiſcopi planè diripiunt, deinde domum marchionis Marialvæ, urbis præfecti, & demum regiam arcem ſeu aulam accedentes, clamore & vociferatione iram & furorem in regios miniſtros & officiales regni proditores, & oppreſſores effundunt, quibus Rex benignis ex feneſtra verbis ſatisfactionem & amneſtiam promittens, altero poſt die poſt multas cædes & expilationes quieverunt, redditis confeſſariorum & concionatorum monitò & inſtantiâ, præcipuis fermè auri, argenti, pecuniarum, mercium, &c. prædis & rapinis ſuis-

Ebora capitur.

Tumultus Ulyſſibonæ.

met

met dominis; tumultûs autem auctores dignis poſtea pœnis, ſub alio tamen prætextu ſunt caſtigati. Obtentâ jam Eborâ Joannes Auſtriacus regem ſe modò Portugalliæ dici & venerari ambiebat, quia Philippus Rex Hiſpaniæ illi Portugalliæ regnum promiſerat, ſi illud ad priſtinam Hiſpanorum poteſtatem reduceret; Auſtriacus igitur ſpem victoriæ continuaturus, exercitum ſuum milliari ab Ebora Odigebam Fl. trajecturus, ab altera fluminis parte à Schombergo Luſitanorum Generali iteratis tormentis impeditur, tandem pugnam cum Gallis & Anglis, qui ad Luſitanorum auxilium tardius advenerant, coactus conſerere, Hiſpanos magnâ fortitudine de monte depellunt, aciem confundunt, & in fugam convertunt; Auſtriacus quidem ingenti Hiſpanos conamine in ordinem & aciem vi & minis tentat reducere, ſed terrore prævalente, & Schombergo inſequente, vix ipſe ſummâ præcipitantiâ Aronches cum ſuis evaſit, relictis omnibus impedimentis, tormentis, militari cancellaria, prætorio regio ſigno, 15000. equis, 6000. bovibus & ſpoliis incredibilibus: cæſa quoque ſunt Hiſpanorum quatuor millia, totidem capta; Luſitanorum tantùm cæſi ſunt mille, qui mox Eboram recuperantes hac memorabili victoriâ jus regni ſui confirmarunt, quod Hiſpani ſic amiſerunt, nunquam recuperaturi, vid. num. 53. 62. Memorabile illud cum in pleno hoc certamine hiſpanus Marchio Pitovanus ardentius pugnaret, à cane ſuo fideliter adjutus, tandem tamen occubuit, canis hortendè ululans à domino mortuo nunquam receſſit,

Hiſpani à Luſitanis cæſi.

Luſitani Eboram & regnũ recuperant.

Canis fidelitas.

ceſſit,

ceſſit, nec corpus ab amico terræ mandatum canis voluit deſerere, nec quicquam ex dolore commedere, ſed fame in loco ſepulturæ mortuus eſt. *Paſſarellus de bello Luſitan. lib.* 8. *fol.* 379.

Finis civilis belli polonici.

35. Confœderati Poloni exercitus ſeptem adhuc ſtipendiorum ſuorum milliones exigebant promiſſos, graves interim exactiones & inſolentias exercentes, quamvis Rex Caſimirus, & Regina cimelia ſua, & ſenatores comitatus ſuos oppignerare vellent; ipſi paratâ ſibi ſolvi pecunia poſtulabant; quare Rex hâc uſus Maximâ *Divide & imperabis*. Per univerſalia igitur manifeſtat, ut quicunque debita ſua peterent ſtipendia, Leopolim veniant intra quatuor hebdomadas paratâ pecuniâ conciliandi & ſolvendi, quo etiam 24. vexillationes, & tota Skrzetuskii legio regis partes amplectuntur: ceteri mitiora ſequentes conſilia admittunt quinque milliones paratâ ſolvendos, & pro duobus reliquis comitatuum oppignerationem; utque Rex arctiùs eos inconſtantes ſtringeret, externos ad ſe milites invitans poſtulat, refractarios verò Polonos patriâ proſcriptos ſeu banditas declarat, armorumque uſum per totum Poloniæ regnum illis interdicit, atque ita Rex magno externorum militum numero auctus dum refractarios parat invadere, ſupplices pacem petunt, quæ tandem ſexto nonas Julii magnâ ſolemnitate Leopoli ſolvendo tres & medium effective milliones ſancitur, dilaceratis & combuſtis in templo publicè omnibus confœderatorum pactis & literis, revocatisque ad novum fidei Sacramentum

tum

rum copiis, atque ita cum perpetua amneſtia reddita eſt Polonis à civili bello quies, quæ regno jamdiu exulabat. Tunc Rex duplici Lithuanico & Polonico exercitu movet contra Moſchos in Ucraniam, ubi Rex accepto à Coſacis Zapporovenſibus homagio, & mille ducatis in auro, ulterius ad flumen Boryſtenem progreſſus, urbem Woronhovam, & plures alias, validique roboris Oſtrzen abſque ulla fermè reſiſtentia occupat, ibique militi ſuo commoda diſpertit hyberna, unde variis in hoſticum excurſionibus ingentes retulerunt prædas.

Rex Poloniæ Moſcos invadit.

In Hybernia ſectarii novo rebellionis experimento in proregem, regiæque dignitati addictos conjurant, & vi, ſolo rebellionis malleo, retunduntur: ut mirum proinde ſit, quàm facili genioſe in perverſa traduci gens patiatur, cujus aliquando inter tot Europæ populos, nulla tali macula reſperſos non erubeſcat. Ceterum Rex ipſe in convocato hujus anni initio parlamento ſeipſum reddebat ſuſpectum vel nullius eſſe religionis, vel Romano-Catholicæ, vel ſi proteſtanticæ, non tamen talis liturgiæ, qualis ab epiſcopis eſſet introducta, eò quòd Non-Conformiſtas perſecutus, eorum conſcientiæ libertatem conſtringebat, unde hactenus & nunc ortæ tantæ in Anglia turbæ & inquietudines. Quam Catholicæ religionis ſuſpicionem augebat initum Regis cum catholica Luſitana infante connubium, & tot Jeſuitarum, aliorumque catholicorum liber in Angliam aditus; unde nec epiſcopi, nec Non-Conformiſtæ regi fidebant. Rex ut hanc catholicæ religionis ſuſpicionem à ſe remo-

Hyberni rebelles repreſſi.

Rex Angliæ ſuſpectus de religione.

Catholici Angliâ exulant.

removeret, omnes publico decreto Jeſuitas, aliosque catholicos exulare jubet; voluitque parlamentum, ut proteſtantica religio juxta leges Eliſabethæ & Caroli I. uniformiter inviolatè ſervaretur; id quod etiam Scotiæ parlamentum inſtitutâ nationali Synodo confirmavit.

Naſcitur Etruriæ Duci filius.

Sextâ Auguſti die naſcitur Coſmo III. magno Etruriæ Duci (qui anno præterito Margaritam Aloyſiam Gaſtonis Aurelianenſis Ducis filiam duxerat) primogenitus filius, Magni item Principis nomine, familiæ uſu, vocatus Coſmus (ab aliis Ferdinandus) nec minoris lætitiæ ſignis in aula ſpe recreata exceptus.

Differentia Pontificis & Ludovici.

36. Difficiliori indies evadente inter Alexandrum VII. pontificem, & Regem Galliæ Ludovicum XIV. reconciliatione, quæ in oppido S. Quirici in finibus Thuſſiæ tractari cæperat, ob implicitas aliorum diſſidiorum cauſas, quæ nullo nexu adnatas inter utrumque controverſias ſpectare videbantur. Pontifex ad compoſitionem ſedi apoſtolicæ honeſtam, non probroſam inclinatus, & Collegium Cardinalium literis plenam Regi offerebant ſatisfactionem, ſed nullam Rex aliam volebat, quam à Crequio injunctam, nimiùm Sedi Apoſtolicæ infamem, Hiſpano & Venetis fruſtraneo ſtudio pro compoſitione laborantibus.

Pontifex conſcribit militē.

Pontifex tandem milites, 20. peditum, & duo equitum millia, præter in Germania & Helvetia auctoratos conſcribi imperat, ut ſe vi quâ poſſet tueretur, collegitque in nervum bellicum mille quingenta Scutorum millia, cui clerus italicus trecenta millia contribuit. Hiſce minimè perterritus Ludovicus, comitatus Avenionenſem & Vindalcinum, ut perperam à gal-

lica

lica ditione diſtractos ſuæ fecit poteſtatis; Avenionenſes namque auditâ Regis cum Pontifice differentiâ, quia pontificii regiminis ob locorum diſtantiam, & genii gentium diverſitatem jam dudum odioſi, pontificium Vice-legatum Laſcarum excitato tumultu urbe expellunt, ejus miniſtros peſſimè tractant, & confractis dejectisque pontificis & Eccleſiæ inſignibus liligerum Regis ſubſtituunt, & Aquarum Sextiarum ſenatus, ſeu parlamentum eosdem Provinciæ Comitatus edictâ ſententiâ Ludovico adjudicat; quo decreto promulgato ipſe Senatûs præſes, & aliquot alii eo ſe conferentes, utriusque poſſesſionem regis nomine apprehendunt. Ex adverſo autem pontifex hos Provinciæ Comitatus Avenionenſem & Vinaſcinum à Johanna Provinciæ Comitiſſâ Clementi VI. pontifici & Sedi Apoſtolicæ 80. florentinorum florenorum millibus fuiſſe venditum anno 1340. aſſerebat, quod pretium non paratâ quidem pecuniâ perſolutum, ſed variis illi ſatisfactum eſt prætenſionibus, quas varii ibidem ab anno 1306. usque ad 1376. à Clemente V. uſque ad Gregorium XI. reſidentes ſeptem pontifices à Johanna exigebant, debitas. Cœpti interim poſt multa utriuſque partis molimina, quibus bellum pativari videbatur, novi in oppido Pontis-Bello, vicini in finibus Galliæ & Sabaudiæ tractatus, præſentibus legato Veneto Ludovico Grimano, & Secretario Hiſpano Turietâ mediatoribus, miniſtris etiam Parmenſi, Modenenſi, & Abbate poſtea Cardinale Raſpono continuantur; ſed brevi interrupti & reſciſſi, quòd Rex conſtanti animo inter cetera, quibus ſibi ſatisfieri contendebat.

Avenion Rex occupat

Vult Caſtrũ Parmenſi reſtitui.

debat, ſtatûs Caſtrenſis reſtitutionem Parmenſi Duci vellet evincere, quod Raſponus abſolutè extra pontificis eſſe poteſtatem aſſerebat, prædeceſſorum pontificum bullas, Caſtrum Cameræ Apoſtolicæ ob æs Monti pietatis à Parmenſi principe debitum adjudicantes, revocare & evertere. Inde gallicæ copiæ Italiam verſus exiguis turmis ſub mareſcallo Pleſſio cœperunt progredi; ſed quæ omnes in ditionem Parmenſem (qui in turbida aqua Caſtrum piſcari deſiderabat) convenientes uſque dum juſti exercitûs numerum implerent. Claſſis item gallica ſub Belfortio Duce maria Genuenſe, & Etruſcum oberrans, exſcenſionem in aliquod ſtatûs eccleſiaſtici litus minabatur; ſollicitis interim pontificiis delectus ſuos in Germania & Helvetia accelerare, quibus ſeſe contra invadentem tuerentur; ſed qui ulterius non ſunt progreſſi, quòd illis tranſitum Veneti negarint, exceptis aliquibus, qui Tergeſte Angonam ſunt tranſvecti. Pontifex demum rem Caſtri controverſam Apoſtolico Cardinalium collegio examinandam proponit, quorum plerique ſuadebant Caſtri reſtitutionem, ſex autem præcipui Pallota, Pallavicinus, Corradinus &c. ejuſdem Ducatûs poſſeſſionem vi & armis manutenendam decidebant.

Mittit militem in Italiam.

37. Carolo IV. Duce Lotharingiæ jam conceſſæ Ludovico Regi ditionis pœnitente, & pactam proinde Marſalii deditionem detrectante, rege ſuas pactorum conditiones non adimplente, Comes Guichius locum valido præſidio, apparatu & commeatu ſub præfecto Marchione Harucurtio optimè proviſum obſidet, obſi-

Capit Marſalium Lothar.

dio-

dionemque incerto urget exitu, niſi Rex ipſe eam, jam per aliquot menſes protractam ſuâ præſentiâ, & novis inſtauraret copiis. Rex ipſe Metas abiens per Machionem de Gevres Marſalii deditionem à Carolo poſtulat, quam ſi denegет, captam nunquam reſtituendam ſciret. Carolus tantæ Regis potentiæ impar, offert 26. Aug. deditionem, & novis paciſcitur conditionibus, ut nempe Dux omnibus urbis & territorii reditibus & fructibus fruatur & gaudeat. Demum ad finem anni 8. Novembris Ludovicus Rex antiquum anno 1453. ſub Carolo VII. & Ludovico XI. initum cum Helvetiorum Cantonibus fœdus ſolenniſſimâ in templo B. Virginis Pariſiis pompâ renovat, & corporali utrimque juramento confirmant; vi cujus Rex illis quotannis 40. aureorum Rhenenſium millia numerat, quorum medietas urbibus, altera particularibus urbium ſenatoribus cedit, cui viciſſim Helvetii certum peditum numerum ſub condigno ſtipendio toties quoties auctorare permittunt. Fœdus Cantonum cum Ludovico

Tentata eſt Haffniæ proditio, cujus inſidiis in Friderici Regis caput conjurabatur. Antequam tamen expetitâ occaſione matureſceret, Regi detecta Corvitio Comiti Alefeldio, qui eam moliebatur, exilium & bonorum mulctam conſcivit, ipſo ſibi fugâ ſalutem parante. Diſſipati pari vindictâ complices, ut propterea Fridericus ſecundâ fortunâ utens, ſecurus ad mortem uſque regnaverit. Inſidiæ in Regem Daniæ.

Bernardus de Galen Epiſcopus Monaſterienſis Cæſaream commiſſionem in Principem Friſiæ orientalis, vadem debiti Comitis Leichtenſteinienſis Eyderſchantz

nienſis aliquot centum millium rhenenſium effe-ﬂurus, per tribunum Elverſeldum propugnaculum Eyderſchantz tumultuariè occupat, & valido robore fortificat, hujus territorii ambiens dominium; quo Status Hollandiæ, quibus hoc territorium Eyderland erat oppigneratum, ad arma compulſi, non ſine cauſa militarem epiſcopi animum metuebant.

Vallenſes in Subalpinis oppreſſi.

Acatholici Lucernæ, & aliarum in Subalpinis Vallium incolæ aliquot locis inter montium prærupta occupatis, in iis ſeſe ad montes la Vachere & Angrogne munire contra Ducem Allobrogum cœperunt, ejusque militem ſtrage ducentorum & adhuc 300. repulerunt, priſtinam ei fidem & obedientiam detrectantes: aſt majoribus in eos ſub Marchionis Damiani copiis immiſſis excedere juſſi, & ſolito ſubeſſe jugo coacti ſunt, dum eodem tempore Kalend. Octob. Auguſtæ Taurinorum vitæ multis laboribus exercitæ finem fecit Chriſtina Henrici IV. Regis Franciæ filia, Victoris Amadei I. Allobrogum Ducis mater, præmortuâ ipſi Margaritâ filiâ, Ranutii II. Parmenſis Ducis uxore, qui illi Iſabellam Eſtenſem ſubſtituit, Franciſci Mutinenſium Ducis filiam. Sic Palatinus Philippus Wilhelmus omnes Lutheranos & Calviniſtas publico decreto ſuis ducatibus Juliacenſi & Montenſi exulare jubet, qui poſt annum 1650. in his ſedem & domicilium finxerint, Fridericus Wilhelmus Elector Brandeburgicus heterodoxorum tutor & patronus Palatinum Weſtphalicæ pacis admonens cùm nihil efficeret, uſus repreſſaliis Patres Capucinos eo uſque Clivis

Mors Chriſtinæ Sabaud.

Heterodoxi Juliacenſes.

ex-

expulit, donec Palatinus juxta pactos utrimque receſſus ſuis heterodoxos ſedibus reſtitueret.

24. Julij obiit Haſſiæ Landgravius Wilhelmus VI. anno ætatis 34. cui primogenitus filius Wilhelmus VII. ſub tutrice matre Hedwige Sophia Electoris Brandeburgici Georgii Wilhelmi filia ſucceſſit, quem poſt immaturam brevi mortem frater Carolus eſt ſubſecutus; hujus poſt aliquot annos filius deſponſatâ ſibi Regis Sueciæ Caroli improlis defuncti ſorore Ulricâ, electus eſt Rex Sueciæ. Mors Wilhelmi Haſſiæ Landg.

38. Ratisbonæ hoc anno cœpta ſunt haberi comitia, quæ hactenus perdurant, præter veterem Imperii uſum, quo tales conventus ad tempus, & ad expedienda certa negotia inſtitui ſolebant. Tria in his propoſita ſunt ordinari & provideri, Principum videlicet adverſus Septemvirorum collegium querelæ, quibus aliquam ſibi partem in pactis conventis, quæ eligendis Imperatoribus ſolent proponi, ſtatuendis negari reclamant. 2do. Monetarum ad juſtum valorem reductio, quæ flagrantibus bellis effici nequiverat. 3. Militiæ denique ad Imperii defenſionem omni tempore adhibendæ, numerus & ſtipendia decernenda. Quæ materiæ incidenti continua rerum novarum ſucceſſione conſultationes jam per tot annos diſtinuerunt, & ex inſtabili & temporaneo perpetuum deinde & fixum Imperium Senatum inibi conſtituere. Comitia Ratisbonæ instituta.

Madriti Comes de Pötting pro Leopoldo Cæſare cum primario Hiſpanicæ aulæ miniſtro Medina de las Torres nuptialem confecit pactionem cum ſecundo-genita Infante Margareta Nuptiæ Leopoldi cum Hiſpana.

Thereſia, quæ tum quidem concluſa & publicata, ſed poſt triennium priùs pluribus de victis difficultatibus eſt adimpleta, quæ pluribus videbatur impoſſibilis.

Puer ab urſa altus. In Lithuania hoc anno Epiſcopus Vilnenſis in venatione urſinum octo novemve annorum offendit puerum, ſpecie hominem, geſtu greſſu & more urſum, manibus & pedibus quadrupedantem; hunc Regina Poloniæ ut hominem veſtivit & aluit, delectabatur vero carne crudâ & ſanguine, odoreque herbas dignoſcebat: caſu videns urſum acceſſit, amicabiliter ſibi blandientem: nunc inter homines erecto ad ſidera vultu & corpore graditur. Videtur mirâ Dei providentiâ ab urſa in ſilva altus ante ſex-vel ſeptennium à matre amiſſus, ut ſcribit, qui ipſum ſuismet oculis vidit. Adeo à teneris aſſueſcere multum eſt.

Sex Cardinales creantur. 39. Anni Sexageſimi quarti ſupra milleſimum ſexcenteſimum initio 14. Januarii Alexander VII. pontifex ſex Eccleſ. Romanæ creavit Cardinales, Hieronymum Boncampagnum Bononienſem, ibidemque epiſcopum, Celium Piccolominum Senenſem, ibidemque epiſcopum, Carolum Bonellum Romanum, Carolum Caraffam Neapolitanum, Paulum Savellum Romanum, & Angelum Ceſum Romanum rotæ auditorem, omnes viros egregios, pios & doctos: docuit illos Deus ſcientiarum dominus bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam. 1. *Reg.* 2. 3. Quidni ſtudiorum labor multa mereatur. *L.* 1. *C. de aſſeſſ.*

Bichius Prior, nepos Pontificis, & Souvreus com-

Pax inter Alexandrũ & Ludovicum reintegrata.

commendator Ludovico gratus & familiaris, ambo ordinis Melitenſis equites, de controverſia inter Pontificem & Regem privatim differentes, dum hic Regis mentem aperiret, non adeò ſtrictè ab illo exigi Principatus Caſtri reſtitutionem, cùm deeſſet Parmenſis debiti ſolutio, &c. res eo tandem devenit, ut Bourlemontius rotæ auditor, Regis plenipotentiarius Româ mitteretur Piſas in Etruria, cum Pontificis plenipotentiario Raſpono Abbate, poſtea Cardinale, differentiam compoſiturus, ubi agitata aliquamdiu vanâ ſpe & metu multorum hæc tandem controverſia finem accepit, tractatu pridie Idus Februarii ſancito, quo Ducatus Caſtri reſtitueretur Duci Parmenſi, ſi debitum perſolverit; econtra Pontifex Duci Modenenſi, ſeu familiæ Eſtenſi pro Valle Comachii plenè ſatisfaciet, illique reſtituet jus patronatus Abbatiæ Pompoſæ & parochiæ Bondenæ: deinde Pontifex rerum geſtarum excuſationes per Cardinalem Flavium Chiſium nepotem tanquam legatum à latere Pariſios ad Regem transmittet: quod idem Pariſiis faciet Cardinalis Imperialis; Cardinalem autem Maldachinum Pontifex Romam revocet, omnibusque honoribus & officiis reſtituet: Marius Chiſius ſcripto verificet ſe rerum 20. Auguſti 1660. Romæ geſtarum inſcium eſſe & innoxium, manebitque Romæ exul, uſque dum Flavius Chiſius Pariſiis Regi ſatisfecerit; Auguſtinus verò Chiſius revertenti Romam Crequio obvius conteſtabitur hujus rei diſplicentiam Pontificis; quod idem Berenice Princeps Farneſiana Crequii Duciſſæ præſtabit: ſicq; Rex perpetuâ oblivione ſepeliet vim Oratori ſuo Crequio illa-

Conditiones.

illatam, & Avenionenſem civitatem, totumque Vindaſcinum Comitatum Eccleſiæ ex integro reſtituet: gentem denique Corſicanam à Sedis Apoſtolicæ militia edicto arceat perpetuò, & pacis redintegratæ memoriam, pactaque in marmorea columna ſculpi Romæ in loco vigiliarum procuret, quam *Joan. Palatius in vita Alexandri VII.* deſcribit: *In execrationem damnati facinoris contra Excell. Ducem Carolum Crequium, Oratorem Regis Chriſtianiſſimi, à militibus Corſis 13. Kalend. Septembris anno MDCLXII. patrati, Corſica natio inhabilis & incapax ad Sedi Apoſtolicæ inſerviendum, ex decreto & juſſu Sanctiſſimi Domini noſtri Alexandri VII. Pontificis Maximi edito, in executionem concordiæ Piſis initæ ad perpetuam rei memoriam declarata eſt anno MDCLXIV:* vid. num. 80.

Cardin. Flavius Chiſius Pariſios abit.

Poſt hæc Card. Flavius Chiſius menſe Majo tanquam legatus à latere cum cruce ipſi à Pontifice tradita, magno & pretioſo comitatu Pariſios profectus, juſſu Regis magnificentiſſimè à Rege, ejusque matre Fontis Bellaquei exceptus, poſt ſolemnem coram Rege excuſationem, & facinoris deprecationem aureâ quinquaginta millium coronatorum cruce donatus, Pariſios medius inter principem Condeum & Ducem Enguienſ. albo inſidens mulo, à Clero ſæculari & regulari ſolemniſſimâ pompa ut legatus à latere in Cardinalitio habitu eſt ingreſſus, inde triduo pòſt Romam eſt reverſus. Pontificis autem frater Marius Chiſius eadem qua Flavius die Roma exiit Sienam locum exilii, comitante eum uſque Gandolphi caſtellum Pontifice, quem

Marii Chiſii exilium.

quem Crequius S. Quirico Romam reverſus ad ſolemnem Pontificis audientiam admiſſus, & ſatisfactione ſibi factâ contentus, quamprimùm ab exilio Siena Romam revocare juſſit; qui eadem adhuc die mandato Pontificis Crequium viſitando ſalutavit, gratiasque pro revocationis beneficio peregit. Neſcio an hic audeam *Canonis Multi* §. *fin. diſtinct.* 40. ſententiam adjicere: Qui deſiderat primatum in terra, inveniet confuſionem in cœlo.

Avenio Papæ redditur.

Regius denique urbis Avenionenſis Præfectus Comes Merinvilleus juxta pacta pontificio Vice-legato Laſcari urbem extradit; civibus pontificium imperium aſpernantibus, tùm quòd novus Vice-legatus Colonna legibus & ſtatutis ſæverior, patibuli pœna prævaricatores afflixerit, tum quòd magiſtratûs deputatos immanitatem ejus incuſantes, arreſto innodaverit, unde facto civium 10000. tumultu, Italicum urbe præſidium ejiciunt, aulam Vice-legati circumcingentes, urbis ſibi poteſtatem arrogant; quos demum Archiepiſcopus compoſuit, Colonnam urbe expellendo, & nunquam admittendo: præſidium Italicum ejiciendo, habeatque futurus Vice-legatus non plusquam 50. milites prætorianos: menſe demùm Octobri à Ludovico Rege tutelam petunt & patrocinium, qui neglectis rebellium precibus, Duci Mercurio, vicinæ provinciæ Proregi injunxit, ut vim ſeditioſis inferret, niſi priſtinæ ſe obedientiæ pontificiæ reſtituerent. Pacta demum eſt pax his conditionibus, ut Pontifice noxam remittente, cives milites pontificios ſolitis excubiis aſſiſtere paterentur, & ejus Vice-legato 60. apparitorum præſi-

Tumultuatur.

dium

Google

dium ære deinceps proprio ſolverent ; æneæ tormenta, & reliquos belli apparatus reſtituerent, nec ultra ſolitis ſe tributis ſubducere molirentur.

Annus 1664.

Abaffius rebellem Zeckelheidam capit.

40. Hybernantibus in Hungaria utrimque copiis, Abaffius Tranſylvaniæ princeps, Turcarum fraudibus planè diffidens, ut ſervilem eorum effugeret potentiam, ſedem firmaret ſui principatûs, & ſubditorum ſuorum præ omnibus animos ſibi devinciret, ſingulari prorſus arte eorum in ſe amorem & fidelitatem, nec minorem ſuî majeſtatem ac reverentiam conciliavit; tum ad provinciæ ſuæ firmamentum limitanias arces & munimenta præſidio, apparatu, commeatuque tum communire, cùm perdita vigilanti ſtudio recuperare non intermiſit: dumque eo tempore præſidiarii Zekelheidenſes ejuratâ perfidè Cæſaris fide præfectum ſuum Dippenthalium ſive prætenſa ſtipendii in quindecim menſes dilatione, ſive ſtudioſa Abaffii ſollicitatione rebellantes præſidio ejicerent, domumque ejus ſpoliantes quindecim coronatorum millia inter ſe dividerent; Koppius Præfectus Zatmarienſis [ad quem Dieppenthalius confugerat] re auditâ rebellantibus per binos centuriones & commiſſarium tam perfidiæ remiſſionem, quàm plenam ſtipendiorum ſolutionem fruſtra offerret, Abaffius opportunâ hac uſus occaſione debiti ſtipendii, & majoris menſtruè ſolutionem ritè appromittens, addensque cuilibet (1200. erant) præter veſtimenta decem imperiales [alii quatuor florenos rhenenſes ajunt] in ſuæ fidei devo-

devotionem & milites, & munimentum decimo tertio Kalend. Februarii recepit, ingenti Tranſylvanorum commodo, gaudio & congratulatione, quòd Zekelheida ſitu & naturâ loci, circumjacentibus ad aliquot milliaria paludoſis aquis munitiſſima, una non niſi parte verſatili ac ſublicio ponte acceſſibilis, omnem circa regionem, & Waradinenſes inprimis arceat excurſiones; cujus unica & Serinwarii recens extructio præſentis fuit belli cauſa & origo: ceſſit quoque paulò pôſt Abaffio eâdem arte & aureis expugnata globis Claudiopolis, Tranſylvanorum Principum Sedes & Metropolis, non ſine ingenti Cæſaris deploranda jactura; cujus ſimul & Imperii cauſa in Ratisbonenſi conventu ambitioſis legatorum diſſidiis ac diſceptationibus ad nauſeam protrahebatur, cùm certis tamen Byzantio rumoribus confirmaretur, fatalem proximè ſummis impendiis & apparatu in Croatiam primùm & Styriam, tum Tyrolenſem comitatum adornari expeditionem. Et Claudiopolim.

41. Effrenem hanc infringendi hoſtis audaciam datum eſt negotium Nicolao Serinio, inveterato Turcarum hoſti, qui rigido licet frigore nil cunctatus, aſſumpto ſibi ſocio Imperialium copiarum Duce Com. Wolffgango Hohenloio exercitum viginti quinque millium decimo ſeptimo Kalend. Februarii Serinwaro in Turciam cis Dravum ducit, pontem Eſſeckenſem, unicum in Hungariam inferiorem aditum deſtructurus. Berzerka primum Serinianæ frameæ ictum duodecimo Kal. Februarii excepit, nec diu ſuſtinuit, ſed factâ propediem deditione Serinius & Hohenloius varias urbes occupant.

ne, relictisque octo tormentis turcicus egreſſus eſt miles indemnis, Tartari interfecti omnes. Eandem deditionis viam ingreſſa eſt Baborska, & vicinum munimentum Bartſch, territi metu præſidiarii noctu deſeruerunt, quibus in locis haud exigua annonæ copia, opulenta ſuppellex, & tormenta in hoc octo, in altero ſexdecim ſunt obtenta; Inde Eſſeckum petit, ubi pons Dravo, aliisque fluviis ac paludibus inſtratus, longitudinis 8565. paſſuum, latitudinis 17. ultra duo milliaria extenditur, firmis ubique reclinatoriis ſex annorum ſpatio 300000. imperialium impendio, opus ſanè regium, porticûs inſtar extructum; hunc pontem evertere eo fine contendebat Serinius, quod deſtructum vix anni ſpatio reficiendum, ſicq; hoſtis furorem eo ſaltem anno vel omninò extinguendum, vel eo uſque ſiſtendum crederet, quo Cæſari Romanoque Imperio vires & exercitum colligendi tempus concederetur: perdurante igitur gelu, & vento opportuno utente bis mille dimachos & ter mille Croatas eo præmittit, quos in adſita munitione ſex mille pontis defenſores Turcæ non repulêre tantùm, ſed & inſigni mulctaſſent cæde, niſi opportunè Germani ſuccurrentes & Turcas rejeciſſent, & tranſcensâ generoſo impetu munitione præſidiarios internecione mactaſſent; tum facilè totus vulcano pons traditus eſt quarto nonas Februarii incenſis prius juncis & arundinibus, non ſine geſtienti Chriſtianorum lætitia; quem tamen indefeſſus illico Turcarum labor & cura intra breviſſimum ſex hebdomadarum curriculum incredibili omnium admiratione

Et pontem Eſſeckium.

Ejus deſcriptio.

tione

tione funditùs repararunt. Inde Serinius cum exercitu tendit ad Quinque Eccleſias, magnitudine ac mercaturâ ferme Viennæ pares. Hic Turcæ metu doloſè ſimulato albi coloris vexillum exponentes, dum noſtri ſpe deditionis urbem propiùs accedunt, bombardis horrendè & tormentis non exiguam noſtrorum edunt ſtragem, chiliarchis & centurionibus pluribus fatalem; doli autem ſui pœnam & talionem mox experti, nonis Februarii, juſto furore miles Chriſtianus urbem aggreſſus primo impetu capit; & omnes in ore gladii trucidat, domos & Moſcheas expilat, & ingens auri, æris, plumbi, vini & pannorum copia in poteſtatem militis egregiâ Serinii Ducis ſui liberalitate pervenit; quia verò nobiliorem præſidiarii theſaurum in arcem tempeſtivè conduxerant, eandem mordicùs omni ſtudio pertinacique robore defenderunt; nam telis & tormentis continuò ejaculantes Chriſtianorum ſtravêre plurimos; Sickinus copiarum Moguntinarum Ductor trajecto humero decimo poſt die, non vulneris, ſed frigoris acerbitate, & neceſſariæ quietis carentiâ, ſummo Principis ſui dolore occubuit; ſicut Generales etiam vigiliarum Præfecti Comes Herberſtein, & Baro de Hämmerling; hic dum loci ſitum exploraret, vir ſtruendarum & capiendarum fortificationum pergnarus, ob quod Zerinio mors ejus graviſſima accidit; gregariorum autem militum plurimos, vino inprimis temulentos Turcarum noctu proſtravit vigilantia: cùmque ſævus præterea frigoris rigor pluribus eſſet letalis, convocato militari concilio, utrumne

Quinque Eccleſias incendit

ne arcis expugnatio, an ejusdem ſolutio conduceret; vicit, invito quamvis Hohenlojo, poſterior ſententia, & eadem die tota qua patet civitas, in cineres redacta vulcano eſt immolata. Ex quibus cineribus immortalis ille gloriæ phœnix

Nicolai Serinii laus. Nicolaus Serinius natus totum pervolabat orientem & occidentem, admirabantur omnes & ſuſpiciebant ſagacem illius prudentiam, & indefeſſam vigilantiam; amabat eum miles, & ſectabatur fortunæ ejus felicitatem & liberalitatem, qua partas militi prædas & ſpolia promptè concedebat; invictam ejus fortitudinem & celeritatem metuebant Turcæ, & ad nomen ejus Serin-Oglii (nam ultra mille oppida, urbes & caſtra diruta aut combuſta) non ſine cauſa tremebant, plauſtris & curribus bis mille quingentis prædam ingentem, captivos, apparatum bellicum, 150. tormenta & maximum equorum pecorumque numerum educens, omnem latè regionem Dravum inter & Danubium ferro flammáque vaſtaverat, & ingentem Chriſtianorum numerum captivitate eduxerat; jamque inde Ho-

Zigethum tendit. henloium præmiſerat Zigethum obſidendum, naturâ loci munitiſſimum, quod olim 1565. à Solimanno (ibidem mortuo & ſepulto) 600000. diuturna obſidione oppugnatum, & ab ejusdem nominis & fortitudinis Nicolao Serinio immortalis gloriæ merito ad mortem uſque propugnatum, in Turcarum demum devenit poteſtatem, & huc uſque permanſit; Hic Serinius cognominis atavi ſui mortem ulturus decreto die impetum in urbē imperaverat, cùm ecce fama defertur duodecim Turcarum millia in urbis liberationē appro-

perare: conſilio in arena capto, eò quòd miles, frigore, viarum ac laborum difficultatibus exhauſtus, annona etiam & bellicus paſſim apparatus deficeret, adeoque tantis hoſtium viribus impar eſſet reſiſtere, ad hyberna remiſſus, tyronibus reſtaurandus.

Felici hac & omnibus admiranda Serinii expeditione, quòd Styria à fatali Turcarum vaſtatione liberata, Græcium ejuſdem metropolis perpetuo Patriæ voto Cæſare approbante Deiparam Virginem Mariam ſub Immaculatæ Conceptionis titulo (quam non ita pridem Alexander P. VII. tenendam ubique credendamque publico mandaverat decreto) poſt publicæ proceſſionis ſolemnitatem in tutelarem Styriæ patronam & protectricem elegit, ejuſdemque Immacul. Conceptionis feſtum quotannis prævio univerſali omnium jejunio, in meritiſſimam gratiarum actionem perpetuò celebrandum ſeſe devinxit. Styriæ pietatem ſecuti Ratisponenſes, ſolemniſſimam omnium eadem de cauſa ſexto nonas Martii in frequentiſſimis Imperii Rom. comitiis adornantes proceſſionem, in qua Auſtriaca plane devotione ter maximo Deo præſenti facibus accenſis famulati ſuntLeopoldus Imperator, Electores Trevirenſis & Bavarus (Moguntinum dolor pedum detinuit) Principes & Epiſcopi Salisburgenſis, Spirenſis, Argentinenſis, Paderbornenſis, Monaſterienſis, Ratisponenſis, Fuldenſis, March. Badenſes &c. omnes pro Hungariæ, Romanique Imperii conſervatione ſupplicantes.

Styriæ votum S. Mariæ Patronæ.

Quam Ratisbon. comitia venerantur proceſſione ſolemniſſimâ.

42. Quid ad hæc Mahometes IV. Turca-

rum tyrannus? Serinianæ indignatus fortunæ, & ſuarum condolens provinciarum vaſtationi, acerbis ad Vezirium literis datis, gravem ejus accuſat hoſtis repellendi inertiam, & Chriſtianorum vigilantiam; hic ſui indignatione tyranni punctus, collecto licet nondum exercitu, agmina quædam per Boſniam ſtricto cum imperio expedit Serinwarium aſtu ſubitò obruendum, aut circumvallendo includendum, reliquo cum exercitu quamprimum ſe adfuturum addicens.

Petrus Serinus Turcas cædit.

Hæc opportunè audiens Petrus Serinius (cui frater Nicolaus negotiorum causâ in Ungariam abiens patriæ domuſque ſuæ commendaverat conſervationem ac defenſionem) ſtructis ad Morlaci montis anguſtias inſidiis, hoſtem feliciter bis millium cæde, & plurimorum captione victorioſe rejecit. Nicolaus interea frater in Croatiam redux, ut hoſtem maturè præveniret, certò ſibi imminentem, Caniſcham quâ vi, quâ arte intercipere meditatur: utque fieret illud expeditiùs, loci robur & ſitum penitiùs exploraturus, eo contendit, quinque ſupra denos tribunis & chiliarchis comitatus: hoſtis hujus præſcius, & capiendi Serinii certus quingentis ſubitò equitibus ex inſidiarum latibulis erumpens, horrendo illum clamore circumdat. Serinius nihil territus; ſed conſtantis animi, & invictæ virtutis ſuæ munitus robore, ſimulque croatici equi ſui beneficio inſidias elapſus, in proximum evolavit ſaltum, inde trecenti Seriniani equites Turcarum vociferatione exciti epportunè Ducem ſuum & reduxerunt incolumem, & hoſtem plurimis eorum tum captis, tum cæſis repule-

Nic. Serinius Caniſchum tentaturus periclitatur.

pulerunt viriliter; inter hos repertus miles cataphractus ſerico ſuccinctus fune, quo, ut referebant captivi, hic vinctum Vezirio Serinium tradere meditabatur. Quâ proditionis injuriâ hic vehementior irritatus, omnem latè Caniſchæ diſtrictum ita eſt depopulatus, ut ne in rutis quidem (quod dicitur) & cæſis quicquam reſidui permanſerit, & accolæ paſſim omnes Caniſcham profugerint; quos tamen metu deficientis annonæ præfectus Baſſa non admiſit. Eſterhaſius enim & Battianus Comites ne quid annonæ urbi inferretur, vigilantiſſimè obſervabant, ideoque frumenti modium valere 12. coronatis perhibebant. Antequam verò urbem cingeret Serinius, Cæſaris priùs, ejusque bellici conſilii ſenſum, & conſenſum maluit audire. Cæſar literis ad eum ſexto Idus Martii datis, & invictam ejus in rebus tam præclarè geſtis fortitudinem laudavit, & ad propoſitam Caniſchæ obſidionem ante Aprilem & hoſtis adventum maturandam 7. millium equitum, & 13. millium peditum exercitum deſignavit, non quod certam, aut facilem ſibi Caniſchæ captionem perſuaderet; ſed ut furibundum hoſtis impetum in paludoſis iis, inviisque locis tantisper ſiſteret, ne in Auſtriam vicinasque ſtatim provincias liberè ſeſe diffunderet; ſed quia abſente Hohenlojo Styriæ & Rhenanæ copiæ præfixo obſidionis termino ſexto idibus Aprilis convenire non poterant, dilata eſt in pridie Kalend. Maji, tum florentiſſimo cincta eſt exercitu.

43. In Ratisbonenſibus interea comitiis multos principes interceptum priori anno Vy-

Ratisbonæ belliduces contra Turcas eliguntur.

Magnus ibi Principum Imper. Rom. conventus.

Ibidem de expeditione conſultaturus.

varinum ad ſaniora promptioraque adegit conſilia, conſultum primo ſtudio magis ſerio de accerſendis ſuis cujusque ſumptibus ſuſtentandis, & maturandis contra hoſtem copiis; tum de exercitûs ſcripti & ſcribendi Imperatoribus actum; communibus quidem votis tertio nonas Martii Rhenanarum copiarum Dux generalis renuntiatus eſt Wolffgangus Julius Com. Hohenloius, ſed dum aliorum in tanto generoſorum Heroum numero ducum proponeretur electio, magna eſt facta contentio; Cæſaris tamen & Triumvirorum interventu compoſita, Generalis campi Mareſchallus Imperialium copiarum electus eſt Leopold. Wilh. Marchio Badenſis Hochberg, cujus Generalis locum tenens Com. à Waldeck: generalis rei tormentariæ præfectus Com. Franciſcus Fuggerus: duo Equitatûs Generales, Auguſtus Dux Holſatiæ, & Udalricus Dux Wittenbergicus: duo peditatûs Generales, Guſtavus Adolphus March. Badenſ. Durlacenſ. recens Catholicus, Friderici frater, & Pueck: tum demum armorum tam fœderatorum, quàm non fœderatorum electi ſunt duo Directores, Bernardus à Galen Epiſcop. Monaſterienſ. & Fridericus March. Badenſ. Durlacenſis, qui rebus Ratisbonæ & domi ſuæ compoſitis ad aſſignatas ſibi properarunt copias, quos paulò pòſt ſecuti Joannes Philip. Arch. Mogunt. Carolus Caſp. Trevir. Carol. Ludov. Palat. Joannes Georg. II. Saxo. Ferdinand. Maria Bavar. Com. Sparrius, Waldeccius & alii: Cæſar autem octavo Idus Maji abiit Viennam. Militem verò in campum edu-

cen-

cendum quod attinet, Cæſar ſiſtet peditum 41600. equitum tredecim millia nongentos: confœderati tredecim millia, ſexcentos quinquaginta pedites, & ter mille, octingentos quinquaginta equites; Imperium Rom. equitum quatuor millia triginta ſeptem, & peditum ſexdecim millia nongentos, nonaginta unum, præter Saxo-Brandeburgico Gallicas copias auxiliares ſpe veluti certâ acceſſuras; ita ut comitiorum proceres has Turcarum viribus ſi non ſuperiores, pares ſaltem eſſe exiſtimaverint. Ad hæc igitur ſubſidia impetranda, aut impetrata mutaranda miſſi ſunt varii ad variorum Principum aulas legati, Piccolominus ad Italiæ Principes. (qui in itinere tamen & officio & vitâ defunctus eſt Mediolani:In Angliam Com. Colaltus; in Galliam Strotzius, qui in perorando aut regiæ majeſtatis auctoritate, aut ſtudio aliquamdiu elinguis, reſpirans autem eloquentiæ ſuavitate Regem in ſuas adeo traxit partes, ut ſex millium tum equitum tum peditum obtinuerit ſubſidium quos Joannes Comes Colignus, comitantibus Bovillonio, Villerojo, Richelio & pluribus magni ſtemmatis volonibus in Hungariam conduxit.

Emiſſi legati pro ſubſidio petendo.

44. Hæ ſubſidiariæ copiæ antequam convenirent, Ludovicus Ravicus Suſa Dux haud ignobilis, magnæ experientiæ virtutiſque miles probatiſſimus, ſuperiorem Hungariam, ſimulque Moraviam & Sileſiam juſto defendit exercitu; alter Nicolaus Serinius cum Hohenloio Caniſienſem promovet obſidionem, quam audiens Vizirius, admiratur Serinii audaciam, me-

Caniſcham Serinius obſidet.

tuensque urbis ob annonæ defectum occupationem, octuaginta ſubito annonarios ſub valido præſidio currus eò deſtinat, quos Seriniani tamen opportunè interceperunt. His obſeſſi minus territi urbem continuis excurſionibus & ejaculationibus fortiter propugnare, & abjectis domuum tectis pyrobolorum periculo terræ cavernis ſe abſcondere, & in longam omnia defenſionem parare; in Serinianis econtra caſtris bellicus deficere apparatus; graviores muris dejiciendis neceſſariæ machinæ diutius emanere, langueſcere vires pyrobolorum, miles murmurare ob frigoris acerbitatem, ob frigidam ſtipendiorum dilationem (quæ ſuo tamen perſolvit ære Serinius) ob pauciorem promiſſo oppugnantium numerum, & occumbentium multitudinem, quorum jam tunc ultra duo millia ceciderant; primus enim ſuburbii impetus quadringentos Ungaros, & ducentos devoraverat Germanos. Rebus licet ſic ſtantibus, haud dubia tamen Serinio videbatur urbis occupatio, modò opportunè Turcarum impediretur adventus & ſuccurſus; quare literis monet rogatque Cæſarem, ut ex hybernis celerrimè exercitum educeret in campum, in tria dividendum agmina, primum Caniſiam oppugnantes defenderet, ſuppleretque cæſorum defectum; alterum tenderet Eſſeckum, hoſtilem Dravi tranſitum impediturum: tertium denique conſiſteret in campo urgenti neceſſitatis periculo paratum. Iteratis igitur curſoribus imperatum Montecuculo, ſine mora cum exercitu in occurſum Vezirii procedere; ſed ecce Serinius jam menſæ
cum

cum tribunis ſuis accubiturus ab Coricæis, Vezirium quinque ſolummodo horis potente cum exercitu caſtris abeſſe, ſumma cum admiratione intelligit: nam ne turcicus miles octoginta foret milliaribus circumducendus, incredibili Vezirius celeritate pontem Ezeckienſem dies intra quadraginta (opus antehac ſex annorum) juſſerat nedum reparare; ſed ex fundamentis perficere. Hoc inopino perculſus nuntio Serinius cùm audiret Vezirium relicto poſt ſe exercitu viginti tantummodò equitum millibus laboranti velle ſuccurrere Caniſiæ, generoſo hoſtem prælio aggrediendum conſentiente Strozzio propoſuit; diſſentiente autem gravibus de cauſis Hohenloio, ſoluta eſt obſidio,& miles relicto in caſtris aliquali bellico apparatu & 20. farinæ curribus,Serinwarium eſt reductus, quem mox Vezirius eo inſecutus gaudebat ab ipſis ſe hoſtibus in eum deduci locum, qui & principium belli & finis, ſimulque ſuperbientis gloriæ ſuæ coronis eſſet futurus. Erat ex adverſo Serinwarii eminens collis,foveâ ſeu lacunâ circumdatus, cui exercitum ſecurè inſidere, & Serinwarium defendi; imo mutua utrumque defenſione conſervari poſſe Serinio videbatur; Hohenloius vero & Chiliarcha Sparrius in altera fluminis Muhræ parte tutius conſiſtere exercitum ingentibus hoſtium copiis longe imparem & defatigatum ſaniusexiſtimabant, multoque fore periculoſius in certamen cum illo deſcendere, ſed Montecuculi conjunctionem omni ſtudio & celeritate procurandam eſſe omnino neceſſarium, quo Chriſtianorum metu, ut dicebant, Turcæ ala-

Caniſiæ obſidio ſolvitur.

Turcæ Serinwarium impetunt.

alacriores, Muhram octavo idus Junii tranſituri, noctis beneficio Inſulam occupant interjacentem; quod indignè ferens Petrus Comes Strotzius, collectis aliquot raptim centuriis, rei gerendæ modum verbis propoſuit: videtisne, inquit, milites inſulam illam, ſupra hoſtem? arx quaſi illa eſt ſpei ſalutisque noſtræ, ſi eam, quam rabidæ occupavêre gentes, impigrè capimus: potius ſero, quam nunquam eundum eſt obviam audaciæ hoſtiumque temeritati. Agedum ite mecum, qua pateant hinc exitus, exploremus; nos deinde aut fortuna Auſtriacæ Domûs, aut noſtra virtus expediet; veſtrum iter ac reditum omnia laudibus ferent ſæcula. Hæc dicta dederat, quum ſignum poſcunt ingenti fortitudine alacres, & ſpe haud dubiâ feroces in prælium vadunt, ac bino 5. horis continuato impetu hoſtem ſtrage 500. alii 3000. cæſorum non contemnenda loco depellunt. Peracto feliciter prælio ad concionem iterum caſtrenſem peroravit Strotzius, & pro geſtis fortiter agens gratias, collaudatam Cæſari virtutem pro meritis ſe commendaturum promiſit; dum avidis bona verba excipiebantur auribus, ô fortuna viris invida fortibus! plumbeo à Turcis alite (ex ſtriata fiſtula) ſecundum tempora dignus immortalitate heros lethaliter icitur; & ita quidem, ut proximè aſtantem anonymum equitem diverberati fruſta generoſi cerebri aſpergerent: luctuoſo ſane caſu, quem miles omnis deploravit, uti ſolent parentum mortem deplorare filii, & ducem fortiſſimum, & amabiliſſimum ſibi eſſe patrem ereptum. Sic nullus Dux adeo felix eſt, ut

Strotzius occumbens laudatur.

ut in bello diuturniore fortunam habeat perpetuò propitiam. Supervixit quadrihorii ſpatio, donec ingentem animam, quam pridie ad iter æternitatis viatico Chriſtiano-Catholico communierat, exhalavit: mox autem Vezirius grandi ſuorum multitudine accitâ Chriſtianos Inſulâ repellit, & ſine obice Muhram tranſiens, Serinwarium cingit, ac incredibili celeritate vias obſidionales promovet. Serinwarium cingitur

45. Interea temporis ſuo Montecuculus exercitu Serinium acceſſit, magnis utrimque lætitiæ, mutuæque defenſionis ſignis & argumentis exhibitis; prælii verò tentamen, quod Serinius urgebat, diſſuadebat Montecuculus, hoſte nunc in immenſum aucto; tentandum illud antea, dum viribus fuerat debilior. Ad hæc Serinius: militem non ad delicias, aut Principum gazas conſumendas auctoratum; ſed laboribus ac periculis ſtipendia mereri; ſe quidem ad Caniſiam hoſtem invadendum promptum alii retardavêre tribuni ac chiliarchæ, quod unitis nunc exercitibus foret opportunum, cum non tot, ac dicitur, ſed triginta vix numeret millia, ex tyronibus potiſſimum armorum & pugnæ expertibus collecta; miles verò Chriſtianus & armis exercitatus, & victoriis aſſuetus cum hoſte conſerere quàm maximè deſideret; utque verbis ejus fides adhiberetur, literis à Cæſareo in caſtris turcicis reſidente Internuntio clandeſtinè redditis hoſtilis numerum exercitûs 30. millia non excedere certa fide Montecuculo demonſtrat. Adventantibus igitur cum auxiliis Sporckio & Marchione Badenſi, hoſtem certò invadendum Montecucu-

lus promittit, ſed dum cerneret Serinius moras necti diuturniores, & Montecuculū Serinwario penitùs recognito Serinianos cum præfecto præſidiarios non ſine arcano forte Cæſaris conſilio inde amoviſſe, & alios cum magna nominis ſui injuria ſubſtituiſſe; indignatione frendens, Chiacaturnum relictis caſtris abiit, juſtas apud Cæſarem injuriæ querelas depoſiturus. Hac Ducum diſcordiâ uſus opportunè hoſtis ad munimenti vallum pervenit; & quinto Idus Junii evibrato per cuniculos ſemilunari aggere tanto conſternavit præſidiarios metu & terrore, ut illis ad tutiora recedentibus apertam incaute hoſtis portulam ingreſſus, munimentum obtinuerit; præſidiarii 1900. fuga per Muhram ſibi conſulentes pontis multitudine depreſſi ruinâ aquis ſubmerſi ſunt plurimi, reſidui 350. turcarum ſicis ipsâ ſua ignaviâ interfecti, hoſtem nec bombardis, nec gladiis, nec alia vi ullâ arcere auſi, quem anno præcedenti furioſe hoc idem munimentum impetentem Ungari centum, & viginti Germani ejuſdem robore nixi glorioſe rejecerunt. Vix quidquam in eo, niſi ſeptem machinas campeſtres, & duo pyreumata lucratus Vezirius, munimentum mox funditùs demoliri jubet, hujus belli, ſeu offenſionis lapidem, quem Cæſar eâ vel maximè causâ removere Serinio mandaverat; immorigerus autem ille mandati contemptor, & validum ſuum arte & naturâ munimentum amiſit, & Cæſaris gratiam, quam ſane magnam & immortalem nominis gloriam pridem glorioſiſſimis pro Chriſtianitate geſtis non apud Cæſarem modo, ſed

Occupatur.

omnes

omnes Chriſtianos orbis Principes ſibi demeruerat; Alexander namque VII. pontifex aureâ ſuî effigie ſeu numiſmate, Rex Galliæ Ludov. XIV. decem millibus Impp. Hiſpaniæ Rex Philippus IV. aureo vellere, Cardinalis Barbarinus menſtrua octingentorum Impp. penſione, Principes alii feſtivis illum undique cumulabant congratulationibus; major autem omnino Heros ille feræ vixiſſet poſteritati, ſi illius in Cæſarem ac Regem ſuum inobedientia, & aliorum in illum invida abfuiſſet æmulatio: maximus ſi in illo abfuiſſet ulciſcendi libido, quæ ut fera peſſima ſummâ nominis infamiâ Serinianam devoravit familiam. **Serinius quanti ab omnibus æſtimatus.**

46. Vezirius liberatâ ex voto Caniſiâ, & capto everſoque Serinwario, concatenatis elatus victoriis nihil ſibi in acceſſum fore aut invincibile, ſed omnia ſe armorum ſuorum potentiæ incurvatura non ſine inſigni Chriſtianorum contemptu jactitabat, quorum, Ducum imprimis diſcordiâ magnam ſibi victoriarum ſeriem certo promittebat; verum armipotens Deus, in cujus manu ſunt omnium poteſtates, elatam velle tandem Turcarum potentiam enervare videbatur: nam Cæſareus alter exercitus Duce Ludovico Soucheſio in ſuperiores Pannoniæ & Vyvarienſes partes perrexerat, tum ut à Caniſienſis obſidionis ſolutione hoſtem famâ imminentem averteret, tum etiam ut vaſtatis interceptiſve circum Vyvarinum pagis & oppidis ipſum denique amiſſum præſidium fame vel armis recuperaret; ſuſpenſis igitur omnium armis Nytriam clàra contendit, quam pridie adventûs ſui **Soucheſius Nytriam occupat.**

ſui cancellarius Vezirii trecentis equitibus & 150. coronatorum millibus ingreſſus, pluresque Turcarum tribuni ſeu Baſſæ bellici cauſa conſilii eo convenerant: circumvallatur opportune munimentum vallis, tormentis quatitur, inflammatur pyrobolis, aguntur in montem cuniculi, & fons eo venarum beneficio deductus exſiccatur, patefacto tandem muro præſidiarii metu concuſſi deditionem offerunt, quam ideo promptius acceptavit Soucheſius, quod audiret validum obſeſſis ſubſidium à Waradinenſibus Vyvarienſibus Strigonienſibus & adjacentibus locis parari. Pactum igitur ut non volantibus, ſed convolutis ſignis, bombardis ſub axillis geſtantes, relictis tormentis bellicisque impedimentis Chomarium deducerentur; inde Vyvarinum Soucheſius recuperandum propoſuerat, niſi impares loco vires diſſuaſiſſent; & dum Levenzam flagellandam Auguſtum Hoiſatiæ Ducem cum peditatu, machinisque bellicis præmiſiſſet, ipſe cum equitatu ſecutus, hoſtem ad fanum S. Crucis poſtrema ſua carpentem agmina advertit [erant quatuordecim millia Tartarorum potiſſimum Nyttienſibus ſeriùs ſubmiſſa] qui ſpe fruſtrati vindictæ furia agitati magno Suſianos clamore & impetu invadunt; generoſiori autem fortitudine per Garnietii, Capraræ & Zeiſienſis Principis legiones, ac Brandeburgicos dimachas repelluntur; pugnatum utrimque acriter, diuque fluctuantem pugnam nox diremit, Chriſtianis diem victoriæ ſuæ teſtem expectantibus: jamque in tuto videbantur eſſe, quùm Soucheſius: Macte virtute, inquit, milites, chri-

Turcas fundit.

ſtiani

ſtiani eſtote, veſtrum iter ac reditum omnia laudibus ſecula ferent; ſed ad conſpiciendam virtutem veſtram luce opus eſt ac die; nec vos digni eſtis, quos tanta cum gloria in caſtra reduces noctis tenebræ tegant; hic lucem quieti operiamur. Dictis obtemperatum: orto vix ſole hoſtis ſuâ fretus multitudine Soucheſii caſtra loricâ licet circumvallata, & in aſſurgente leviter clivo machinis munita inſano aggreditur furore: verſo hi in hoſtem vultu tenaciſſimè reſiſtunt, arma armis, vim vi repellere coacti, vincere, non vinci aſſueti: pugna rurſus utrimque dubia in ſeram protracta eſt diem, uſque dum Turcæ invincibilem Soucheſianorum virtutem diutius non ſuſtinentes, inclinantibus tandem lunis fugam turpiter capeſſunt, cæſis ferro, aut fluminis Giaræ aquis ultra bis mille ſubmerſis; Chriſtianis victoria ducentorum ſtrage cruenta, inſignis tamen præda fuit, & Soucheſio nominis gloria æviterna.

Proſpera De soVChes CrVx eſt en NItrIa parta,
fVsI hoſtes; seD erat LVXqVe LoCVsqVe
CrVCIs.
CrVX fVIt HeroI pro ſorte seCVnDa seCVnDà,
paX bona pro LVnIs pLanIet VbIqVe CrVCes.

Soucheſius febri licet afflictus Levenzæ tamen adurgens recuperationem, ne eam Strigonienſes vicini impedirent Turcæ, Comorronio ſexcentos Germanos & Huſaros quingentos eo præmiſit Strigonii obſidionem ſimulantes: ille interim clam ſeptimo idus Junii Levenzam appulſus, montem urbi imminentem occupat, Levenzam capit.

co-

eoque indefeſſus obſidentium labor brevi devenit, ut patefactâ ingenti mœniorum ruinâ nequicquam Turcis obnitentibus victores urbem irruerent: mox flagellata continuo arce, quo præſidiarii trementes confugerant, ne proximo hoſtium furori cederent, pacem abitumque ceu Nytrienſes ſupplicant; denegatum id quidem, ſed victoris arbitrio dediti, relictis armis & impedimentis pridie idus Junii ſeptingenti præſidiarii Strigonium ſunt dimiſſi; inventaque in urbe magna farinæ, commeatûs, apparatûſque bellici copia, & viginti, grandes machinæ curules: quâ felici quoque expeditione incredibile quantum militum animus cùm militaribus, tum annonariis ditatus ſpoliis creverit, in quodvis promptus periculum.

Gallorum & Pontificis ad hoc bellum ſubſidium.

47. Jam etiam gallicus à Rege ſtipulatus miles movere videbatur; nam qui in Italiam ad vindicandam Legato gallico Romæ à pontificiis Corſicanis illatam injuriam ſub Colignio erat deſtinatus, factâ pontificem inter Alexandrum VII. & Ludovicum XIV. Regem compoſitione, per Ditionem Venetam in Pannoniam ter mille equites ducebantur. Quibus magna volonum ex præcipua gallica nobilitate numerus opportunè accedens, quatuor omnino millia conficiebant. Hoc exemplo affectus Pontifex per ſuum in aula Cæſarea reſidentem Nuntium mille pedites, & equites ter mille Cæſari ſubſidio mittendos addixerat; ſed cujus neſcio meticuloſo inſtinctu aut invidia miles exauctoratus, non ſine exigua Pontificis nota gregis ſui ſalutem tam parum curantis: aliis autem motus Pontifex

lex cauſis, ne malè audiret, ſeptingenta Impp. millia ex cenſu bonis per totam Italiam eccleſiaſticis impoſito collecta, in hoc turcicum bellum impendenda Cæſari ſubmiſit. Montecuculus intereagallicis confirmatus copiis, vigilanti ſemper ſtudio Turcarum motus obſervabat (qui obſirmatè decreverant Levenzâ recuperatâ, Budiani comitatu tranſeuntes devaſtato Presburgum & Viennam demum ipſam impetere) & hoſtem ex hac Muhræ ripa continuo inſecutus, gravisſima ejus cunctabatur molimina. Huſaino igitur Baſſæ Budenſi quod ipſe nequibat, imperat Veziriùs, ut accitis Moldavis, Walachis, Tartaricis, Turciciſque copiis vicinioribus quantocitius Levenzam cingeret, diverberaretque; Huſanus haud ſegniter mandato obſecundans, tam inſano urbem impetit furore, ut in duobus inſultibus duo ſuorum millia amiſerit: nam ſtrenua Joachimi Neumurſchæ Præfecti vigilantia & fortitudo & militem ubique præſens animabat, & prudenti urbem defendebat conſilio, in hoc intentus omni ſtudio, ne ex urbe in arcem tranſitus pyrobolis everteretur aut tolleretur; cumque hoſtis ab una mœniorum parte turpiter rejectus tentaret aliam, variis eam obſtruxit Joachimus obſtaculis, & militaribus munivit ſectionibus, ne ulla perrumpendi urbem ſpes ei relinqueretur. Souchesſius Tyrnaviæ febris infirmitate detentus hæc audiens, ſimulque de Levenzæ liberatione monitus à Cæſare, imperat Pucheimio, Commorienſi præfecto, ut aditus, viaſque militares hoſti per Berchenenſes Huſaros præcluderet; & Heiſtero, ut cum

Turcas Levenzā tentantes Souchesſius rejicit.

pa-

palatina equitum legione, & quinque Montforenſibus peditum vexillationibus continuis ad ſe itineribus contenderet, qui idibus Julii Freiſtadelii ad caſtra veniens, ſimulque die alterâ toto exercitu pane in ſex dies inſtructo Neuttam fluvium cum Soucheſio tranſiens ad radices montis S.Benedicti, in cujus culmine hoſtium caſtra commode poterant inſpici, conſederunt; & ne hoſtis Grani ripam præoccuparet, Soucheſius Heiſterum quantâ poteſt celeritate cum ſex equitum vexillationibus & Brandeburgicis dimachis ad fluvium Granum præmittit, jubetque tumultuarios aliquot erigi aggeres machinis campeſtribus inſtructos, mox ipſe offenſo opportune Grani vado, toto cum exercitu bihorarii ſpatio ſecutus.

Pugna ad Levenzam

Huſſainus Præfectus Budenſis proximum Chriſtianorum adventum intelligens, relictâ Levenzâ militem in aciem diſponit, videnſque ſe numero 25000. Chriſtianis multo ſuperiorem, eosdem temere contemnit, & vel eo maximè aſpernatur, quod illi reditu aut fuga metum ſimularent(quod à noſtris actum ſtudioſius, ut hoſtem opportunius in campum elicerent) ideoq; nec ipſe, nec per alios Chriſtianorum caſtra explorare dignabatur; hujus autem temeritatis ab amico ſeriò monitus & edoctus, quanti eſſet periculi nullos emittere ſpeculatores, & hoſtem quantumvis infirmiorem flocci facere: corycæos tandem emittit, & ab interceptis captivis Chriſtiani robur exercitûs, & reſolutam Soucheſii confligendi mentem, & incredibilem ad hoc Chriſtianorum alacritatem, ac ſingulare de-

denique præparationis ſtudium intelligit. Huſainus igitur cautior exactas noctis vigilias agere, obire ſtationes, munire caſtra, arma, omniaque in craſtinum expedire prælium. Die altera quæ erat decima quarta Kalend. Auguſti, dubiâ adhuc luce chriſtianus plenâ acie in hoſtium conſpectum procedit exercitus, cujus utraque ala equitatu, ſingula ter mille armatis probè exercitatis, conſiſtebat, qui in medio peditatum complectebantur armis non minus expeditum: omnes moræ impatientes, ad pugnandum alacres & magnanimes contineri vix poterant. Huſainus quoque dum hoſtem in propinquo videret ad præliandum diſpoſitum, ſuos mox in aciem dirigebat, martis aleam tentaturus, alæ dexteræ Principem Walachiæ, & Moldaviæ Ducem Gregorium Sickam ſiniſtræ præficiens, medium Turcæ cum ter mille Janizaris ſub præfectis ſeu baſſis Zolnockenſi, Agrienſi, & Vyvarienſi conſtituebat: hunc ſuum ita diſpoſitum exercitum dum per intermedias paludes movere in Chriſtianos imperaret, illud officialium ſuorum plurimi diſſuadentes, præſentiſſimum emergendi periculum luce clarius demonſtrabant, ſi adverſante belli fortunâ cedere cogeretur, cum certa univerſi exercitûs ruina & internecione. Quid tum? ajebat Huſainus; miles victor evaſurus nunquam retro-ſed continuo pro-greditur, mortis autem ſubmerſioniſve pœnâ an non dignus fugitivus? meus non eſt, qui nec armis ſibi ſalutem, nea invicta niſi fortitudine quærat victoriam.

Permeatis igitur paludibus, totus ad meri-

diem uſque in hoſtium conſpectu turcicus conſiſtebat exercitus; Chriſtianus autem è loco nequicquam movens ſolis expectabat declinationem, ſub meridiem inter præliandum Turcarum oculos ſplendore micante erat perſtricturus: quo adventante jam jam prælium inituri ſuum quiſque Dux exercitum ad generoſam conſtantemque hortabatur fortitudinem: Generoſe miles, ajebat Souchefius, dum hoſtem hunc intueor, furori hodie noſtro immolandum, cautè id providéque faciendum arbitror; non quidem ut à concepto vos certaminis calore abducam; ſed ad generoſam animi magnitudinem accendam, à qua hodierni dependet certaminis fortuna: ecce Miles, illi ſunt crudelitatis miniſtri, qui non ita pridem patriotas noſtros & ſocios ferali lictoris manu contra jus gentium mactarunt, quos infames veluti latrones & fures, non ut bello captos ea ſolummodo cauſa tractarunt, quod patriam fortiter, conſtanterque fidem defenderint Chriſtianam; recordamini tales eſſe, qui in pace urbes patriamque veſtram perfidè devaſtant, & jurati Crucis Chriſti hoſtes permanent, contra quos ſtrenuè pugnantes ſi occumbatis, glorioſi Chriſti efficiemini quaſi martyres, totus hic, quem intuemini, exercitus ex Moldavis Walachiſque Chriſtianis coactus eſt, ceteri molles & effœminati Turcæ, Arabes, aut tartari non pugnare; n inus vincere, ſed fugere docti ſunt. Ille eſt, generoſe miles, exercitus, quem hodie ad Levenzæ mœnia, ex quibus uxores, filii & amici veſtram ſpectabunt animoſitatem, glorioſe devinceris, & triun

Souchefius & Turcæ ſuos quiſque ad prælium excitat. Oratio Souchefii.

triumphabitis : conſurgite igitur & ſtate viri ; memores patriæ & parentum, conjugum ac liberorum, memores ducis pro veſtra victoria morte occubituri : State, caſtra nunc hoſtium vobis, omnemque trado prædam, ſi mihi pollicemini vos fortiter & conſtanter in acie operam navaturos; nec prædæ magis quam pugnæ paratos eſſe. Eodem & ſuos fervore in prælium acuebat Huſainus : Adeſto miles, quid agimus ? nos inerti torpebimus otio, dum videmus Vezirium noſtrum devicto Vyvarino, Neoſerino everſo glorioſâ ubique triumphare victoriâ ? & nullam nos hujus partem victoriæ fortitudine noſtrâ habebimus ? habebimus, ſi Majorum noſtrorum veſtigiis inhærentes generoſo animo pugnabimus : Majores noſtri hoſtem in munimentis, in validiſſimis arcibus, in robuſtiſſimis urbibus toties devicerunt, & ſubjugarunt, & nos in patenti illum campo non repellemus, non ſuperabimus ? numero fermè ſumus utriinque pares, veſtra modò nos virtus aut faciet ſuperiores, aut animi abjectio inferiores ; recordamini autem illos eſſe, quos Vivarino ejecimus, quorū ſocios ad Barckanum orco immolavimus quos ottomannici ſæpius acinacis ſævities devoravit ; fierine poterit ; ut imbelles illi populi de nobis reportent victoriam ? minime ; generoſa pubes ; invicta mihi veſtra pollicetur fortitudo victoriam : ito ; gradum promove. Sole jam in meridiem inclinato ; & radiis Turcarum oculos perſtringente, Chriſtianus miles moderato ſed alacri gradu Turcas invadit ; & ſicut eques ſic pedes, ut Souchefius præceperat ; magnanimi-

Oratio Huſaini

Souchefius Turcas cædit.

ter pugnant, nec Dux legiones, nec fortuna feſellit ducem: primum Soucheſius ductorem Coharry præire cum ſuis jubet, ſequi Capraram cum 5. centuriis, ac ſupremum denique vigiliarum præfectum Brandeburgicum Marwizium centum velitibus cinctum; tum primum ſenſêre impetum Janizari & Turcæ aciei medium tenentes, qui clamoribus tantum miſſilibusque telis, & primo certaminis impetu feroces, ſclopos tamen gladioſque, & collatum pedem, ac vultum Chriſtianorum ardore animi micantem ferre non potuêre; impulſa igitur illatáque trepidatio, rupti deinde ordines, motaque omnia: dein poſtquam cadentibus primis jam ad ſe quiſque perventuram cernebat cædem, terga vertunt. Reſiſtebant quidem aliquamdiu ambæ Walachorum Moldavorumque alæ, & parvâ Chriſtianos ſtrage circumcincto incaute Coharro ſternebant, dum ſocii fugæ cædibusque Turcarum eſſent intenti, at ubi ſupremus locotenens Glockius ſuccurrit, & Chriſtiani nexi conjunctique ſunt, pari omnes fortitudine hoſtem ovantes cædunt, profligant, & ingentem hoſtium multitudinem conterunt, quorum tamen plurimos noctis tenebræ furenti victorum ferro ſubduxerunt. Fugitivi Strigonium ſe conferentes non admittebantur, & annonam petentes rejiciebantur, futuræ metu obſidionis, quam ſibi proximè ex ſociorum cæde imminere merito pertimeſcebant, quam Vyvarienſes etiam metuentes rejectum à Strigonienſibus Huſſinum cum gaudio recipiunt defenſorem. Hanc nacti opportunè occaſionem Moldavo-

davorum walachorumq; principes ſine ſupremi licentiâ Vezirii ſub periculo ottomanicæ quidem offenſionis, famis tamen neceſſitate, & minaci militum ſuorum murmuratione (quòd non ut milites ſed vilia à Turcis haberentur mancipia) coacti ad ſua abeuntes, ad Tibiſcum à Turcarum manipulo retardabantur, quibus facile fugatis ad ſuos quiſq; lares omnes redierunt. Capta ſunt eodem die, direptaque hoſtium caſtra, & dives generoſo præda militi conceſſa eſt, quatuor commeatûs apparatuſque bellici millia curruum, duodecim tormenta bellica, mille equi, & centum quadraginta cameli, centum vexilla, & quadraginta ſigna equeſtria ſunt intercepta. Cæſa autem in loco pugnæ 6000. Turcarum, Chriſtianorum centum quinquaginta, quos inter Rovazius probatæ fortitudinis tribunus periit. Capti ſunt pauci, quod dolore irâque militis vires & ferrum acuente injuſtam Vezirii crudelitatem in Minores Commorienſes (Klein Comorren) nuper præſidiarios violata fide cæſos exercitam, voluerit vindicatam, ſeptingenti ſolummodo Walachi Moldavique in talionis pœnam reſervati, omnes in Strigonienſium conſpectu variis ſunt patibulis affixi, pendente ſingulis ex collo bombarda, unde Vezirius ſuam ad Barkanum in captivos Chriſtianos illatam crudeliter tyrannidem ex æquo retaliatam eminentius perſpiceret. Benigniore ſic favente fortunâ Soucheſius Barckanum oppidum in ripa Danubii ex adverſo Strigonii ſitum tentaturus, decem millia quingentos armatos navibus eo demittit, qui recenti victo- Barckanum capit & incendit.

victoriâ animati nihil ſibi inacceſſum exiſtimantes oppidum ſtrenuè aggrediuntur; & quidem Marſetus comes temerè ſatis abſque Souchesii ſcitu & conſilio propiùs mœnia accedens præſentiſſimo ſe ſuosque exponit periculo, bis genis perforatus, exemptus tamen mox ab Holſatiæ Duce, qui adductis celerrime ad acuminatas ſudes machinis ædes flagellat, cumque ex alia parte quator machinis pyrobilisque anguſtiarentur oppidani, incenſis ipſi domibus per navalem pontem Strigonium aufugiunt, ſicque oppidum à noſtris invaſum, direptum, & in cineres omnino redactum eſt. Inde reductas Comorram copias quieſcere, reficereque jubet Souchesius, victoriarum hic ſeriem interrumpens, uſque dum Cæſaris gratiæ, qua neſcio quibus de cauſis exciderat, paulò poſt reſtitutus, & ob ſingulares fortitudinis, militarisque prudentiæ excellentias Comorrienſis præſidii omnium primariâ præfecturâ cum honore eſt exornatus.

Fit Comorræ præfectus.

48. Vezirius interim Arrabonis fluvii tranſitum rurſus paraturus, fatalem Huſaini ad Levenzam audiens ſtragem indignatur quod & ipſe nonnunquam haud ſine cæde ab hoc tranſitu rejectus eſſet, nec illatum facile damnum alibi reſarciendum præviderer, ſexto Kalend. Auguſti toto cum exercitu movet verſus Kementam vicum, arrabonem ibidem vadoſum tranſiturus; tentavit tertiò, & totidem ferrea eum Chriſtianorum repulit conſtantia, & plurimos (2000 referunt) Arrabonis fluctibus ſubmerſit. Funeſtâ hac clade acceptâ cum hoſtis

Turcæ arrabonem tranſeunt.

ris propiùs D. Gothardi fanum accedere diceretur; eum Chriſtianus præveniens peditatus juſſus ibidem ſubſiſtere, hoſtisque transvadationem aut victurus, aut vincendus expectare: quod verò eundem biduò præſtolatum non viderit, ſummam ſibi accidiſſe felicitatem meritò exiſtimavit; quadraginta quippe Turcarum equitum millia ſolus Chriſtianorum peditatus ſuſtinere non potuit; neque eo dimovere loco ſat tutum videbatur, quòd apparatus & impedimenta luto lacunisque inhærentia tridui ſpatio abeſſent, certò hoſtium poteſtati ſine defenſoribus ceſſura: his in tutum, & tormentis in alterum D. Gothardi partem duabus à Furſtenfeldio leucis diſſitam delatis, peditatus ibidem noſter ſecus arrabonis alveum caſtra metatus eſt, viditque immani & conſuetâ hoſtem feritate per omnem latè regionem domos, templa, vicos & oppida flammis cædibusque devaſtare. Utriusque demum partis acies tertio Kalend. Auguſti ſibi proxima, & ſolo disjuncta flumine hoſtem mutuo habet in conſpectu, ita ut aliquot Tartarorum agmina è caſtris in Styriam volantia ſint viſa, quam funeſta hominum ſtrage & depopulationibus immunem nullatenus eſſe voluit gens latrociniis magis & excurſionibus, quam bello aptior; quippe cujus vita & victus crudam quandoque hominum carnem non abhorret; equinâ verò ſub ephipio elixatâ maximè quam dici poteſt delitiatur. Quid quod ipſum Tartarorum Rege equinum caput menſæ non ſolùm præmittere; ſed eodem etiam finire ait *Buſbequius ep. 4. pag. 564.*

Tartarorum excurſiones & latrocinia.

Pridie autem Kalend. Auguſti incertam Ottomanni martis aleam neſcio an declinaturi, an autem Chriſtianos à tergo invaſuri, uno milliaris quadrante ſupra D. Gothardi fanum caſtra promoverunt, ſequentibus illos ex adverſo Chriſtianis, qui fortunæ rotam die altera tentaturi, dubiâ adhuc luce aliquot velitum cohortes in caſtra turcica immittunt, indeque gravibus ditati ſpoliis nonniſi quatuor ſuorum amiſſis, pluribus verò hoſtium cæſis, feliciter revertuntur. Hanc injuriam deſpectumque ſine adverſa illatum ſibi cæde ulturus Vezirius ipſis Kalendis Auguſti, Cæſari auſpicatis, horâ diei nona ſex Janizarorum & Albanenſium millia ex hoc loco, pontis coreacei & tormentorum beneficio, & alibi ad vicum Chiesfalum magnam equitum copiam per arrabonem ibidem vadoſum immittit in medium Chriſtianorum exercitûm, magnumque terrorem & tumultum incredibili comitante furore incompoſitis copiis Imperialibus infert: datur ineundi prœlium per caſtra Chriſtiana ſignum; ſed legiones procul diffuſæ pari hoſtium celeritate contra eundem in arenam confluere non poterant; nam quod pejus erat, pluribus erat pabulandi poteſtas conceſſa, quòd hoſtem ſe invitis arrabonem tranſire non poſſe arbitrabantur; ſoli Imperiales excubias in fluminis vadis (quæ loricis, ut galli & alii opportunè fecerant, non munierant) agentes, ferocem hoſtis impetum ſuſtinere non valebant, utpote plurimi fame penè enecti, continuis defatigati itineribus, armorum etiam & phalangum imperiti, nunquam tam truculenti hoſtis conſpectum,

Pugna ad S. Gothardum.

ſpectum, taceo tanti furoris ardorem ſubierant coguntur tamen utcunque in aciem & phalanges copiæ, dexteram conficiebant alam Auſtriaci ſub Montecuculi imperio, ſiniſtram cum Hohenloio tuebantur confœderati, & 40. gallicæ ſub Colignio vexillationes : quæ duæ alæ medium ſeu corpus ex Imperialibus coadunatum (cui præerat Badenſis) muniebant. Hos imprimis Turcæ ſummâ urgent contentione, inſtant, perrumpunt; dumq; alii trepide cedunt, alii ſegniter ſubeunt, turbata tota acies, dein fuſa, & vincente pudorem metu terga dederunt, in eandemque ſuccenturiatos fugam pertrahentes ingentem omnibus latè terrorem incuſsêre, Viennam uſque à fugitivis delatum centurionibus. Hac uſi occaſione Turcæ nullis Chriſtianorum objectis armis liberè per arma, per cædes ruunt, non abſque ſolita gentis vociferatione, quâ ſolâ inſuetos militiæ tyrones exanimatos inſtar caulium deſecabant: pars Janizarorum opportunum protinus ſolum occupare, idque excitato vallo munire, pars ad pagum Mogerstorff caſtrorum terminis comprehenſum præcurrere, ibidemque obſtructis domibus per feneſtras ejaculari: his audaciores equites tentoria invadere, ſtragemque ſine adverſa vi cruentam edere. Fuſis ita fugatisque agminibus ſolus Nicolaus Honig Bavarus haud magno equitum manipulo unicus turcici furoris infringendi ſcopulus, poſt turpiſſimam Imperialium fugam in hoſtem inſtantiſſimè invectus, pari ſanè, & majori fortitudine, etſi vulneratus, & ſecundum femur trajectus haſtâ, caſtris eum laudatiſſimè ejecit.

Nicclium ardentiſſimè obnitentem ſuſtentant confœderati pedites, accurruntque proximæ equitum legiones Schnidaviana, Naſſavica & Kilmanſeckiana, quæ graviſſimum facile prælium reſtaurant: hos pari Turcæ ſucceſſu turbatis primum ordinibus non tantum repulêre, ſed deinde propemodum omnes ſolis cæſim harpis oppreſsêre. Occubuerunt tunc præter gregarios plures tribuni ſanguine & virtute inſignes: Comes Naſſavius, generalis vigiliarum Præfectus Bueck, Comes ab Ursbeck, Carolus Comes Trautmanstorffius Eques Melitenſis, BaroKilmanſeckius deGrüter ſupremus locumtenens: Comes Fuggerus generalis rei tormentariæ præfectus, Comes à Widt; reliqui fœderati equites, quod frequentes nondum confluxerant vario marte modo pellebant, modo pellebantur.

Cernens è montis ſpecula Vezirius proſperam victoriæ ratem fauſtis fortunæ flatibus provectam, ſibique deſperatam Chriſtianorum ſalutem (ſervitutem pene dixeram) & univerſi ruinam exercitûs certo pollicitus, generoſos, eosque pugnaciſſimos Spahos, Janizaros & Albanenſes ad proſequendum victoriæ per caſtra modò proclamatæ curſum continuò ſubmiſit; & verò quo quis avarior, cedróque erat cupidior, eò citius alacriusque flumen inſiliebat, & irreparabilem inferre cladem minabatur; nam uberrimum virtutis alimentum eſt honos. (*Valer. Max.* 2. 1.) Deinde citiſſimum Vezirius ad magnum Soldanum ſuum expedit nuntium, qui rei hujus geſtæ ſeriem, & ſecuturam indubitatò

victo-

victoriam uberiùs referret oretenus; prævidebat namque hoc fore Soldano gratiſſimum, qui iteratis ſæpe literis Arrabonis tranſitum urſerat, & dedecus fore ſibi dicebat toti imperitare oceano, & ab exiguo vilique flumine ſuam coarctari potentiam. Superato igitur Arrabone haud dubius de victoria Soldanus, ſeptiduam ovationis ſolemnitatem, ſeu Dunalmam, ut vocant, jubet inſtitui: Jamque populus Ottomannicus geſtienti ubique per triduum exultabat lætitiâ, urbes & domus noctu lampadibus & facibus feſtivè ardebant: perſonabant buccinæ, tubæ & tympana, grandia mugiebant tormenta, gratulabundum ubique gaudium, ubique hilaritas, luxurioſa ubique jubilatio audiebatur; ſed inſignis Vezirii mox nuntiata clades, triduanam hanc & intempeſtivam Dunalmam fatali ſubito mœſtitiæ ſipario funeſtavit. Turcæ canunt ante victoriam triumphum.

Certatum interea utrimque conatu primum acri validóque, ſed non pari utrimque conſtantiâ; nam quisque fugâ ſibi conſulebat, quod modò hic, modò alter ſubſidio auctus graviorem pugnæ vim inferret: revertebatur jam miles ex babulatione elinguis, ex fatigatione inſtabilis, ex vulnere deficiens, utque Vezirius Chriſtianorum vires diſtrahendo magis enervaret, ſex Tartarorum millia protinus ad molam, horâ ab arena diſſitam ſubmittit, ut ſuperato flumine incautos à tergo invaderent Chriſtianos: vidit iſthoc Montecuculus, oppoſuitque Sporckium adjunctis ei deſultoriis aliisque veteranis, & machinis aliquot campeſtribus: Joannes Sporckius impiger militiæ tribunus incredibili quà celeritate, Sporckius Turcas cædit.

tate,

tate, quà conſilio hoſtem præveniens, ut ſuos non modò ad prælium aptus, ſed verbis alacres & conſilio promptos redderet, hæc pauca pugnæ præmiſit: Agite pugiles, præſtate virtute Schytas, ut honore & nomine præſtatis: non veſtrum ſuſtinebunt impetum aquis jam undique implicati, & nunc cunctantur magis quàm reſiſtant. Nec mora pugnæ, concitant equos, permittuntque in hoſtem Rabenſi jam flumine turbatum. Sporckius providere omnia, laudare fortes, inertes increpare, ſicubi pugna ſegnior eſſet: caſtigati fortium ſtatim virorum opera edebant, tantúmque hos pudor, quantum alios excitabant laudes: conjunctis itaque & redintegratis viribus omnes connixi hoſtem avertunt, nec deinde Chriſtiana vis ſuſtineri potuit, Schytæ fuſi per agros paſſim caſtra repetunt, cæſisque duobus hoſtium millibus opulentâ potiuntur prædâ. Illatæ hujus ſtragis fama perlata non modò ad Chriſtianorum, ſed Turcarum etiam exercitum, illorum animos ad æmulandum accendit, horum dejecit; nihilo tamen minus legiones legionibus, cohortes cohortibus, ſubſidia ſubſidiis cumulabat Vezirius, inque emortuas pene Chriſtianorum vires inſurgentes, jam ultra decies funeſtâ ſemper clade profligarat, atque ita medios etiam ordines & poſtremos cùm laſſatos tum laxatos facilè perrumpunt Janizari, loricis raptim & vallis ſeſe munientes.

Turcæ prævalent. Jam vires viris, bombardis pulvis, conſilium Chriſtianis prope deerat Ducibus, coacto tamen feſtinanter Ducum conſilio Montecuculus conſervando exercitum vallis & loricis tumultuariè

riè muniendum, & noctu clam periculo ſubducendum ſuadebat: Badenſis quod ſuis plerisque copiis eſſet deſtitutus, inops conſilii, expediens ab aliis audire lubensque ſequi paratus erat: Hohenloius morbo afflictus præſenti ſe internecionis periculo, quod hoſte nimium ubique invaleſcente inevitabile prævidebat, maturè cogitabat eximere, vix aliàs evaſurus: ſuo tamen & tribuni Sparrii ſuggerentis conſilio, clauſis probe adunatisque hoſtem ordinibus vigorosè invadendum eſſe, qui neglectis adhucdum ordinibus agminatim diffuſus & disjunctus veſano magis furore, quam ſano hucusque conſilio vagabatur, divino tandem opitulante ſubſidio repellendum prudenter ſanè dictitabat: placuit omnibus conſilium; ſed quibus adoriendus copiis? inquiebat Montecuculus, iis, reponebat Hohenloius, qui cum hoſte necdum conflixêre, equitatu imprimis gallico, cæſareo peditatu, & reliquo adhuc integro equitatu hoſtem eſſe rejiciendum. Recuſabat illud Colignus gallicarum Dux copiarum, quòd Regis ſui mandato copias non prodigere, ſed conſervare juberetur. Cui Hohenloius extremam periculi neceſſitatem vix etiam à ſe ſuisque evadendam, totius econtra Chriſtiani exercitûs conſervationem cum immortali gallicæ nationis gloria conjunctam efficaciter demonſtrabat, nec tamen perſuadebat, cúmque ſuas Colignus copias præſentiſſimo ſe poſſe opportunè adhuc ſubducere periculo affirmaret, Hohenloius eductas è ſacco literas Coligno exhibet, quibus ſuas Rex copias Hohenloii curæ & poteſtati commendabat ducendas

ac

ac regendas: his perlectis humerisque contra-ctis Colignus Hohenloii paruit imperio.

Obni-tuntur Chri-ſtiani.

Horâ igitur poſt meridiem ſecundâ Monte-cuculus ex bellici præſcripto conſilii ſigno per tota caſtra dato, diſſipatas in unum legiones, co-hortes & turmas colligere, cogere primò in cu-neum, tum componere ordines, peditatum cum equitatu conglomerare & immiſcere, atque ſic duabus ut vocant lineis firmiter coadunatis in hoſtem magna contentione procedere; Turcæ econtra fortiter obniti, & reſtaurare pugnam ge-neroſo conſtantique animo ordines perrumpere tentant, id quia Turcæ non poterant, nec aciem firmiter utrobique unitam & clauſam luxare, minùs laxare, turbantur, & ex fruſtranea im-preſſione confunduntur; pugnant ubique timi-dè, paulò pòſt fugituri univerſi: inſtant, & con-cordi impetu Chriſtiani urgent, eunt inſignes armis, animiſque qua premi parte maximè Tur-carum copias vident, nihil neque apud Duces, neque apud milites animi à ſummo certamine remittitur: Senſit ergo eventus virtutis enixæ opem, quam Turcæ diutiùs non ſuſtinentes, ter-ga vertunt, ruunt in fugientem, & jam lunari acie captivum hoſtem Chriſtiani; effuſo igitur curſu Janizari pontem repetunt, qui multitudi-ne ſubſidens interrumpit, eoſque nobiliſſimi Spahorum equi tum furore inſani, tum ſubmer-ſioni proximi conculcant, & mutuâ clade pro-ſternunt; nec plures in altero ripæ margine ere-ctus muro ſimilis agger exſcendere permittebat, quo ſimul intumeſcens fluvius plures quàm fer-rum glandeſque necabant, hauriebat, ſic in æſtu

Chriſtia-ni Tur-cas cæ-dunt.

fugæ

fugæ ferri frigore obriguerunt permulti, & maxima pars ſuo ſanguine Rabam auxit, ut vadari non poſſet. Tollitur triplex & immenſus utrimque clamor, ululant deſperatione Ottomanni, Chriſtiani exultatione. Cernens fatalem ſuorum ſtragem vicinus vado Vezirius furorem vincente metu deſperat, ſub eoque equus trajicitur; tum pavido preſſus mœrore exclamat: ô ſi quis truncato mihi capite vitam eriperet! ita ſæpe à paucis ſtrenuis adverſus multitudinem benè pugnatur, ait *Sal. Jugurta*, quia pluribus ſubjacet caſibus amplior multitudo. *Veget.* 3. *c.* 1.

Pugnatum eſt feliciter ab Ottomannis quinque horis à nona uſque ſecundam; à Chriſtianis totidem horis quinque feliciter ſimul & victorioſè in ſeram uſque veſperam, cæſaque eſt tanta Ottomannorum multitudo, quantam annales eorum ab Ottomannici ortu imperii referunt nullam: cecidêre imprimis Iſmael olim Baſſa Budenſis, tunc urbis Byzantinæ Præfectus, ſeu Caimacan, trajectus dum Arrabonem transvadaret; Spahilar Agaſi Spahorum generalis præfectus; Janizarorum Aga, minor tartarici Chami filius, & plures alii Baſſæ: generalis etiam Alibegus Boſnenſis, 30. Capigibachi, 35. Vezirii atrienſes & 300. laterales, quinque mille Janizari, 3000. Spahi, 1500. Baſnaci, 800. Albanenſes, 600. Croatæ & Ungari turcici, 250. Walachi & Moldavi, 600. Tartari, 1500. Anatolienſes & 4000. Aſiatici, numerus omniũ ultra 17000. Captæ ſunt 16. curules machinæ, prætorianum Vezirii vexillum, & alia centum viginti ſigna, quinque millia harpium, qua- **Numerus occiſorum & ſpolia**

tum

rum pleræque argenteis lunulis, una verò gemmis & auro illuſtris erat Ragotzii, ante biennium mactati, in victoriæ teſtem Leopoldo Cæſari, cum pretioſiſſimis ſex Vezirii equis, auro gemmisque inſtratis oblata, quam in Ferdinandi III. vitam ſæpè Ragotzius perfidè ſtrinxerat: intercepti præterea ter mille equi, ingens ſpoliorum, veſtium, & in eis magna auri copia: quid quod ipſum continuò flumen cæſorum corpora ejiciens copioſis quoque ſpoliis militem ditabat. Vulneratorum numerus non facilè iniri potuit; bina tamen eorum millia recenſentur. Nec incruenta ceſſit Chriſtianis victoria, vicerunt, ſed non ſine magna quoque ſtrage, ignaviaque fugientis Imperialis & Cæſareani peditatûs noſtram (ita diſponente numine) ſed ſine laude auxit victoriam: occubuêre nimirum tria circiter millia, quos inter plures gallici ſtemmatis nobiles, ſanguinis ſui rubricâ immortalis gloriæ codici nomen inſcripſerunt, cæteri verò invicta fortitudine ſua nunquam ſatis laudabili magnum addiderunt victoriæ augmentum: unus eorum Dux Colignus ſua ad Arrabonem manu triginta dicit interfeciſſe Ottomannos: nec minorem imo maximam fortitudinis laudem & famam apud omnes meruit obtinuitque Montecuculus, quem ideo Cæſar ſupremum exercitûs ſui renuntiavit Imperatorem, neminem niſi Cæſarem agnoſcentem ſuperiorem.

Turcia turbata. Funeſta hæc hoſtium ſtrages univerſam turbavit Turciam, omnesque ingenti mœrore ſimul & tremore concuſſit, Byzantii offerebantur deo Mahomet deprecatoria vota, preces & pœnitentiæ

tentiæ: in campis refractarius miles Vezirio ruinæ auctori militarem detrectabat obedientiam: plebs & miles publicam imperii ſui ominabantur ruinam ex vicenalis pacis violato perfidè Solimanni juramento necdum evoluto, Janizari tantâ ſuorum ſtrage bellum pertæſi execrantes, pacem minaciter exigebant; turbulenta, tumultuoſa omnia Vezirii ſpectabant necem, quam etiam non declinaſſet, niſi pacem, auro tunc optabiliorem, omni à ſe ſtudio promovendam caviſſet. Poſt ſtragem autem collecto rurſus exercitu Albam regalem contendit, eundem ibidem reſtauraturus, & Aleppi Baſſam cum octo millium ut dicebatur ſubſidio expectaturus: inde Strigonium rediens Moldaviæ & Walachiæ principes extra ſcitum ſuum maturius abiturientes ad ſe revocavit, qui ſolidis ſe rationibus excuſantes emanſerunt; & Walachus quidem Ducatui cedens quieti impoſterum victurus, inſidiante undique per Tranſylvaniam periculo, clam in Cæſaream tranſiit tutelam. Vezirius interea bellico convocato conſilio, quid hoc rerum ſtatu ſatis periculoſo ſtatuendum, ſedulâ conſultabat ſollicitudine: novam diſſuadebant expeditionem & prælium annus in autumnum declinans, & robur exercitûs amiſſum: conſultum itaque profligatas ad Leventzam Huſaini copias ad Vezirii exercitum reducere, & Vyvarinum copioſiore milite, neceſſario bellico apparatu & commeatu inſtruere, ut acquiſita ex communi ſtatûs ſui regulâ ſecuriùs conſervarentur.

49. Tum Vezirius ad pacis negotium manus applicans, eam ut à victore victus obtineret, de- Pax Cæſareo-Turcica.

demulcendo pellem Schyticam, generoſum equum auro ephipiatum Cæſareo ad portam reſidenti rarâ imprimis offert humanitate. Expetitæ pacis propoſitio Cæſari non diſplicuit, quæ & Italiæ (cui etiam à truculento barbarorum furore timebatur) ſecuritatem ſtabilivit: factâ igitur Reſidenti Renningen eam pangendi poteſtate, his utrimque concluſa eſt articulis: Tranſylvania in antiqua ſua libertate & limitibus ſub Abaffii regimine maneto: Cæſar Guttam & Nitriam muniendi habeat poteſtatem: Abaffius Soldano in belli ſumptus 600000. impp. ſolvat; duo Zathmarienſis & Zabolenſis comitatus Ragotzio ad vitæ tempus conceſſi, Rom. Cæſari abſque ulla Soldani vel Abaffii impoſterum prætenſione reſtituantur: Zeckelheida arx penitus demoliatur: Varadinum & Vyvarinum jure belli Turcis permaneant, hujus vice Leopoldus aliam arcem ei vicinam, confinis regionis ſecuritati opportunam poſſet conſtruere; non ita Serinwarium, quod in ruinis ſuis maneat ſepultum; & hæc mutua pacis pactio æqualibus per legatos muneribus confirmetur. Quibus ſubſcriptis, omnium, imprimis Turcarum lætitiâ & exultatione pax eſt promulgata, & 20. annis ſtipulata: in cujus teſtem Vezirius plurimos captivos reſtituit libertati; atque ita rebus compoſitis abiit Belgradum, inde opportuno tempore Adrianopolim, Soldanum acceſſurus, quem ante pacis compoſitionem adire tergiverſabatur: multos enimverò in aula habebat malevolos, & invidos ſupremæ dignitatis ſuæ æmulatores, & inſidiatores non paucos, negligentis

illum

illum ignaviæ, & incautæ apud Soldanum imprudentiæ inſimulantes, quorum meritò potentiam timere, & vulpinas vix inſidias declinare poterat, uſque dum generoſæ virtutis ac fortitudinis ſuæ gloriâ optatiſſimæ hujus pacis compoſitione, demolitione Serinwarii, & Vyvarini deditione eorundem apud Soldanum inſidias illuderet, & omnino confunderet.

Uberiores tam inſignis victoriæ fructus ſperabant plurimi, ideoque tam ſubitaneam inopinatamque pacis compoſitionem, citra Vyvarini repetitionem admirabantur, & indignabantur Hungari; inſciis & poſthabitis ſe patriæ ordinibus (contra regni leges & privilegia) tam vilem, tamque ingloriam; deteriore quàm unquam hactenus damno initam; vi cujus Vyvarienſis Præfectus ſeu Baſſa à Moraviæ finibus per majorem Hungariæ partem, ultra 60. milliaria territorium extendens, & arrogans juriſdictionem, continuis eam exactionibus, militaribus collectis & excurſionibus exhauriet; atque ita pace non emolumenti, ſed detrimenti bellum præſtantius, ut quod honeſtâ nequivit pace, favorabiliore nunc ſaltem marte extorqueretur. Quare Cæſarei ad Portam Ottomannicam Reſidentis ſecretarium pacis tabulas à Cæſare ſubſignandas deferentem detinentes, equo, ære, & tabulis deſpoliaverunt. Illud Cæſar indignè ferens, convocatis Viennam proceribus per Lobkowicium demonſtrat pacem non ſine contemnendo Ungariæ emolumento pactam eſſe: Tranſylvaniam priſtinæ reſtitutam libertati, Comitatus Zathmarienſem & Zabolenſem hucuſ- Diſplicet Hungaris.

que Tranſylvaniæ, nunc accreviſſe Hungariæ ad ſecuriorem ſuperioris Ungariæ defenſionem & continendas Varadinenſium & Vyvarinenſium excurſiones nova cis & ultra Wagum fl munimenta juxta pacta extruerent; quod quia ultra ſuas eſſe vires contendebant, pacem violatis regni legibus pactam ſubſignare recuſarunt. Aſt ubi Lobkowicius ſtipulabatur templa Proteſtantibus reſtituenda, nova ad Wagum fl. munimenta non regni, ſed Cæſaris extruenda impendiis, eaque uti & Leventzam, Nitriam, Tockaium, Zathmarium, Kalum & Onothum Ungarico munienda præſidio, haud difficulter pacem confirmarunt: & S. Stephani coronam, metu Cæſaris ſibi illam jure, ut ſuſpicabantur, hæreditariò arrogantis, Presburgi clam depoſitam priſtino reſtituerunt loco. Sed quòd Cæſar ambiguis Ragotzii diffideret conſiliis, confinia Tranſylvaniæ oppida non evacuavit, ſed validiori germanico augmentavit præſidio, cum grandi tam Proteſtantium, quàm Catholicorum indignatione, vanis exiſtimantes ſe deluſos eſſe promiſſis.

Cauſæ initæ pacis.

Veruntamen Cæſar ad pacis vel ideo maximè ductus eſt conſilia, quòd periculoſa Martis fulmina in Germaniam proximè evibranda ominaretur; neque enim fruſtra gallicæ reduces ex Ungaria copiæ diutiùs poſtmodum Imperii Rom. viſceribus immorari; & Regis ſui Ratisbonæ in conventu imperiali ſucceſſionem Regis Romanorum urgere videbantur. Philippum IV. deinde Hiſpaniarum Regem ſenio jam confectum unicum habere filium Carolum tot regno-

rum

rum ſucceſſorem viribus omnino debilem; cui manu & conſilio paternè firmiterque aſſiſtendum, qui ſi fortaſſis naturæ cederet & regnis, debitum Auſtriacis ſucceſſionis jus hæreditarium, regnorum legibus mutuò fundatum, cunctis belli impedimentis remotis proſequendum, & contra invaſores omni curâ & ſollicitudine conſtanter fore manutenendum. Poloni etiam Regis electio variis hactenus agitata competitoribus cautè Auſtriacis obſervanda, quæ ſi gallici Principis Anguienſis filium, ut arduè contendunt Galli, contingeret, plurima inde turbulenta fore metuenda. Rhenenſium variorum Imperii Principum confœderationem haud ſanctam facilius hac Ungaro-Turcicâ pace diſſolvendam, quàm confirmandam Cæſar exiſtimaret; atque ideo victoriâ hac cœlitus conceſsâ pax bello præferenda; felicior, ſi tempore pacis de bello cogitaret futuro.

50. Evolvente jam ſe in finem anno, miles utrimque ad hyberna remiſſus, Gallis aſſignata Bohemia; ſed inde, ut dixi, à Rege revocati, parvis in Alſatiam itineribus Cæſaris impendiis contenderunt, magni antè pretii donario à Cæſare remunerati: Colignus verò & Fevilladus, aliique tribuni abire, niſi Serinio (relictis ob Serinwarium deſtructum caſtris Chactorniæ quieſcente) ſalutato nolentes, generoſum ipſi equum, magnæ in eum æſtimationis ſuæ teſtem obtulerunt: qui paulò pòſt in nemore à ſuis avius, aprum venabulo tactum, atque ſpumantem frendentemque inſecutus, ferino dente primùm genu in terram dejectus, tum iteratò in ca-

Nicol. Serinius ab apro occiditur.

caput & corpus fatali ictus vulnere periit: vel ut *Comazzius lib. 6. fol.* 105. ſcribit, quem ſuusmet famulus in aprum ſclopum manualem ejaculans, ſed fallente in aprum ictu, dominum ſuum improvidè & miſerè conficit. Hic fuit finis Nicolai Serinii herois generoſiſſimi, quem in tot tantisque mors periculis ferire non auſa, feriit vilis, ſed crudelis fera; unde quidam emphaticè:

ejus laus

Dum venatur apros, aper hunc venatur: uterque
Certat: uterque ferit, læſus uterque perit.
En fatum Comitis! ſic claro è ſtemmate Martis
Eſt Comes, & mortis cogitur eſſe comes.

Turcarum ille terror vatiniano illos odio plus quàm Romanos Hannibal ſemper perſecutus, ideoque publicâ illius morti parentarunt lætitiâ: cujus nomen non priùs audiebatur, quàm animis terror ingerebatur; vultus & manus non priùs videbantur, quàm hoſtibus pavor & fuga incutiebantur: cujus fortitudinem ipſi adhuc loquuntur hoſtes: erat namque in periculis imperterritus, generoſus in præliis, impiger in laboribus & invictus, in potu & cibo temperatus, acris ingenio, diſcurſu jucundus, venationis amans, & bellicoſus, magnanimus inter milites & liberalis, acerrimus denique Chriſtianæ Religionis defenſor, dignus inter maximos numerandus heroes, æternitati juſtè tranſcribendus.

Vezirii mater necromantica.

Cæterum Vezirius Belgradi hactenus commoratus, matrem ſuam ritu Turcis ſolemni veneraturus eò accerſit, petitque ut infauſtam ſuam excuſatura cladem, Soldani ſibi animum propitium faventemque arte ſuâ necromanticâ,

quâ

quâ paſſim famoſa animorum potentiis dominari credebatur, conciliaret; quo etiam effectum videbatur, ut iteratis Soldanus literis ſuum ad ſe Vezirium Adrianopolim vocaret, & ardenti, impatientique præſentiam ejus deſiderio efflagitaret; hic verò illum in adventum Cæſarei ad Portam legati ſtudio differebat.

Galli Algerienſes ignibus vexant.

Gallicus Dux Belforcius Reipublicæ Algierienſis in Africa piratas ingentia continuò damna Chriſtianis inferentes, juſſu Galliæ Regis invaſurus, & oppreſſurus, cum claſſibus Gallica & Melitenſi improviſo inſultu Africanum litus appellit, & civitatem Igilgilim, vulgò Gigerim, nullius vel nominis vel opportunitatis locum [qui portu & cæteris ad arcem extruendam neceſſariis careret] levi manu occupat, gallicum ibidem mercaturæ emporium inſtituturus, & piratarum latrocinium everſurus: conceptûs initium ajebat Colbertius, optimum, ineptus effectûs propagator; Barbari namque collecto tumultuariè aliquot millium exercitu Belfortium eodem adhuc anno impetunt, urbe & munitionibus ejiciunt, ut turpi fugâ ſeſe ſubducere fuerit coactus, relictis quinquaginta tormentis æneis, quæ meditatæ arcis defenſioni inſervitura jam depoſuerat; factusque eſt Anglis riſus, quos paulò ante Galli à Mauris prope Tanger cæſos illuſerant. Econtra gallicus præfectus Tracius inſulam in America Cajanam, expulſis Batavis feliciter occupat, quia prima eſſet Gallorum anno 1652. colonia; viſitavitque Gallorum ſimul inſulas Martenico, Guardalupe & S. Chriſtophori, mercaturam ibidem

Comes de Gleichen.

51. Erfordia Thuringiæ metropolis, univerſitate inclyta, in cujus metropolitana Comitis de Gleichen extat epitaphium, qui duas ſimul habuit uxores, Chriſtianam unam, alteram Turcicam, Soldani filiam, cujus ope ex turcica ſervitute in bello captus feliciter evaſit, quam, niſi primam mortuam putaſſet, non maritaſſet, ex diſpenſatione ambas retinuit, uno thoro, unâ domo, unâ mensâ in tantâ ſemper voluntatum concordia utentes, ut una idem quod altera ſemper vellet & nollet, ſine ulla unquam repugnantia, ut ſcribit *Cellarius in Geographiſchem Lexicon. verb. Erfordia.* Hanc, inquam, Erfordiam Elector Moguntinus Joannes Philippus Schonbornius ad primæ obedientiæ Sacramentum vi armatâ adegit, cui ſe ſubducere à multis jam annis 1632. uſque ad 1649. cœperat; hæc enim Suecorum armis olim ſub rege Guſtavo Adolpho occupata, cum diu eorum in Germania Imperii ſedes fuiſſet, & pace Weſtphalicâ pactâ legitimo & priori domino Electori Moguntino parere debuiſſet, pro libera civitate imperiali ſe habere cœpit; Elector verò eam ſemper ut municipalem ſibi immediatè ſubjectam antiquo jure habere voluit; fierique ex cathedris Lutheranorum olim anno 1620. 1615. obſervatam, nunc à bello Suecico omiſſam pro eodem Electore orationem, quam Limprechticam formulam, à Volcmaro Limprecht compoſitam, nominabant, quod mordicus denegabant, eò quòd hæc formula Electoris ſuperioritatem, & urbis ſubjectionem includeret, timerentque Lutheranæ religionis ſuæ libertatem violari: Cæſareus autem

Erfordia Moguntino parere coacta.

autem Commiſſarius Baro Joan. Chriſtophorus de Schmiedeburg Cæſaris mandato 26. Junii orationem fieri debere imperat, Saxoque Elector (qui hæreditarium urbis jus protectionis prætendit) ſimplicem civibus ſuadet mandati paritionem, & Limprechticam fieri formulam, quam ſenatus & cives necdum viderant, ab illo occultatam & mutatam, quâ re cives offenſi Limprechtum captivant, & 20. Novembris Limprechtum in foro piſcatorio publicè plectunt capite, precatoriam Limprechti formulam contumaciter & inſanè rejicientes, Saxonicus licet ſuperior circulus hanc ob rem Lipſiæ collectus, miſſo illuc Mauritio Duce Zeitz ad quietem & paritionem graviter cives adhortaretur, & ſubſidium promitteret. Cæſarei igitur Commiſſarii Schmiedeburg & Goppold caduceatorem Cæſareum Jacobum Lidi, Cæſareum Notarium, cum 4. teſtibus equitem, & duos tubicines cum banni declaratione Mulhauſio Erfurtum mittunt, quam ubi caduceator ad urbis portam inter conglomeratum ibidem vulgus vellet aperire & denuntiare, è manibus eripiunt, & ad mortem fermè vulnerant. Quingenti autem Moguntini equites banni executores in urbis conſpectu aliquot urbis aurigas deſpoliant, duos fabros lignarios ſuſpendunt, quibus alterâ die in urbem introductis, furibunda plebs omnium Limprechti fautorum domos ſpoliant & delumbant, ſenatorem Kniphoff trajiciunt, gravesque apud collegium Ratisbonenſe & Regem Sueciæ deponunt fruſtraneas querelas, paritionem utro-

Banno innodatur.

Obſide- ſur. bique ſuadentes. Elector igitur Moguntinus ut inſanam eorum infringeret contumaciam, urbem annuente Cæſare, & auxiliaribus circuli principibus (alii gallicis & Lotharingicis copiis) 15000. ſub General. Pradelo & Sommerfeldo obſidione 17. Septembris cingit: cives ad mutuam defenſionem non deſides, ſpe promiſſi Saxonici ſubſidii vim vi aliquamdiu repellunt, at cùm Saxo loco ſubſidii ad obedientem deditionem adhortaretur & ſuaderet, animis dejecti, ſubjectionem debitam & deditionem ſpontè ſub conſcientiæ libertate & amneſtia 15. Octob. offerunt. Elector ipſe Joan. Philippus triumphaliter urbem ingrediens à quindecim millium exercitu ſalutatus, ad foras templi metropolitani oblatis urbis à ſenatu clavibus in gratiam benigniſſime recepit; pro qua immenſas urbis Syndicus Putz gratias referens, humiliter offert urbis homagium. Tum Elector detecto capite, omnem civibus genuflexis promittit gratiam & favorem; liberum Auguſtanæ confeſſionis exercitium pro ſe & ſuis poſteris; plenam omnibus civibus vitæ & bonorum indemniſationem; hujus autem tumultûs impendia ex communi urbis ærario & cenſibus ſolverentur. Tum ſurgentes Senatores & cives ad ter mille viritim ſtipulatâ manu in manus Electoris & duorum capituli deputatorum Baronum Reiffenberg & Baſſenheim ſubjectionem & obedientiam per quatuor continuò horas promittunt: quâ Electoris benignitate & humanitate cives mirifice capti, pane præſertim & cereviſiâ potati ſunt. Denique Elector Senatum

Deditur (margin, beside "tè ſub conſcientiæ")

Subjectionem ſpondet. (margin, beside "rentur. Tum ſurgentes")

poſtea

poſtea ad minorem numerum reductum, catholicos urbis theologos, & evangelicum miniſterium in menſa dapſiliter tractavit, ſeveriſſimè ſub graviſſima pœna admonens veram & genuinam S. Scripturæ interpretationem, prohibensque ſcommata, & calumnias & ſimiles exprobationes: corpus præterea Limprechti honeſto loculo impoſitum jubet ad curiam deferri, & inde honorifico electoralium miniſtrorum,& urbis primariorum comitatu in templo mercatorum ſolemniter ſepeliri: Arcem denique ſex propugnaculorum in monte S. Petri, & arcem S. Cyriaci majori quoque robore fortificari imperat. Inde poſtmodum inter Saxonem & Moguntinum orta eſt controverſia de jure protectionis Erfortenſis, de quo videndum Theatrum Europæum hoc anno.

52. Rex Poloniæ Joan. Caſimirus priori contra Moſchos in Urkrania victoriis glorioſus, hoc anno, ut ſperabat, glorioſior, niſi inquieti Coſaci Moſcovitici impediviſſent; dum enim Rex validam in provincia Severienſi urbem Novogrodek invaderet, tribunus eorum Brzuchowizkius cum viginti quinque millium exercitu in illum movens, non auſus tamen prælio cum rege decertare, ſed in ſylva undique obſepta timidè latitabat; in quem rex aliquot Tartarorum millibus confirmatus, viginti ex ſuis caſtris millia ſub Generalib. Polubinskio, Trochio & Bidzinskio dum immitteret, Moſcoviticus Gen. Proſſowskus cum duodecim millibus, & octo tormentis illis tranſitum occluſurus, turpiter relictis tormentis cæditur, apertâque in Moſcoviam

Poloni iteratò Moſchos cædunt.

ſcoviam viâ, ultra triginta milliaria Poloni & Tartari hoſticum cædibus & ignibus adeo devaſtant, ut plus quam 1500. pagis & oppidis incenſis, defectu commeatûs in Uckraniam Mohilovium fuerint reverſi. Iteratis poſtmodùm vicibus Moſchi cum rebellibus Coſacis Polonos tumultuariè invadentes, à Wyhowskio, Czarnezkio, & Lithuanorum Gen. Pacz internecivè cæſi, & ad pacis transactionem ſunt coacti, receptis multis trans Boriſtenem urbibus, quas Moſchus occupaverat. Ceterum Polonia internis etiam laboravit diſſidiis, ſatagente multis moliminibus reginâ, Caſimiro conjugi ſeſe abdicare regno paranti Gallum principem ſubſtituere. Georg. Sebaſt. Lubomirskius ſummus regni Mareſchallus Dux magnæ auctoritatis & potentiæ, in exoſæ novitatis auctores, & polonicæ libertatis violatores magno clientum, & faventium nobilium numero ſtipatus inſurrexit, reſque in civilis belli periculo verſabatur: Lubomirskius in Regis, ſeu potius Reginæ offenſa multis accuſatus criminibus, quòd præcipuè exercitum contra Regem & rempublicam effecerit rebellem, confœderationem excitaverit & promoverit, diſcordiamque inter caput & membra ſeminaverit &c. ad comitia provincialia Varſoviæ perſonaliter citatur; illè verò per literas ea meras eſſe calumnias, & libertatis polonicæ ſe aſſertorem profitebatur; nihilominus tamen 23. Decembris Lubomirskius in publicis Varſovii comitiis 32. Senatorum votis damnatur reus læſæ Majeſtatis, & perduellionis, vitæ & bonorum confiſcationis, cum omnibus illi ad-

Polonica diſſidia.

Lubomirskius accuſatur.

adhærentibus proſcriptus: contra quam ſententiam publicè proteſtatus eſt Lubomirskii frater, regni ſtabuli præfectus, ſibi familiæque ſuæ optimè de republica meritæ admodùm damnoſam & infamem; Georgius autem quamprimùm ſe Cracoviâ proripuit Breslaviam in Sileſia; dum interim paulò pòſt reſciſſis Varſoviæ ob odioſæ hujus proſcriptionis ſententiam comitiis plures Senatores inde cum proteſtatione abeunt, concluſo &, in alterum annum translato conſilio poſt comitiali. Jupiter etiam poſt Europam mugire coactus eſt, ait *Valer. ep. ad Rufin.*

Eyderum caſtrum Embdenſis in Friſia Comitis inter Batavos & Epiſcopum Monaſterienſem Bernardum de Galen belli cauſa fuit, epiſcopo ob aliqua ſibi obærati comitis Lichtenſteinii debita vi occupante, & Batavis iniquè ferentibus ſibi ſubjecti Principis arcem ad alienum dominium transferri; armis ergo repugnare cœperunt, & Wilhelmus Fridericus Dux Naſſoviæ & Friſiæ præfectus eam obſidione cingit, eidemque paulò poſt à præfecto Werfedio deditione traditur, dum interim Batavi gravioribus curis retracti de bello ſibi ab Anglis illato cogitare ſunt coacti. Eyderū Batavij recipiunt.

53. Carolus enim Rex Angliæ diu queſtus, inſtitores ſuos duriùs à Batavis haberi, ab eisdemq; duas nuper captas naves, & ubicunque mercimoniorum causâ per Africam & Americam ſimul convenirent, nimiâ & quaſi hoſtili agi æmulatione; jamque de pace, & unanimitate per legatos conciliandâ aliquoties tractari voluerat; ſed nullâ ſe concordiæ aperiente viâ, quâ illata, Angli Batavis Capo-Verde &c. eripiunt.

ut

ut ajebat, damna reſarcirentur, proſpiceretur〈que〉 in futurum, ėis bellum indixit, erupitque ad offenſionem, quâ britannicus capitaneus Holmes claſſe ſua in Africa munitiones Batavicas promontorium ſeu Capo - Verde, & Capo - Corſo vi armata occupat, & in America Novam Bataviam; mox tamen Batavicus Vice - Admiralis Ruyter Capo-Verde, & Sertam Leonam recuperat, & dein Batavi ingentem colligunt claſſem ſub architalaſſo Obdamo in Anglos ſequenti anno immittendam: res autem hoc anno variis incurſionibus, mutuisque navium deprædationibus geſta eſt; ſervatâ ad annum ſequentem majorum utrimque virium colluctatione; quæ inter integras claſſes exercita eſt. Interea tamen Anglicus Thomas Allen pactâ cum Algerienſibus pace, juſſu Regis ſuæ claſſe decem militarium & ſexaginta onerariarum navium Smirnenſem Batavorum claſſem haud procul Gadibus invadit; hæcque fugâ ſibi conſulens, Gaditanum obtinet portum, amiſſo ſuo Capitaneo Brackel, & tribus navibus, quæ per modum repreſſalium in ſatisfactionem damnorum mercatoriis & occidentalis Indiæ ſocietatibus illatorum fiebant; Angli enim à Batavis prætendebant viginti quatuor milliones, & trecenta viginti imperialium millia in damnorum reſarcitionem, quam quidem variis verborum lenociniis, & Ludovici Regis mediatione promittebant, ſed effectu fruſtraneo: imò quòd adhuc intercipiendo, arreſtando & deprædando continuarent, Rex parlamenti inſtigatione in omnibus regni portibus naves ædificare, epibatas & claſ-

Invadũt claſſem Smirnenſ. Batavicam.

Anglorum à Batavis prætenſio.

Bellum parat.

claſſiarios undequaque colligere & auctorare, & cuncta in vigoroſam maturare expeditionem non intermittit, ſimulque interim 60. naves gallico vino oneratas intercipit, in Hollandiam devehendas. Internos interim in Anglia motus Presbyteriani & Independentes variis in civitatibus, præſertim Eboraci, excitabant, regis regimen execrantes, eidemque mortem minitantes; quos Rex ut tumultuarios & proditores graviſſimis mortis pœnis compeſcuit. Ubi in provincia Kent nobilis quidam Thomas Cra, venationis amans & canum, inter ceteros unum alebat ingentis magnitudinis moloſſum, vaccam & præſtantiorem domini ſui equum morſu occidentem, quem ideo interfecturus, amicus perſuaſit, ut generoſo ſaltem cum leone certamine glorioſius moreretur. Ambo in locum pugnæ educti, canis ingenti latratu leonem ad certamen provocans, in illum inſilit, arreptâque cervice in terram fortiter licet obnitentem dejicit, & disrupto gutture linguam extrahens, leonem beſtiarum regem interficit.

Proditores puniti.

Canis leonem vincit.

Vigeſimâ quarta Junii Luſitani ſub Ducibus Marchione Marialva & Comite Schombergo urbem Alcantaram in Hiſpania obſidione cingunt mediocri robore validam, quam tamen præfectus Fabricius Roſci, vetus & probatæ virtutis miles aliquot hebdomadarum ſpatio fortiter defendit; omni autem ſpe ſubſidii ſublatâ honeſtis urbem tradidit conditionibus. Hos Luſitanorum progreſſus Hiſpanus Dux Oſſunius impediturus, caſtrum Roderici in monte circumvallat; Petrus

Alcanteram Luſitani occupant.

Cæduntur Hiſpani.

autem

utem Magalianus collectis tumultuariè Almaidæ quater mille peditibus, & ſexcentis equitibus, rubris & cæruleis vittis indutis [quibus antehac Angli Luſitano ſtipendio merentes utebantur] per totam noctem eò contendens, exoriente luce Hiſpanos invadit, qui Anglos exiſtimantes, timore perterriti fugiunt, relictis omnibus tormentis & impedimentis ultra fluvium Aguiar, quem Luſitani perſequentes captis eorum mille ſeptingentis, multos vitâ exuerunt. Hos Gen. Marſinus per ſuos Hiſpanos dexterâ gladios & ſiniſtrâ ardentes faces gerentes, in caſtris prope Campum majorem ſomno adhuc ſopitos inopinatè aggreſſus, injectis in ruſticorum tuguria facibus omnes internecivè delent, omnibusque impedimentis & acquiſitis ſpoliis exuunt; nec quicquam hoc anno amplius utrimque propter utriusque aulæ & ſtatûs mutationem eſt geſtum: nam Philippus IV. Rex Hiſpaniæ tot cladibus & bellicæ fortunæ varietate tædioſus, & ætate 59. annorum gravis, depoſito tantæ Monarchiæ regimine, illoque in conjugem ſuam Mariam Annam Auſtriacam translato, eidem addit ſtatûs & conſilii præſidem & primarium miniſtrum Comitem Pegnarandum, antehac Indiæ præſidem & Vice-Regem Neapolitanum; Marchionem verò Caracenam Belgii priùs gubernatorem, nunc Hiſpanicæ militiæ, loco Joannis Auſtriaci, ſupremum legatum conſtituit, & Joanni Auſtriaco filio clam ex conſilio legati Cæſarei Com. Pötting & March. Mortaræ per literas ſpontaneam militaris præfecturæ ſuadet depoſitionem, cui etiam conſentiens

Cæduntur.

Philippus IV. regimen in uxorem transfert

Renovat aulæ officia. Joan. Auſtriacus removetur.

diens abiit Conſuegram, magni ſui Prioratûs Caſtilienſis Ordinis Melitenſis urbem propriam, ne ſi (quod anxie timebat) inter implexas bellorum curas moreretur, is armorum potens aliquid contra legitimi hæredis jura auderet; aut devictis tandem Luſitanis, eorundemque ſibi regno arrogato (quod Philippus illi promiſerat) haud leve Hiſpanis faceſſeret negotium. Quin & invaleſcentibus in mente Philippi etiam adverſus alios Optimatas ſuſpicionibus, hic aliquot ex eis à rerum adminiſtratione prohibuit. Oſſunius quoque præfecturâ exauctoratus juſſus eſt, licet innoxius, detineri ad accuratius fidei examen, de quo doctus *Paſſarellus de bello Luſitanico lib.* 8. hæc ſcribit: Ut mortalium opinioni, & populi queſtibus fieret ſatis, cùm aliquod caput, quanquam innoxium, more principum, eſſet invidiæ publicæ devovendum, res tandem à verbis longè diverſas, etſi vehementer in cauſam incumberet Dux San-germanenſis, Oſſunius, retulit à miniſtris. In ſpeciem enim & lenociniis, aucupioque verborum argumenta defenſionis ejus admiſſa, & magnificè ad pompam in aula honoratus cultusque eſt; ſed planè reipſa ille militiæ munere devolutus, atque arma in Luſitaniam reſumere vetitus eſt. Hoc ſcilicet tantæ cladis ſarcire ruinam, hoc expungere dedecus fuit; perinde quaſi magis privato, quàm Regi aut cauſæ publicæ officeret in tam aſpero bello tam perito carere duce.

54. Illuſtri facinore moliebatur Rex Ludovicus, oceani cum mediterraneo conjunctionem, imperato incili, quod communem alveum Marium unio tentata.

Garumnæ & Atacis fluminum aquis miniſtraret; unde pateret liber navibus tranſitus à ſinu Lugdunenſi in Aquitanicum mare. Cœpti tamen famoſus magis quàm utilis fuit exitus, ut poſt immenſa laboris & pecuniæ diſpendia compertum eſt.

Mors Wilhelmi Auriaci.

Fortuitâ ſclopi minoris exploſione vulneratus vivere deſiiit in Hollandia Wilhelmus Princeps Auriacus: & quòd tæderet Batavos ſub hujus domûs auſpiciis vivere, quæ inter eos regiâ paulò minùs auctoritate florebat, filio ſuperſtiti conſuetos honores,& hereditariam regiminis ſucceſſionem denegarunt. Res magnorum fuit, ut infra dicetur, motuum occaſio, dum hic poſt aliquot annos clientum ſtudiis, & vi quaſi ſeditioſâ ad priſtinam potentiam eſt redintegratus.

Et Henrici Guiſii.

Diem pariter obiit ſuum in Gallia extremum Henricus Guiſiæ Dux, Neapolitani regni ad Galliæ Regem transferendi tentatâ operâ Orbi notus: cujus etiam moliminis & tumultuum, qui inibi anno 1648. excitati fuerant, hiſtoriam commentario à ſe ſcripto edidit, è carcere dimiſſus, in quem poſt fruſtraneum cœpti exitum ab Hiſpanis fuerat conjectus.

Et Caroli Auſtri.

Sic præmaturâ Lintzii morte deceſſit è vivis Carolus Joſephus natus 7. Aug. 1649. Leopoldi Cæſaris frater, Paſſavienſis & Olmutienſis epiſcopatuum adminiſtrator, & ſupremus Ordinis Teutonici Magiſter. Hic ad Belgii Regimen à Philippo IV. Hiſpaniæ Rege vocatus, dum eo ſe conferre parat, febri correptus interiit, tanto graviori Auſtriacæ Domûs jacturâ, quò unico tantùm ſur-

culo

culo tunc Auguſta proſapia floreſceret; Caſtel Rodrigo in Belgio ſuccederet.

Menſe Decembri incœpit ingens & terribilis cometes in cœlo videri in hydra; magnitudine ſuperans quatuor ſtellas primæ magnitudinis; colore rubeus; cauda à corde hydræ diſtabat 31. grad. & 15. minut. tanta itaque ejus erat longitudo; occaſum & ſeptentrionem verſus porrecta, & curſu directo raptus in occidentem; viſus primum in Hollandia. 2. Decembris Lugduni Batavorum horâ ſeptimâ, Hamburgi 3. Decemb. horâ 3. noctis, Leodii & Coloniæ Agrip. 26. Decemb. horâ 6. dicturientes aſtrologi multa inde portenderant, quæ ſequentes anni aperuerunt. Eodem tempore 24. Decembris horribilis quoque cometes viſus eſt, cujus cauda ſanguinea ſcintillas fornacis inſtar evomebat; quo Angli in Hollandos belli fulmina moliebantur. Cometes varii.

Annus 1665.

55. Anno ſexageſimo quinto ſupra milleſimum ſexcenteſimum famoſo illuxit incendio redeunti è bello ungarico Mahumeti Byzantium, in quo abſumpta ignibus fuêre aliquot domorum millia, quæ ex vili materia luto & ligno communiter in tanta tredecim milliarium gallicorum urbe quaſi ruſticorum caſæ conſtructæ; ſed peculiari jactura ferè totum conflagravit reginæ matris gynæceum & ſeraglium, ut vocant. In hoc immenſum periiſſe gemmarum, & pretioſiſſimæ ſuppellectilis pondus, vulgatum eſt; digno planè tot divitiarum impendio, quas infa- Incendium Conſtantinopoli.

mi laſciviæ, & ſtolidæ ambitioni paſcendis plurium annorum, miniſtrorum rapinæ conquiſiverant. Incendium duæ excitarant mulieres, infantis Sultani cunas gemmis, unionibus & auro pretioſas furatæ, & in ſuſpicionem tractæ, conclavi cedrino incenſo, ſuſpicionem ſic quaſi cunæ conflagratæ eſſent, amoliri ſperantes; deprehenſæ laqueo ſunt ſuffocatæ; flammæ autem ulterius graſſatæ, cameram divani, & partem archivii, aliaque multa pretioſa in cinerem redegerunt.

Diſſidia inter Alexād. P. & Venetos.

Mutuis ſe damnis Alexander VII. pontifex, & Venetorum reſpublica aliquamdiu preſsêre, retentis utrimque ſubditorum navibus, quæ in alterutrius portubus ſunt inventæ. Anſam huic diſcordiæ præbuit jus à Venetis ſuper omnes onerarias prætenſum, quæ in adriaticum mare excurrunt, videturque dominationis eſſe indicium & initium, quòd Venetorum princeps annulo in mare jacto, quotannis in feſto aſcenſionis Domini, Adriaticum ſibi mare deſpondet: ſitque in glorioſam navalis victoriæ memoriam, quâ Duce Sebaſtiano Ziano vicêre filium Friderici Ahenobarbi Othonem, captumque Alexandro III. Pontifici obtulêre, qui Venetias profugerat; tum enim Ziano pontifex annulum de manu detractum obtulit dicens: Auctoritate meâ hoc annulo fretus oceanum tibi ſubjicies, & quotannis tibi, poſteriſque eo die, quo hanc victoriam pro eccleſiæ defenſione obtinuiſti, deſpondebis mare, ut ſciant omnes maris tibi dominium conceſſum, quia Sedis Apoſtolicæ curam & ſtudium fideliter ſuſcepiſti, ſit hoc tibi quaſi

Veneti maris domini.

quaſi pignus benedictionis, & ſecundæ ſortis in futurum. *Sabellic. dec.* 1. *lib.* 7. *Villamont. lib.* 1. *pereg. cap.* 34. Sed intercepto his litibus commercio, ſucclamantibuſque pro pace populis, utrimque relaxatum, quod alterius detinebatur portubus, & antiquis rationibus integra firmitas permanſit.

Anni hujus principio 7. Februarii St. V. obiit Joannes Ferdinand. Princeps Portia Foro Julienſis, in aula Imperatoris Ferdinandi II. inter nobiles ephebos educatus, à Ferdinando III. inter Camerarios aulicos aſſumptus, Leopoldi I. primò inſtructor, poſtea miniſter primarius, intimi conſilii director, & ſupremus aulæ præfefectus, vir magnæ eruditionis in ſpeculativis potius ſtudiis, quàm publicis & politicis Cæſarem erudivit: hinc *Nanus in hiſtor. Veneta lib.* 10 *p. p.* 571. hanc illi attribuit laudem: Princeps Portia propter virtutum ſuarum moralitatem, ſi in privato vixiſſet ſtatu, admodum commendandus; ſed in rebus publicis & politicis non adeò verſatus, & informatus. **P. Portiæ obitus.**

§6. Exorta Londini in Angliæ metropoli ad Tamaſim fl. triginta à mari leucis diſſita, hoc anno ſæviſſima peſtis eſt, quâ acerrimè per plures menſes graſſante, deſiderata ſunt ſupra centum hominum millia; qui tamen pro ſola tantæ urbis (Pariſiis magnitudine æqualis, ædium verò multitudine copioſioris) civium quintâ parte numerati ſunt, & totidem, imo plures in urbis vicinia, peſte, fame & miſeriâ ſunt conſumpti. Hæc peſtis belli cum Batavis commercio, quæ ſolos hactenus Anglos vexarat, in Hollandiam **Peſtis in Anglia Hollandia Bizantii Gallia, Germania.**

eſt illata,& inde per Galliam & Germaniam Coloniamque dilatata,multiplici populorum damno; quorum capitibus irrequietæ Principum ambitioni ſæpius litatur. In illa olim graviſſima peſte, quæ ſub Juſtiniano Imperatore graſſata eſt, ſingulis diebus quinque funerum millia, interdum etiam decem millia in ſola Bizantina regione recenſebantur.Phantaſmata dæmonum humana ſpecie apparebant; & quamprimum quis peſte inficiebatur, ille ſe quaſi ictu aliquo percuti ſentiebat. *Procop. lib. 2. de bell. Perſ. Oroſius lib. 5. cap.* 8. Moderno hujus ſcriptionis meæ tempore, Anno ſcil. 1720. ſæviſſima peſtis lues Maſſiliam in Gallia Provincia miſerrimè longo tempore ita devaſtavit, ut quemcunque lues afficeret, intra triduum, & citius certò perimeret, & intra unam diem & noctem ſæpius mille quingenti, ſexcenti & plures aliquot quotidie menſibus morerentur, adeo ut in publicis plateis deficientes ingentem, & tam altum effecerunt funerum cumulum, ut pluribus quotidie per diem carrucis ad ſepulturam devehi, aut mari ſubmergi fuerit neceſſe; potiſſimus autem fœmineus ſublatus eſt ſexus,& ultra quatuor pûerperarum millia, medicinâ nullâ remediante, ſunt defuncta, quanquam præſtantiſſimi medici Monte Peſſulano aliundeque magno illuc pretio conducti, arte medicinæ & effectu fruſtrati, ipſimet perierunt, lineis licet pro conſervatione ſua ceratis togis ab humeris ad talos uſque induti, quia morbi ſpeciem vix poterant cognoſcere; interius namque ſcatebant infecti vermibus, exterius in cute cum tremore puſtu-

Maſſiliæ.

lis,

lis, quæ ſi invento poſtmodùm acri impoſito emplaſtro aperiebantur, erat ſpes vitæ, ſi non, mortis; deceſſerant autem jam tum trimeſtri ſpatio ultra 50. millia, & ultra adhuc ſæviens plures quotidie proſternebat; ſublatâ tamen nunc ſceleratiſſiorum furum & latronum turmâ, qui tunc abſente & exulante juſtitiæ magiſtratu decumbentes, præſertim mulieres peremerunt, earumque annulos, inaures, ceteraque domûs pretioſa, nullo contranitente rapuerunt; nam quam lues invaſerat domum, totam omninò domeſticam proſtrabat familiam, ne uno quidem ſuperſtite. Et licet hæc civitas Maſſilia, ne lues ulteriùs proſerperet, eſſet circumvallata, adeoque miſerrimâ fame & inopiâ afflictiſſimè anguſtiata, civeſque per militares aliorum principum & civitatum cuſtodias terra marique continerentur, ad alios tamen latè vicinos pagos, & Aquas ſextias progreſſa [unde plura hominum millia in alias fugâ ſunt dilapſa provincias] æquali homines proſtravit miſerabiliter ſævitiâ, jamque vix Lugduno tribus abeſt milliaribus. Dicitur peſtiferum hoc malum Alexandrettâ Syriæ in Turcia urbe (ubi tunc graſſabatur) mercibus devectum Maſſiliam, & lanæ imprimis adhæreſcere & inficere, ideoque navis iſta cum mercibus igne conſumpta, & ejusdem capitaneus ad mortem eſt condemnatus. Quanquam Galenus referat ſuo tempore apertam quandam ciſtam diutiſſimè occluſam, plenam lino putrefacto, unde tantus fœtor aërem infecerat, ut penè tertiam orbis partem abſumpſerit. Hæc tria tabificam pellunt adverbia peſtem:

Remedium peſtis. Mox, longè, tarde, cede, recede, redi. Si in ſuccum limonii mittatur numiſma puri & obrizi auri ſpatio diei naturalis, ac peſte laboranti ſuccus ille præbeatur cum tantillo vini albi, & pulvere radicis angelicæ, mirum dictu quantum præſidii adferat etiam deploratis ac conclamatis, uti expertus ait *Ant. Mizaldus*. Anno 919. Sternutatio. graſſata eſt per Italiam quædam morbi ſpecies, quòd cum ſternutatione ſubitò homines morerentur; unde initium conſuetudini bene precando ſternutanti, ut refert *Ant. de Verdier. in diverſ. lect.*

Sigiſmundus Archid. Tirolenſis obit. 57. Decimâ tertiâ Junii Sigiſmundus Franciſcus Archidux Auſtriæ Oenipontanus, auſpice Joanne Georgio Comite Königseckio nupſit Mariæ Hedwigi Palatinæ Sultzbacenſi, filiæ Chriſtiani Auguſti Comitis Palatini, quæ illuc traducenda dum Archidux malè diſpoſitus venatione & piſcatione fatigatus & calefactus, potu aquæ frigidè ſe refrigeraturus, inſperatâ paralypſi tactus extinguitur, & cum illo ſimul Tirolis Leopoldo cedit. ultimus ſtirpis Tyrolenſis ramus, Leopoldo Cæſari Archiduci Tyrolenſi accreſcens: quam inopinatam mortem, & archiducatûs vacaturam ſibi ceſſam in itinere Mariæ-Cellam verſus, votum tempore belli turcici D. Virgini factum perſoluturus, die Viſitationis B. Mariæ V. audiens, Comitem Carolum Wallenſteinium ſine mora Oenipontum transmittit, qui omnia debitè neceſſaria cum archiducatûs ſtatibus diſponeret, limitaneas urbes & arces ſufficienti inſtrueret commeatu, & bellico apparatu; commodus enim & opportunus eſt hic Tyrolenſis archiducatus

catus in Italiam, Helvetiam, Alſatiam & Sueviam aditus probe muniendus, unde Cæſar minimùm unius millionis imperalium añuum colligit proventum, & in Archiducis Sigismundi fiſco parata duodecies centena florenorum millia, inque technophylacio rara artificia, pretioſa ornamenta, vaſa & cimelia inventa, Viennam tredecim juſtæ magnitudinis vaſis ſunt translata. Cæſar ipſe menſe ſeptembri Viennâ Oenipontum per ArchiepiſcopatumSalisburgenſem profectus, regaliter ab Archiepiſcopo Guibaldo de Thurn exceptus, liberè & dapſiliter hoſpitatus, & 50. imperialium millibus, à capitulo verò & Patriæ ſtatibus 30. Ducatorum millibus donatus; immo omnes aulæCæſareæ miniſtri catenis, variisq;numiſmatibus aureis ſunt honorati: continuato inde itinere, exceptoque Oeniponti ſolemniſſimè à patriæ ſtatibus, ſimulque Capitulis Brixienſi & Tridentino homagio, Cæſar 4. Novembris revertitur Viennam, ut latè deſcribit *Comazzius lib. 6. pag. 156. 164. Nanus autem in hiſt. Veneta lib.* 10. *p.* 2. *pag.* 581. notabiliter addit, quòd Leopoldus in Sigismundi cum Sultzbacenſi matrimonium ideo non conſentire, ſed longius differri, & ſuum cum Hiſpana infante necdum nubili præcedere matrimonium voluerit, ne ex Oenipontana linea prior, quàm ex ſua natus filius vellet prætendere dignitatis prærogativam & præcedentiam; annuum tamen Sultzbacenſi viduæ, matrimonio licet necdum conſummato, vitalitium ſeu nuptialem dotem 24. millium florenorum ex Tyrolenſi Camera hac conſtituit conditione, ut ſi ad ſecundas

Salisburgenſis liberalitas.

cundas tranſiret nuptias, prædictæ dotis ceſſarent proventus; gauderet tamen ſemper titulo Archiduciſſæ Auſtriæ: quæ poſtmodum Julio Franciſco Duci Saxo-Lauenburgico nupſit, cujus etiam morte anno 1689. ſtirps ejus maſculina defecit, illiusque ducatum vicini agnatique Principes inter ſe diviſerunt.

Mors Ducis & ſtirpis Lauenburgicæ

58. Priori anno belli turcici convenerat, ut mutuis ſe legationibus Leopoldus Cæſar, & Mahumetes Turcarum Sultanus ad pacis nuper pactæ ſecuritatem, & oſtentandam utriusque gentis potentiam honeſtarent. Ablegatus fuit à Cæſare Byzantium Waltherus Comes Lesleus natione Scotus, conſiliarius intimus & campi Mareſchallus, gravis vir ætatis & auctoritatis, qui 40. & amplius nobilium ſervitio, & plurium aliorum præcipuæ notæ dynaſtarum comitatu ſtipatus, incredibili pompâ barbaris illuxit, ad turcici oratoris probrum, qui ignobili ſuccinctus mancipiorum caterva Viennam deductus, ibi putidæ avaritiæ, & ruſticæ ferocitatis latum explicuit ſpecimen. Lesleus quòd aureo à Cæſare ornatus vellere diutius omnium expectatione emaneret, varias Ottomannicæ gentis excuſſit indagines, & incuſſit terrores: alii ſe fictæ pacis ſimulatione illuſos exiſtimabant: alii turpe & indignum aſſerebant, quod à Februario cæſareum fruſtra expectaret legatus turcicus, pacem velut deprecaturus: metuebant alii pace per Gallos interruptâ, & legato turcico Comorræ detento magnum imperio ſuo imminere periculum, quòd pleræque copiæ exauctoratæ, longius autem abſitæ Ægyptiacæ, Babylo-

Mutua Cæſaris & Soldani legatio.

bylonicæ & Damaſcenæ vix revocari poſſent; alii legato in itinere mortuo bellum ab Hungaris, non pacem, ab illis neutiquam approbatam, juſtè continuandam ſpargebant. In hac multiplici opinionum varietate adeſt ad finem Maji 1665. Cæſareus ad Portam legatus Comes Lesleus, & in utriusque imperii finibus cum turcico legato Mahomet Beigh, Baſſa Anatoliæ (Romeliæ poſtmodum) conveniens, hic in territorium Cæſaris Rom. pedem figens, ille in Turcarum viciſſim extendens ambo ad deſtinatas ſibi aulas cum ineffabili Turcarum lætitia proceſſere. Lesleus quidem poſtquam à turcicis commiſſariis in turcicum deductus territorium (uti turcicus in Romanum) ſecundo Danubio Strigonium remigat, honorificè admodum ibidem & Budæ, & Belgradi ſupra morem exceptus, ac triduo ante Sophiam Bulgariæ metropolim nomine Archiepiſcopi Sophienſis à monacho Franciſcano in veſte ſæculari extra ſuum monaſterium eſt ſalutatus, quorum hi in Servia cis Danubium quatuor, ultra in Mœſia unum, & in Walachia adhuc unum poſſident monaſteria, in quorum circuitu, non extra, religioſo Franciſcanorum habitu poſſunt comparere. Leslei audito adventu Vezirius quarto Kalend. Junii Belgrado cum exercitu movens, pridie Kalendas Julii venit Adrianopolim, ſex tamen horis ab urbe cum exercitu conſidens, die alterâ ſolemni omnino pompâ & triumpho urbem ingreſſus, ſingulari à Soldano benevolentiâ & favore eſt exceptus: quem paulò pòſt ſecutus Lesleus per exercitum, cui præſens aderat Soldanus, magnâ ubique

ubique ſolemnitate Adrianopolim in aulam ſibi ſplendidè exornatam perhumaniter eſt introductus. Ibidem mox ad Vezirii, & quatriduo pòſt Soldani alloquium admiſſus, & conſuetis utrobique donatus muneribus, ipſe cæſarea ingentis pretii munera legationis ſuæ deprompſit, & Soldano obtulit, quæ uſu antiquo ex aureis & argenteis vaſis, ſpeculis, horologiis, aliisque congiariis affabrè Auguſtæ Vindelicorum elaboratis, pretio centum millium imperialium utrique mutuò imperatori donari conſueverant. Tum Soldanus ſuaſu Vezirii & aliorum, averſo licet animo, Conſtantinopolim per longas itinerum ambages profectus, & quinto nonas Octobris abſque ſingulari majeſtatis apparatu, & civium affectu urbem comitante Lesleo ingreſſus, per hiemem ibidem commoraturus: quanquam toto eo tempore, paucis interdiu horis tantùm, horreſcente tamen ſemper animo moratus, nunquam in Seraglio, ſeu imperiali aula ſua, ſed in palatio extra urbem tumultûs & ſeditionis metu pernoctavit. Hic reliqui pacis articuli confirmati; articulus autem de captivorum mancipiorumque liberatione ad ultimum rejectus alloquium. Idem viciſſim Viennæ cum turcico fiebat legato, legationis munere & dignitate indigno & planè inepto, cui ab aula in quotidianos conſumptionis ſumptus tradebantur omni die trecenti in ære floreni, 25. oves, cadi decem vini, 180. equorum pabulum, ligna neceſſaria, & hoſpitii locagium &c. Interea temporis dum Lesleus ſplendidis quandoque conviviis à Vezirio, urbisque præfecto dapſiliter excipe-

ciperetur, Soldanus urbis Byzantinæ pertæſus & averſus, ne diutius immorari deberet, legatum pridie Kalend. Novemb. ad ultimum accerſiri alloquium, & valedictionem jubet, & commendat Rom. Cæſari ſtrictam articulorum & pacis obſervantiam, cujus temerè rupturam egiſſe Waradinenſes videbantur, qui in Tranſylvaniam excurrentes, obvia quævis funeſtâ vaſtabant crudelitate, & magnum hominum numerum in mancipatum tradebant: bis mille etiam armati Walcho arcem vi interceptam everterunt: imo 200. pagos in Novarini ſecuritatem & reparationem ſuæ fecerunt poteſtatis; qua de re cùm Tranſylvani juſtè quererentur, & per legatum Cæſareum (frigidè tamen, quòd rem Cæſaris vix attingerent) poſtularent reſtitutionem, Turcæ repoſuêre, pacem neutiquam talibus violari excurſionibus, niſi agmine quinque millium armatorum, adhibitisque bellicis tormentis. Sexto denique Idus Novemb. Leſleus ad ultimum Vezirii admiſſus alloquium captivorum inſtanter urget emancipationem; quâ tandem etiam, ſed ægrè admodum obtentâ, cum omnimoda utriusque ſatisfactione, nec non cum eximia legati laude, exiſtimatione & veneratione à Vezirio ipſi præſtita, Conſtantinopoli tertio Idus Decemb. Viennam diſceſſit, pervenitque ſexto Idus Martii 1666. Elmam oppidum [defunctis in hoc legationis itinere 28. comitatûs perſonis] à conſuetæ permutationis loco unâ & ſemihorâ diſtantem, ubi prope Danubii marginem in patenti campo tres erectæ columnæ; media Ungariæ inſigni, dexte-

Violatio pacis Cæſareo-turcicæ.

Legatio utrimq; diſcedit prope columnam,

ra ſemilunâ, ſiniſtra aquilâ inſignitæ: ad ſuam quilibet legatus conſiſtens, ambo valedicturi ſimul mediam accedunt, quo peracto in ſuum quilibet recedit territorium. Die igitur alterâ cùm Leſleus ſub Baſſæ Quinque Eccleſienſis tutela diutius ibidem legatum turcicum Comorræ hærentem, plures ſolito, & indebitos ex ſordida nimis tenacique avaritia ſumptus repoſcentem, à ſeptima matutina ad 4. uſque pomeridianam fruſtra expectaſſet, Leſlei tandem rationibus & minis, ac Baſſæ Quinque Eccleſienſis precibus convictus, ad mediam ambo columnam convenientes & valedicentes ab invicem diſceſſerunt. Vezirius autem pace cum Germanis confirmatâ, ne miles otio vitiisque torpeſceret; omne ſtudium ac vires ad ſubjugandam Candiam adhibuit, quam etiam validiſſimâ & ſumptuoſiſſimâ duorum annorum, trium menſium & 27. dierum obſidione, quinta Kalend. Octobr. 1669. deditione cepit, de quo plura inferiùs.

Candiam Turcæ capiunt.

Cæterùm Leopoldus Cæſar ut Turcarum ex Neoſolio in Moraviam, vicinaſque partes compeſceret excurſiones, vi pactorum ad fluvium Waag verſus Freyſtadium novam ad formam & modum Neoſolii cum ſex propugnaculis ædificavit civitatem ſexangularem, cujus primum fundamentalem lapidem 19. Septemb. Epiſcopus Nitrienſis, regni Ungariæ cancellarius conſuetâ ſolemnitate in præſentia Souchesii, aliorumque Generalium & Dynaſtarum poſuit, & à Cæſaris nomine indigitavit Leopoldopolim. Eodem quoque tempore vidua Ragotzii rejectâ heterodoxâ Calvini hæreſi Romano-Catholicam

Leopoldopolis extructa

Ragotzia fit catholica.

cam amplexa fidem, ſui etiam ducatûs ſubditos & vernaculos ad eandem Romano-Catholicam fidem, ad ſalutem neceſſariam induendam coactura, iisdem in ſuperiori Ungaria templa adimere, Catholicisque olim ablata reſtituere meditabatur; ſed Calviniſtæ gravi excitato tumultu omnibus in Viennenſi aula viribus contranitebantur.

59. Ingens etiam Elector Palatinus Carolus Ludovicus jus ſuum Wildfangiſticum in vicinis principum territoriis latius extendendo excitavit diſturbium, pennis primò & ſcriptis, violentis poſtmodum armis propugnatum: Elector enim Moguntinus tanquam Epiſcopus Wormatienſis, Electores Trevirenſis & Colonienſis, Epiſcopi Spirenſis & Argentinenſis, Carolus Dux Lotharingiæ, Rheingravius, & immediati Imperii equites in Suevia, Franconia & rheni tractu (in quorum territoriis prædictus Palatinus hoc jure Wildfangiſtico in nothos & ſpurios, nulliusque dominii homines peregrinos domicilium ibidem figentes, antiquitùs jure imperatorio gaudet) percuſſo invicem fœdere contra Palatinum offenſivo juris ſui extenſionem aſpernantes, Ladenburgum occupant. Aſt Cæſar miſſo primùm ad Palatinum imperialis Cameræ judice marchione Wilhelmo Badenſi, & poſtea Leopoldo Wilhelmo Comite Kônigſeckio commiſſario res ad mutuam deventa eſt compoſitionem, adnitente altero commiſſario Brandeburgico, urbsque Ladenburg Badenſi tradita eſt in ſequeſtrum; Sed tranſactio per canis occiſionem interrupta in uberiores erupit armorum

Jus Wild-fangiſticum Palatini.

morum

morum flammas, quæ anno ſequenti aliorum interpoſitione ſunt ſopitæ.

Diſcordia fratrum Brunſwicenſium.

Mortuo 25. martii Chriſtiano Ludovico Duce Brunſwico-Cellenſi, ſenior ejus frater Georgius Wilhelmus Cellenſem hunc ducatum optionis jure prætendebat, quem eundem frater junior Joannes Fridericus efflictim adeo ſibi competere volebat, ut armis etiam extorquere niteretur; tandem mediatione Regum Sueciæ & Daniæ, Electoriſque Brandeburgici diſſidium Hildeſii menſe auguſto his compoſitum eſt conditionibus, ut ducatus Cellenſis cum ſuperiore & inferiore comitatu Hoya, & comit. Diepholt, deinde Walckenrode, Schauen & Harpſtett Georgio Wilhelmo remanerent: Ducatus vero Calenburg & Grubenhaben cum metallis cederent Joanni Friderico: & pro ſublato deinceps jure optionis dabit Georgius Joanni, aut ejus hæredibus 300. imperialium millia, & cætera juxta paternum remaneant teſtamentum. Fraternæ hujus diſcordiæ compoſitionem omni ſtudio & conatu Elector Brandeburgicus promovit, magnum non ſine cauſa metuens belli incendium per vicinas exarſurum ditiones; Joannes namque exuto Calvino nuper factus Catholicus jam tum promiſſo Catholicorum Principum nixus ſubſidio non exiguam meditabatur invaſionem.

Batavi ab Anglis naumachia victi.

60. Carolus II. Rex Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ anno præterito bellum parlamenti conſenſu eo indixerat prætextu Batavis, quod in exercendo mercimonio adverſi, in eorum navibus capiendis frequentes, in damnis reſtituendis negli-

negligentes, primi deinde fuerint aggreſſores; Angliæque litora oberrando Regi quaſi inſultarent, claſſe quaſi ſuperiores & potentiores, ab aliis forte incitati aut falſâ opinione decepti; quod Regi bellicus ad hanc expeditionem nervus deeſſet; cùm minimè tamen ignorarent quàm promptum & liberale in Regem eſſet parlamentum: exiſtimabant deinde miſerum Anglicæ claſſis ſtatum & apparatum; ejuſdemque inexpertos thalaſſos; architalaſſos & claſſiarios paucos, invidorum autem & inquietorum eſſe plurimos, ſat negotii Regi effecturos. Sed Batavi longè falſi ſunt opinione, ut rerum dedit exitus. Veriùs forſan hanc Rex in Batavos navalem ſuſcepit expeditionem, ut irrequietos ſubditorum ſuorum animos à domeſticis machinationibus, quibus ſummo publicæ tranquillitatis periculo intenti, omnia Londini ſuſque deque miſcebant, averteret; vel ut auctor gallicus *in hiſtoria Caroli II. & Jacobi II. pag.* 79. ait; ut Romano Catholicam in Angliam fidem introduceret, cujus Batavi ſemper infenſiſſimi hoſtes, & capitales inimici, omni hoc conatu impedientes. Declarato igitur & publicato in Hollandos bello, militarem 97. navium claſſem in tres ſub tribus rubri; albi & cerulei apluſtris (ut ſolent) partes ſeu claſſes Rex divisit; quibus ſupremos architalaſſos Ducem Eboracenſem; Jacobum fratrem, & Rupertum Palatinum, Admirales vero Comitem Sandwichium; vice Admiralem Lawſon &c. præpoſuit; quam claſſem Rex ipſe oculis in Portu magno arbitratus in mare dimiſit. Nec Batavi ſegnes ingenti 112. Hujus belli cauſa.

militarium navium, & novem cataſcopiorum claſſe ſub architalaſſo Opdamo & Admiralibus Tromp, Cortenaes, Schram, Everts &c. 13. Junii adverſus Anglos ad ipſa Angliæ litora provolant, utque epibatæ & claſſiarii fortius audaciusque pugnarent, appromittebant illi, qui prætoriam hoſtilem architalaſſi navem caperet aut incenderet, 50. florenorum millia, & qui alias admiralis cujuſdam naves caperent, incenderentve, triginta, viginti, decem aut ſex proportionatim florenorum millia certò addicebantur, quo allecti præmio Batavi dici vix poteſt, quantâ animi generoſitate & fortitudine Anglos invaſerint. Opdamus ſine mora prætoriam Anglici architalaſſi navem aggreſſus continuò eam ferociter impugnat; ut Rovilli cujusdam Galli Jacobo Principi adſtantis cranium in ejusdem principis manum fuerit excuſſum, mox Opdami prætoria navis concepto in pulveris receptaculo igne tota ſubito cum Opdamo & 500 claſſiariis in aerem evibrata periit: tres paulò pòſt Hollandicas naves invicem implicatas Anglus injecto quoque igne incendit, ut omnes in fumum abirent: Cortenæus & Trompius pugnam reſtituturi, ille mox cadit, hic cum 16. navium ſuarum agmine Anglorum impar multitudini, fortiſſimè licet obſiſteret, à ſociis derelictus fugam capere debuit, cæterique Præfecti Admirales Schram & Stellingwerff vitâ & ſanguine cladem quoque conſignarunt, ſicque victi Batavi amiſſis quatuor præfectis, ſexdecim militaribus navibus, & uno cataſcopio palmam victoriæ Anglis conceſsêre, ingenti Hollandorum detri-

detrimento, turbatione & tumultu, quo plebs præfectum admiralem Everts ex naumachia revertentem vi aquis ſubmerſiſſet, niſi militum manu ſubductus, & Hagæ Comitis fugæ nimis properæ & negligentiæ accuſatus, examinatusque innocenst eſſe declaratus; plures alii ſceleris, inertiæ & timiditatis convicti aut morte, aut aliis pœnis ſunt damnati; Capitaneus verò de H..en quòd Anglicâ 36. tormentorum navi potitus; decem florenorum millibus eſt præmiatus: quâ unâ ſolùm nave ſpoliati Angli, glorioſâ Londini variis ludis & feſtivis ignibus triumpharunt victoriâ, peſte licet immaniter ibidem ſæviente; ideoque Carolus Rex nulla fortè in regia Witehalii aula lætitiæ ſigna oſtentare, nec fratri Eboracenſi Duci, & Ruperto Palatino triumphalem in urbem ingreſſum, ſed clausâ omninò thedâ, volebat permittere.

Hanc verò glorioſam ulterius proſecuturi Angli victoriam, reparatis ſubitò claſſis navibus in altum conſcendit Sandwichius, revertenti Vice-Admirali Ruyter in Scotiæ partibus aliquamdiu vigilanter inſidiatus; qui ex Africæ & Americæ partibus vi Anglos, pluribus eorum navibus captis ejecerat; cujus Ruyterus certior factus ex occidentali India in Cimbricam Cherſoneſum deflectens, & Holſatiæ Inſulas Heiligenland præteriens, ſecundis ventis ad Friſiæ oppidum Delfziel cum 14. militaribus, & octo Indiæ occidentalis navibus admodùm opulentis; menſe Julio feliciter, incredibili Hollandorum lætitiâ ſalvus appulit: in cujus meritiſſimum expeditionis præmium Batavi illum in

Ruyteri felix expeditio Indiæ.

Opdami locum ſubſtituerunt Architalaſſum.

Angli irrito claſſem Batavicam irruunt.

Illuſus & deceptus Comes Sandwichus proſperâ præter opinionem Ruyteri evaſione, alteram Indiæ Orientalem & Smirnenſem Batavorum claſſem intercepturus, aliquot jam ſeptimanis diligentiſſimè invigilaverat; quod ejus thalaſſi & præfecti Petrus Bitter, & Jacobus Borckorſt certis reſcientes internuntiis, cautè ſexaginta navibus, inter quas decem Indicæ copioſiſ inſtructæ mercimoniis & divitiis, in portum Norwegiæ Bergenſem cum bona ejusdem præfecti Comitis Nicolai Ahlefeldi veniâ opportuno adhuc tempore confugiunt. Sandwichus ſecundo hoc elapſu indignatus, claſſem Batavicam in prædicto portu inſtar ſemilunæ arctiſſimè cingens, quadringentis tormentis bellicis per aliquot eam horis continuo flagellat. Ahlefeldus albo expoſito vexillo portum eſſe neutralem per hoc ſignificans cùm nihil efficeret, iteratis Batavorum precibus rubrum exponens vexillum, ſua arcis tormenta in Anglicam explodit claſſem, quæ multos in urbem globos intactis ob altitudinem Batavis, non ſine exiguo urbis damno immiſerat, ſimulque Batavi certioribus ictibus majorique damno Anglicam petentes, in turpem ſubitamque compulerunt fugam, cæſis eorum octingentis, Batavorum ſolùm triginta, & ſeptuaginta vulneratis. Tum Batavi expeditâ aliâ ſubitò 92. navium claſſe Indicam & Smirnenſem ex portu Bergenſi ſalvam & incolumem ſub Admiralibus Ruyter & Tromp, ob præfecturam invicem licet æmulantibus, domum reduxerunt, ingentes Ahlefeldo pro beneficia ſua con-

conſervatione ac defenſione gratias referentes.

Demum etiam Epiſcopi Monaſterienſis de Galen arma propter priori anno occupatum ab iis munimentum Dyler-Schantz provocaverant, cujus quidem amicam ſperabant compoſitionem, ſed Epiſcopus juſto Anglorum opibus exercitu collecto, ſuperiorem irruens Islandiam, varia ibidem oppida Enſcede, Oldenzyl, Otmerſum, Almeloo, Diepenheim, Borckeloo, & plura alia ſine reſiſtentia intercepit, cujus poſtea exitum ſequens manifeſtabit annus; ubi Ludovicus XIV. Rex Galliæ vi pacti cum Batavis fœderis iisdem ſex armatorum millia ſub Generali Pradelio ſubmiſit ſubſidium. Epiſc. Monaſt. Batavos in Islandia invadit.

61. Variis agitata eſt motibus aula Gallica, quorum aliqui fidem & Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, alii Regis ipſius perſonam reſpexerunt. Sedis Apoſtolicæ Nuntius, promulgatis quibusdam in eos edictis, qui hæreſis Janſenianæ aut ſectatores eſſent aut fautores, Pontifici ſibi delegati titulum (quem ante Galliæ ingreſſum debet abdicare) apud Regem & regni ordines aſſerebat, quod quantò iniquius à Rege eſt acceptum, eò gratiùs popularium arriſit auribus, qui antiquam ordinum auctoritatem agnoſci, eâque regiam temperari potentiam videbant. Ephemerâ tamen voluptate ſpei publicæ eſt blanditum, juſſo ſcripto, quo id continebatur, apparitoris manibus lacerari, & obſtructo minitantis Regis indignatione ore eorum, qui ſimile quid attentare unquam auderent. Majori fidei periculo Collegium Sorbonicum in librum quendam, qui de infallibili Pontificis auctoritate diſſerebat, Varii humores aulæ gallicæ. Liber de infallibilitate Pontificis in Gallia damnatus.

ſerebat, detonuit; ſed à clero non diu poſtea congregato repreſſa eſt cenſura, ne deſultorio ingenio reprobare viderentur, quod ſolenni nuper conſenſu approbarant; cùm ſcilicet Janſenianorum hæreſim ſolo & infallibili Pontificis è cathedra judicio rectè voluêre damnatam. Janſenianæ hujus hæreſis auctor eſt Cornelius Janſenius, Epiſcopus Iprenſis in libro *Auguſtinus* ab ipſo inſcripto, in quo quinque præcipuè has aſſerit, & paſſim confirmat propoſitiones, quarum I. eſt: *Sunt quædam homini præcepta ſecundum ſtatum & vires, in quibus conſtitutus eſt, impoſſibilia: nec adeſt ſemper gratia, quâ præcepta illa implere ſufficiamus.* Tom. 3. lib. 3. cap. 13. col. 325. Cùm Paulus 1. *Cor.* 10. *v.* 13. dicat: Fidelis Deus, qui non patitur vos tentari ſupra id, quod poteſtis. Et *Auguſtinus* (quem doctrinæ ſuæ falsè allegat patronum) *ſerm.* 191. *de temp.* Execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt, impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe præceptum, & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in communi poſſe ſervari. II. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquã reſiſtitur. Contraria verbo divino*, *Prov.* 1. 24. Vocavi & renuiſtis, expandi manum meam, & non erat, qui aſpiceret, *Actor.* 7. 51. Vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis. Et *S. Auguſt. de Spir. & lit. cap.* 34. Miſericordia Dei prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, aut ab ea diſſentire, noſtræ voluntatis eſt. III. *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* lib. 6. de grat. Salvator. cap. 6. contra

Janſenii 5. propoſitiones.

contra Scripturam: *Geneſ.* 4. 7. Nonne ſi benè egeris recipies, ſin malè, ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius. Et *Eccleſiaſt. cap.* 31. Qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus, facere mala, & non fecit. Et 1. *Corinthiorum* 7. 31. Ac *S. Auguſtinus lib. de vera Relig. capite* 14. Nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium; tales enim ſervos meliores eſſe DEus judicavit, ſi ei ſervirent liberaliter, &c. IV. *Liberum arbitrium à Deo motum & excitatum non poteſt diſſentire ſi velis*, dicit Janſenius, lib. 8. de hæreſ. Pelag. cap. 6. &c. refutatur ex prioribus. V. *Chriſtus non pro omnibus omnino hominibus mortuus eſt, aut ſanguinem fudit*. lib. 3. de grat. Salvat. cap. 21. Paulus verò 1. *Timoth.* 2. ait. Chriſtus omnes homines vult ſalvos fieri: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. Et *Auguſtinus lib. de Spir. & lit. cap.* 33. Vult Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè vel malè utentes juſtiſſimè judicentur &c. Quas, imo easdem propoſitiones jam pridem à Michaële Bajo doctas hæreſis damnarunt Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. Anno autem 1641. has Janſenii in prædicto ſuo Auguſtino deprehenderunt propoſitiones Patres Societatis Jeſu in Academia Lovanienſi, ac ne latius ſerperent, illas publicis theſibus, & validiſſimis argumentis oppugnarunt. Quod tam voce quàm calamo præſtiterunt omnium ordinum Viri celeberrimi, ac imprimis doctores Sorbonici, ac totius penè Galliæ

Qui eas deprehenderint.

Galliæ antiſtites octoginta. Sed cùm non deeſſent, qui vario ducti ſtudio Pontificum obſtreperent conſtitutionibus, anno 1655. Innocentius X. ſummo ſtudio & curâ tam per ſe, quàm per viros doctiſſimos examinatas gravibus cenſuris confixit, & conſtitutione in perpetuum valitura condemnavit: quem omnes conſequenter pontifices Alexander VII. Clemens IX. Clemens X. Innocentius XI. &c. uſque ad Clementem XI. ſecuti condemnarunt. Ideo Ludovicus XIV. Rex conſtitutionem Alexandri VII. Janſenii propoſitiones condemnantem admittens, menſe Majo eandem ipſe præſens in parlamento regiſtrari & inſeri juſſit, publicatâ declaratione & mandato omnibus regni Galliæ archiepiſcopis & epiſcopis, totique gallicano clero hanc conſtitutionem pontificiam recipiendi, ſubſcribendi, & has hæreticas Janſenii propoſitiones eliminandi, & ſupprimendi, ſub pœna privationis redituum & beneficiorum: jam enim tum videbatur omnem regno hæreſim (tumultuum & factionum matrem) eliminaturus, ac concordibus illud viribus confirmaturus, ut reipſa poſtmodùm effecit.

Qui pontifices damnarint. *Et Ludovicus XIV.*

Rex deinde parlamenti etiam diminuit poteſtatem, edicta ſua à parlamento prius approbanda, abſoluta ſua nunc auctoritate præcipiebat admittenda. Et quia præterea Secreta ſtatûs myſteria, & intima conſilia parlamento prius diſcutienda deliberandaque proponebantur, eorumque deciſio & conſenſus ex tot votorum varietate longiùs differebatur, ſicque ſecreta occulta facilè conſilia, non ſine regis regnique detrimento

Minuit Parlamenti poteſtatem.

mento prodebantur; Rex hunc abuſum abolevit, plenam ſibi arrogans omnis facultatis poteſtatem.

Non tamen regio gynæceo ſui defuêre tumultus, quòd liberiori quorundam aulicorum facilitate eſt impetitum; Rex namque Reginæ ſuæ Annæ Mariæ amoribus ſatur, propenſiori favebat affectu puellæ cuidam nobili de la Valiere, pede quidem claudicanti, ingenio autem, & illecebroſâ formoſitate admodùm potenti, ideoque amaſiæ & concubinæ titulo, honoribusque gaudebat, ex qua ſequenti etiam anno Mariam Annam Borboniam ſuſcitavit, Principi de Conti poſtea deſponſatam. Gratiæ invidere primùm, & ſecretis obmurmurare dicteriis cœperunt inter præcipuos Marchio Vardenſis, unius prætorianorum cohortis ductor, & Comes Guichius, Ducis Grandimontenſis filius, ſed re detectâ utrumque Rex aulâ juſſit excedere, quam irrequietis artibus exagitabant. Turpi etiam exilio eliminato miniſtro quodam pontificio, qui ſuis apud Italos epiſtolis otioſa hæc aulæ regiæ negotia traducebat.

Valerie regis concubina.

Proceres aliquot exilio mulctati.

Idem Rex Ludovicus Hiſpanorum, Anglorum, Batavorum, aliorumque felices in India, Aſia & America æmulatus progreſſus, claſſem Indias verſus deſtinavit inferendæ coloniæ gratiâ in inſulam S. Laurentii, vulgò Magadaſcar, ſecus Africam in oceano Æthiopico jacentem. Hanc novam coloniam regii filii nomine inſignitam Delphinam nuncuparunt. Et ne huic Gallorum populationi deeſſent auſpicia, rex Oratores ad vicinos Orientis principes, regem maxi-

Colonia gallica in Magadaſcar.

mè Perſarum & Mogolenſem Imperatorem deſtinavit, cum quibus ampliſſimis donis conciliatis amicitias pepigit & mercimonia: utque ea commodius latiusque augeret, duo maria, mediterraneum & magnum oceanum, per confluentium fluminum canalem in Languedocia meditatus eſt ingentibus ſumptibus conjungere, quem ad Silvam Romandias inter Toloſam & Carcaſſum ejus inventor Riquet regiis ſumptibus hoc anno incepit, ut Toloſâ per Garunam Fl. ex mediterraneo in Aquitanicum mare mediante hoc canali navigari poſſit, ne tota Hiſpania & Portugallia circumnavigare ſit neceſſe; qui tandem anno 1680. auctore tunc moriente eſt abſolutus; ſed ob nimiam coacervatæ arenæ copiam manet nunc innavigabilis. Quod Deus & natura tantis ſeparavit ſpatiis, humana vix poterit conjungere ſapientia. Binâ tamen naumachiâ Algerienſes in Africa piratas, ingentia continuò in mari mediterraneo tam Gallis quàm aliis damna inferentes, & Chriſtianos in miſeram abducentes captivitatem, per magnum Galliæ admiralem ſeu architalaſſum Ducem Beaufortium debellavit: unâ menſe Aprili ad Guolotte in ipſo urbis Thunis conſpectu; alterâ menſe Auguſto ad Serſilles in conſpectu Algeriæ; quibus præter alias naves eorum etiam prætorianam, Vice-prætorianam, & contre-prætorianam, ut vocant, naves devicit, tum ut navali Gallos prælio exerceret, tum ut etiam vicinis potenti claſſe ſua redderet ſe formidabilem.

Algerienſes cæſi à gallis.

Duodecima Aprilis Ludovicus Rex Ducatum Arauſionenſem in Galliæ Provincia, uno ab Rho-

Rhodano Fl. & tribus Avenione milliaribus diſſitum, mediatoribus Anglis & Batavis Principi Arauſionenſi reſtituit, hucuſque, à Gallis detentū.

62. Cum Joannes Auſtriacus ob infelices præcedentis anni expeditiones præfecturâ eſſet deſtitutus, eaque veteri exercitatoque duci ac militi Marchioni Caracenæ impoſita, hic in generali bellico conſilio urbium impugnationes, & præliorum diſcrimina omninò diſſuaſit; ſed ferro nonniſi & igne Portugalliam ad Ulyſſibonæ uſque mœnia devaſtandam, faciliusque metropolim cum toto ſimul regno brevi occupandam. Sed cum talis expeditionis nullum in Hiſpania extaret exemplum, antiqua prædeceſſorum ſequenda eſſe veſtigia decreverunt. Qui antiquus agendi in civilibus & bellicis modus, ſeu ſtatûs maxima, ut quidam hic ſcribit auctor, fuit Hiſpaniæ ruina; nam ut ait Cicero: conſilia temporibus accommodanda ſunt, non tempora conſiliis, quare Caracena ex præſcripto militari conſilio urbem Villam-vitioſam haud procul Helvâ provinciæ Alentejo, ducum olim Brigantiæ ob ſumptuoſiſſimum palatium ſedem, 15. peditum & octo equitum millium exercitu obſidet, jamque captâ urbe arci imminebat fortiſſimæ; nam in tecto templi B. Virginis immaculatè conceptæ tormentorum ſuggeſtum erexerat, unde continuò in arcem, ſed ſine ſingulari effectu detonabat; quia arcis præfectus Chriſtophorus Britto ſtatuam D. Virginis (quæ prima in Hiſpania antiquitùs dicitur erecta) ex prædicto templo, ne inſolenti militum profanaretur petulantiâ, in arcem contulit, & ejuſdem

Caracena Hiſpanorū archiſtrategus.

Villam-Vitioſam obſidet.

dem confiſus patrocinio vigoroſiſſimè defendit. *Paſſarellus de bell. Luſit. lib. 9. fol.* 413. Luſitani collecto interim ſubitò 13. peditum & 5. equitum millium exercitu, ub præfectis generalibus Marialva & Schomb ergo obſidionis tentant ſolutionem. Pugnatum utrimque ad Montem clarum concurſu acerrimo, & perruptis Luſitanorum ordinibus ad tormenta bellica occupanda proceſſerant Hiſpani, prævalente maximè cæſareâ cataphractâ Com. Rabbatæ (qui hac in pugna cecidit) legione. Jamque in quintam pro Luſitanica corona horam fortiſſimè certabatur ambiguè, cùm aucti novis copiis Luſitani ſuperadventante Comite Schombergio pugnam inſtaurant eo ſucceſſu, ut jam penè victi victores ſuos fuderint, & fugarint, inſigni clade attritos; deſiderata Hiſpanorum equitum tria ferè millia, peditum vero ſex, & totidem capta, omniaque eorum exercitûs impedimenta, 14. tormenta bellica, 2. mortaria, 60. vexilla, 4. ſigna equeſtria, in vincentium venerunt poteſtatem, deſiderati vero Luſitani vix 1500. alii putant 2000. potiſſimam hujus hiſpanicæ cladis partem Diego Correæ, ſiniſtræ alæ ductori attribuũt, qui juſſus periclitanti Farneſio dexteræ alæ ductori ſuccurrere, neglexit, vel ut Paſſarellus ait, noluit; Et 4. Hiſpanorum equitum millia ad munimentum quoddam fugientia, ab Luſitanis arctè circumdata, ut nullibi pateret erumpendi exitus, hoſtium ſe poteſtati tradere debuerunt. Hæc eſt, inquit Paſſarellus ubi *ſupra fol.* 420. illa Montis-Clari clades, quæ Luſitani tandem regni diadema in Brigantii capite fixit, & ſeu

Pugnâ victi Hiſpani à Luſitanis, in regno ſuo firmatis.

uti-

utilitatis incremento, ſeu gloriæ inter primas Luſitaniæ virtutis atque fortunæ victorias celeberrima. Rex autem Hiſpaniæ Philippus IV. cùm pugnæ infelicis noſſet eventum; permixtâ ſuſpirio voce in hunc modum fertur locutus: culparum nempe ſuarum ita à ſe pœnas numen repetere, à noxio ſcilicet capite ad innoxios milites verſas.

Poſt æſtivalia interim Luſitanorum Generalis Alphonſus Hurtado Sarle civitatem occupat, devaſtat, & funditus incendit, ut nihil prӕterquam nominis ſupereſſet memoria: Schombergus autem tam glorioſâ uſurus victoriâ Hiſpaniam invaſurus, objectis haud exiguis illic obſtaculis in Galliciæ regnum penetraſſet, & inter 40. maritimos hujus regni portus celeberrimum Vigum intercepiſſet; modò Generalis Prado illi ſubſidio eſſet voluiſſet, hinc in provinciam Alenrejenſem irrumpens, ubi Caracena Nudar urbem occupaverat, apertis vix vallis caſtrenſibus illam deditione recuperat, & factus eſt hujus expeditionis & vitæ Philippi IV. Regis finis, qui decimâ quintâ Kalend. Octobris intra 4. & 5. matutinam fatis Madriti conceſſit, ſuâque morte fidem feciſſe creditus eſt infauſtis auguriis, quæ ex ultimo cometa traxerunt aliqui, cum ejus occaſione ex ſint exorta bella, quæ multis latè provinciis exitium attulere, prӕterquam quod tentata primùm felicibus armis alea majoribus poſtea bellis cauſam aut prætextum miniſtravit. Approperante morte cum accerſita conjuge Maria Anna Auſtriaca ſine arbitris ultra horam collocutus, poſtea præſente unico

Sarle occupatur.

Et Nudar. Mors Philippi IV.

regni

regni hærede Carolo, præcipuis regni præſidibus ſeu Grandibus, pacem, unitatem & regni quietem unice commendavit; filium autem naturalem Joannem Auſtriacum ultimum Regis Patris ſui aſpectum & vale deſiderantem, inſtinctu reginæ non admiſit, unde iratum plenus aulâ diſcedens acerba in illam concepit odia, regno poſtmodùm perniciosiſſima. Teſtamento ſcripſit regnorum ſuorum hæredem filium Carolum II. quadriennem; ejus & regni tutores ſex primarios intimi conſilii & ſtatûs præſides, Caroli ſine hærede decedentis ſucceſſorem conſtituit Imperatricem Margaritam, Leopoldi conjugem, Caroli ſororem, & utriuſque ſexus deſcendentes, hiſce deficientibus Ducem Sabaudiæ: Mariam Thereſiam Ludovici XIV. Regis Galliæ conjugem cum omnibus deſcendentibus perpetuo, juxta Pyrenæa pacta excluſit, petiitque Ludovicus per ſuum Madriti legatum ſupremam Caroli tutelam, ſi non actualem, ſaltem nominalem; ſed denegata eſt, quia inauditum Regem Galliæ tutelam Regis Hiſpani unquam adminiſtraſſe; nec quicquam à Monarchia Hiſpanica detrahendum aut dividendum eſſe, ſed acquiſita unienda &c. Paucis pòſt diebus fatis quoque ceſſit Cardinalis Arragonius Archiepiſcopus Toletanus, in cujus Regina locum Paſchalem Arragonium Inquiſitorem generalem ſubſtituit, & P. Everardum Nitardum germanum Jeſuitam, Confeſſarium ſuum, in Inquiſitorem generalem, & tutelaris collegii membrum, unde graviſſimæ poſtea in regno ortæ ſunt diſcordiæ: Juſtis Philippo perſolutis, regio Madriti illa-

Ejus teſtamentum excluſo Ludovico XIV.

tus

tus eſt ſepulchro, non pœnitendæ famæ Princeps, quippe qui à natura magnanimus, & ad eximias virtutes formatus, hoc uno eas inficere viſus eſt, quòd voluptatibus plus æquo deditus, duobus ſucceſſivè miniſtris quadraginta quatuor annorum regimen permiſit, quorum injuria provincias rebellare, & infidelibus armis ſua quaſi ſemper bella geri indoluit. Acclamatus eſt poſt funera Philippi Patris Carolus filius, nomine inter Hiſpanos Reges ſecundus, quadriennis puer Rex ab Hiſpana nobilitate, etiam Joanne Auſtriaco (qui mox Conſuegram prioratum ſuum reverſus) in ſinu aulæ præfectæ eſt ſalutatus, & oſculo manuum veneratus; ideoque ſceptro per ſe regendo impar, unde rerum ſumma ex regis, ut dixi, teſtamento ad Matrem Mariam Annam devoluta eſt, cui juvandæ conſiliis ſuis ſex regni proceres fuerant pariter deſignati. Inſolita regiminis forma (quippe Hiſpanorum ab aliquot ſæculis nullus ætate minor ſceptris admotus fuerat) non ſpernendam timendi occaſionem miniſtrare pluribus viſa eſt; ſed quo minus magnatum animi in periculoſas erumperent diſſenſiones, effecit belli Luſitanici, quod tunc gerebatur, & gallici, quod jam exoriturum apparebat, periculum, ſolâ rerum domeſticarum concordia prævertendum.

Succeſſit Carolus filius

63. Inducta à quibusdam in Ratisbonenſibus Comitiis propoſitio, quæ electoribus, etiam vivo Cæſare, auctoritatem aſſereret eligendi Romanorum Regem, non modicæ turbationis anſam præbuit; quod ſic non obſcuris indiciis manifeſtus eorum animus fieret, qui Leopoldo alieni

Electio Regis Romani fieri poſſit Rege vivente.

alieni ſanguinis (fortè Bourbonici) ſucceſſorem obtrudere irrito moliebantur. Quod idem Caſimirus Rex Poloniæ ſuadente & pertinaciter inſtigante Regina natione galla meditabatur; gallicum principem ſui in regno ſucceſſorem; ut dixi, adoptans, quod Lubomirskius libertatis polonicæ aſſertor quia noluit permittere, officio, bonis & dignitate privatus, totam habuit ſibi adhærentem nobilitatem, uti pleroſque Rex ſenatores, adeoque reſciſſis pleriſque comitiis provincialibus generalia etiam Cracoviæ comitia uſque ad Lubomirskii reſtitutionem (quam omnes urgebant palatinatus) 28. Martii die ſunt convulſa, & palatinus Cracovienſis Xeskius (qui in edendo voto ſemper primus) ad votum quinquies compellatus à Rege, Lubomirskii reſtitutionem urgens ſic finiit: Sereniſſime Rex aût dele nos ſervos & ſubditos tuos de libero libertatis, vel remitte; ſicque finitâ ſeſſione abiêrunt; quia verò Regina inſtigante legato gallico epiſcopo Biterrenſi, & gallicâ factione hanc abſolutè reſtitutionem denegabat, deventum utrimque eſt ad arma; atque majorem Lubomirskii irritationem Caſimirus Joannem Sobieskium, gallicæ nuper Zamoiskii viduæ Mariæ Caſimiræ de la Grange copulatum; copiarum ſuarum conſtituit Mareſcallum; Lubomirskius autem regiam ſub Brione opprimens turmam quingentos cædit, circulatibusq; literis equeſtres ordines ad ſubſidium ſollicitans, non ſolum hos, ſed etiam aliquot ex regio Ukraniæ exercitu vexillationes accepit in augmentum, nequicquam renitente, & comminante Ruskio palatino, &

Civiles Lubomirskii motus polonici

Mare-

Mareſcallo Potosckio; Parcendo tamen humano ſanguini, Lubomirskius apud Lublinenſe tribunal ſui apud Regem rogat interceſſionem, ſubmiſſionem appromittens, ſi Mareſcalli dignitas ſibi aut filio ſuo reſtituatur. Rex ambiguis verbis & conditionibus illum patriæ hoſtem declaraturus minatur, niſi militem exauctoraret, & Poloniæ finibus excederet. Tunc Lubomirskius literis univerſalibus editis ſuam purgans cauſam & defendens proteſtatur, ſe non contra Regem & Rempublicam, ſed jure defenſionis educere exercitum. Cumque utraque pars juxta Viſtulam in campum procederet, Lubomirskius prævidens ſibi aditum Wartæ fl. à Rege præcludendum, cum ſeptem millium exercitu ad fines Sileſiæ ſecedit ad monaſterium Czenſtochovam, quem Rex ipſe cum 16. millibus ſubſecutus, Brionem gallicum tribunum cùm quinque armatorum millibus illum ibidem oppreſſurus præmittit; Lubomirskius haud ignavus illi obviam generoſe procedens, illum internecivè profligat, cæſis eorum 2500. captis 1700. cum multis tribunis & ſubtribunis, tantâque Regis excandeſcentiâ, ut illum coram toto exercitu patriâ proſcripſerit, & tarditori aut percuſſori tertiam bonorū ipſius partem, & Regina decem ducatorum millia appromiſerint; ac quia Gallorum plurimi hoc in conflictu proſtrati aut capti fuerant, Regina ipſa cum quadringentis equitibus in ſubſidium Regis ad caſtra prope Levam properavit; ſed inſignis Lubomirskii generoſitas omnes ad Regem remiſit captivos. *Non eſt ira ſuper iram mulieris! Eccle-*

Cædit regios.

Subdit ſe regi.

ſiaſtici 25. 17. Denuo tamen in paludes prope Turoniam [ubi pugnam nec inire, nec detrectare Lubomirskius poterat] anno ſequenti adactus, intercedentibus aliquot epiſcopis tandem Regi obſequia & fidem cum ſuis ſpondet, rejectis ad proximam dietam, quæ anno ſequenti haberetur, iis, quæ obtendebat, gravaminibus, quibus ex Ordinum arbitrio conſuleretur, depoſitis interim armis, & juſſo excedere ad tempus extra regni fines Lubomirskio, cui ex animo cedebat, quòd nulla impoſterum coadjutoris, aut vivente adhuc Rege ſucceſſoris adſciſcendi fieret tractatio, quod erat præcipuum caput & cauſa diſceſſionis.

Gallus Sileſiæ partem prætendit.

64. Nec minori inquietudine Leopoldi Cæſaris animum turbabat petitio Viennæ per gallicum Oratorem facta Ducatuum Opelenſis & Ratiborenſis in Sileſia, quos Regi ſuo à Polonorum regina emptionis titulo conceſſos aſſerebat. Sed illis à Cæſare ære numerato redemptis (olim enim Coronæ Polonicæ oppignorati fuerant) petitionis importunæ difficultas expedita, & averruncata pericula, quæ timebantur. Plerumque ait *Tacitus* 15. *annal.* muliebre conſilium deterius.

Mortes variorum.

Obiit hoc anno Mantuæ Carolus Dux in ipſo juventutis flore viribus effœtus, quas inter veneris immodicæ oblectamenta ita extenuarat, ut reparari arte nullâ potuerint. Ex Clara Eugenia Auſtriaca unicum reliquit ducatûs hæredem Ferdinandum Carolum, vix annos tredecim numerantem, qui & ipſe hactenus prole carens etiam vitam cum morte commutavit, cedente du-

ducatu Romano Imperio, cujus ipſe membrum & princeps eſt, & nunc Carolus VI. Cæſar poſſidet, quem Carolus V. Cæſar anno 1530. in ducatum elevavit. Mortuus pariter eſt Chriſtianus Wilhelmus marchio Brandenburgenſis; archiepiſcopatûs Magdeburgenſis adminiſtrator, à Cæſare proſcriptus, ad Magdeburgi incinerationem vulneratus; captus & Viennam anno 1630. deductus, anno 1631. relictâ Lutheranâ induit religionem Romano-Catholicam, obiit, inquam, anno ætatis 78. Anno autem ætatis 79. Novembris 19. Julius Henricus Saxo-Lauenburgicus, qui, ut ſupra dixi, factus Catholicus, juniorem filium ſuum Julium Franciſcum in eodem Romano-Catholica religione; ſeniorem vero Franciſcum Erdmannum in Lutherana inſtrui & educari voluit. Fato pariter ceſſit 3. Octobris Maria Anna Ferdinandi II. Cæſaris filia, & Maximiliani Electoris Bavari uxor. Defuncta denique 27. Junii Maria Eliſabeth, Ludovici Landgravii Haſſo-Darmſtadienſis conjux, mater 4. principum filiorum, & 5. filiarum, mortem puerperio enixa.

Annus 1666.

65. Anno ſequenti milleſimo, ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto à Turris, ut ſupra dixi, continuata Candiæ oppugnatio, & tentata eſt à Venetorum Generali Marchione Villa tempeſtivo inſultu Cydonia, quam adhuc Turcæ anno 1645. occupatam poſſidebant, ut ab Candiæ obſidione deterrerentur. Retuſis ergo hoſtibus, qui jam Cretenſi agro inſidebant, facta eſt men- *Cydoniæ ſeu Caneæ obſidio.*

ſe Februario in vicinum urbi litus Sudæ portum excenſo, repreſſaque præſidiariorum manus, quæ obſtare videbatur; iteratis tamen poſtea eorum excurſionibus, iniquâ cœli intemperie, & nimiâ imbrium eluvione, claſſe præſertim horribili tempeſtate laceratâ afflicti Veneti, re infectâ non ſine exiguo ſuo damno inde diſcedere ſunt coacti; quo autem periculi majoris metus advocabat, ſuppetiarum corpus, quaſi ad juſti exercitûs numerum in litore Cretæ vicino deponunt, ut ibi firmatis vallo & aggere caſtris hoſtem ab obſeſſæ urbis oppugnatione longius diſtraherent. Velitationibus & atrocioribus pugnis inter eos & barbaros frequenter ibidem actum, ſummâ ſemper illorum fortitudine & victoriâ; ſed alternâ induſtriâ barbari ſuarum & punicarum navium claſſe adornata Jonium oberrantes, & inſidias continuo aſtu Corcyræ, Zazinthi, & Cephaloniæ inſulis parantes, Venetos tandem adêgere, ut ſubductâ militum ſuorum parte & ceteris in urbem obſeſſam illatis (quam ſub Gen. providitore Antonio Priulo defendebat Wertmullerus) mare repeterent, & fortioribus præſidiis expoſitas inſulas tuerentur. Inſulæ quidem Scio, ſeu Chios invaſionem quidam meditantes, diſſuadebat eorum archiſtrategus Villa, cujus propoſitam aliam expeditionem quia rejiciebant Veneti, vix quicquam amplius tentatum, niſi quòd audientes ſupremum Vezirium cum novo ſubſidio, & commeatu adventaſſe Thebas & Napolim di Malvaſiam, Candiæ obſeſſoribus ſuccurrentem, Veneti diviſa in aliquot partes claſſe, Girolamus Grimanus ei inſidiatus, duo-

duodecim onerarias commeatûs naves in Maliaco ſinu offendit & expugnavit. Interim tamen Vezirius pacis gerebat cogitationes, legatumque Venetum Balarinum Thebas invitat, de pace ibidem acturus, qui in itinere malignâ correptus febri, in pago Iſdin 29. Septembris eſt defunctus, maximo Reipublicæ dolore, quòd virum inſignis ſcientiæ & expeditionis Reipublicæ tam neceſſarium amiſerit: in gratiarum actionem pro magnis beneficiis & eximiis functionibus expeditionibusque Reipublicæ ab illo præſtitis, Dominicum Balarinum filium ejus magnum Reipublicæ cancellarium omnibus votis elegerunt; ſed pacis negotium hac morte interruptum evanuit, Veziriuſque Candiæ oppugnationem ſuâ urſit præſentiâ. contin. vid. n. 75.

Soldanus interim ex venatione redux fallente in ponte equo in flumen præcipitatur, quem plures eluctaturi ultra triginta ſubmerſi, tandem ovium paſtor ſemimortuum feliciter, ſed multo labore ſalvum eduxit, quem Soldanus inſigni etiam mactavit præmio, ſuo equo, imperatoriis veſtibus & cimeliis, quibus erat tunc indutus, & in perpetuum vitalitium centum quotidie aſperos (ut vocant) eidem conſtituit, quantum 25. Janizarorum eſt ſtipendium. Soldani periculum.

66. Coactus potius, quàm ſuaſionibus tractus eſt ad pacem cum Batavis inſtaurandam Bernardus de Galen Epiſcopus Monaſterienſis, ita jubente Ludovico Galliæ rege, qui ſe fœderatum ſubmiſſo ſex millium ſubſidio Batavis dederat; hi etiam anglico oppreſſi bello, nec multum gallico fidentes Pradelio, tanquam median- Pax Monaſterio-Batavica.

untur claſſem, ut primum ſtatim Selandiæ admiralis Everts, & Friſiæ admiralis Dirck Hiddes agmen cæſis ambobus verterint in fugam: ſecundum econtra Hollandiæ thalaſſorum Tromp & Meppeli agmen felicius cerulei admiralem Apluſtri Jeremiæ Smidt fugam coegerunt capeſſere (id quod alii ſingulari attribuunt ſtratagemati) quos dum contra Ruyteri mandatum ad Thameſim uſque inani prorſus ſpe & labore inſequerentur, ſexaginta interim grandes Anglorum naves Ruyteri navium agmen circumcingerent, ut ipſe ſolus contra duas prætorias Anglorum naves tribus omninò horis tam furioſa pugnaverit fortitudine, uſque dum reliquæ ſuæ naves in tutum ſe receperint, amiſſis tamen binis navibus, quarum unam thalaſſus Adrianus Banckers expoſitis ſalvisque prius claſſiariis ſuis, ne in prædam cederet, ipſe incendit: emanente igitur Trompio Ruyterus omni quo potuit modo generosè continuò dimicans prudenter pugnæ ſe ſubtrahit, Selandiamque verſus fugit, victoriæ palmam Anglis coactus relinquere. cladis cauſam Ruyterus Trompio naumachiam maturius deſerenti, hic Ruytero periclitantibus Everts & Hiddes non ſuccurrenti utrimque imputabant; re penitiùs examinata, Trompius ab Hollandico Hagæ Comitis Senatu ab architalaſſi officio depoſitus, eidemque Wilhelmus Joſephus de Gent eſt ſubſtitutus; Ruyteri autem prudentiam eximiam, & contra univerſam Anglicam claſſem fortitudinem admirati omnes, volones gallici mirè adeo deprædicabant, ut Ludovicus Rex Galliæ eundem in ipſius

Laus Ruyteri

untur claſſem, ut primum ſtatim Selandiæ admiralis Everts, & Friſiæ admiralis Dirck Hiddes agmen cæſis ambobus verterint in fugam: ſecundum econtra Hollandiæ thalaſſorum Tromp & Meppeli agmen felicius cerulei admiralem Apluſtri Jeremiæ Smidt fugam coegerunt capesſere (id quod alii ſingulari attribuunt ſtratagemati) quos dum contra Ruyteri mandatum ad Thameſim uſque inani prorſus ſpe & labore inſequerentur, ſexaginta interim grandes Anglorum naves Ruyteri navium agmen circumcingerent, ut ipſe ſolus contra duas prætorias Anglorum naves tribus omninò horis tam furioſa pugnaverit fortitudine, uſque dum reliquæ ſuæ naves in tutum ſe receperint, amiſſis tamen binis navibus, quarum unam thalaſſus Adrianus Banckers expoſitis ſalvisque prius claſſiariis ſuis, ne in prædam cederet, ipſe incendit: emanente igitur Trompio Ruyterus omni quo potuit modo generosè continuò dimicans prudenter pugnæ ſe ſubtrahit, Selandiamque verſus fugit, victoriæ palmam Anglis coactus relinquere. cladis cauſam Ruyterus Trompio naumachiam maturius deſerenti, hic Ruytero periclitantibus Everts & Hiddes non ſuccurrenti utrimque imputabant; re penitiùs examinata, Trompius ab Hollandico Hagæ Comitis Senatu ab architalaſſi officio depoſitus, eidemque Wilhelmus Joſephus de Gent eſt ſubſtitutus; Ruyteri autem prudentiam eximiam, & contra univerſam Anglicam claſſem fortitudinem admirati omnes, volones gallici mirè adeo deprædicabant, ut Ludovicus Rex Galliæ eundem in

Laus Ruyteri

ipſius fortitudinis teſtimonium in ordinem S. Michaëlis aſſumpſerit, aureamque catenam cum ſua effigie viginti quatuor millium florenorum pretio, & annuam duodecim millium florenorum penſionem per ſuum Hagæ Comitis legatum Comitem Eſtradem liberaliter donaverit.

Batavorum claſſis ab Anglis incenſa. Nec unus hic novercantis fortunæ inſultus victos impetivit; nam Angli fugitantes Batavos inſecuti, in ipſo Ulienſi portu centum ſeptuaginta onerarias, quæ merces in Moſcoviam delaturæ parabantur, vice-thalaſſus Robertus Holmes ſua cum claſſe 19. Auguſti tumultuariè invadit, incenſiſque primùm duabus præſidiariis, paulò pòſt centum quadraginta onerarias cum mercibus ipſis miſerè ignibus abſumpſit; die altera in Ulienſe territorium eſcendens mille domorum pagum incinerans reverſus eſt in Angliam. Tertiam Batavi naumachiam tentaturi meliori ſpe fortunæ, & Ducis Beaufortii gallicæ claſſis archithalaſſi conjunctione, rurſus in altum provolantes Anglos provocant, qui imperterriti etiam comparentes, contrario tamen vento detenti confligere non potuerunt, neque viſus tunc etiam Beaufortius, & Ruyterus infirmitate corporis debilitatus Amſtelodamum eſt deportatus, ſicque navalis hæc expeditio eſt ſubmerſa.

Londini incẽdium. 67. Damnorum vicem alternam paulò pòſt Angli etiam ſunt experti; duodecimâ namque die Septembris circa mediam noctem Londini improviſum in domo piſtoris ad Puddinglane haud procul Tameſis ponte exortum eſt incen-

dium

dium non adeo primò vaſtum, ſed venti ſeptentrionalis ſævitia adeo dilatatum, ut omnem extinguendi excederet potentiam, qui altero die lunæ violentior totas diripiebat plateas, ut cives extinctionis immemores domorum potiùs ſuarum bona & ſupellectilem curarent & ſalvarent; jamque ingens modò auri, argenti, aliarumque rerum theſaurus in elegantiſſimo D. Pauli templo in conſervationem erat depoſitus, cum ecce Vulcanus & in hoc debacchatus totum conſumpſit, inde ad domum progreſſus mercatoriam die tertiâ funditus eâm conſumpſit, cum circumjacentibus ædibus univerſis, ut Rex ipſe & frater ejus Jacobus Eboracenſis rogarint populum, ut copioſius aquam affunderent, ſubjectoque nitrato pulvere aliquot in aërem domos evibrando latis intermediis lacunis ignis ſiſterent violentiam, ulteriusque progrediendi ſubtraherent materiam; ſicque etiam ad monaſterium Temple ſubſtitit; ſed quartâ die mercurii volitantibus in tectum & trabes Temple copioſè ſcintillis, illud inſperatò incendendo, templum & monaſterii partem devaſtarunt; tunc quintâ die Jovis indomitus ignis furor non humano, ſed divino quaſi miraculo extinctus deſæviit, combuſtis tredecim ædium millibus & ducentis, ſimulque 80. templis, à Towr nempe uſque Temple, loci ſpatium 436. jugerum depopulatus, damno 60. millionum imperialium. Urbis ſenatus in perpetuam rei memoriam in loco primi incendii lapideam erexit columnam. Et quod tanto damno caſus fortuiti ſævivire non ſoleant, deſperatæ hoſtium ſuorum

Gallorum aut Batavorum vindictæ Angli attribuerunt: Doctor Titus Oates Vatinianus catholicorum, maximè ſacerdotum inimicus Jeſuitis & Hyberniæ monachis; imò ipſi Regi, & Eboracenſi Principi Jacobo incendium falſò adſcribit: niſi fortitan meliori conjecturâ ab Anglis ipſis alii incendii cauſam dedêre, quorum benè multi in varios circa Religionem diſtracti ſenſus, pluſquam vatiniano odio Regem, urbes & magiſtratus ipſis infenſos perſequuntur; ſed multò poſtmodum ex iſtis cineribus enatus eſt phœnix elegantior, Londinum enim quadriennio ſumptuoſiſſimis reædificatum ædibus mirificè nunc ſplendet.

Polonorum ſeceſſio renovata,

68. Sancita anno præterito inter Polonos animorum conſenſio firma diu perſeverare nequivit, recrudeſcente irarum ſtimulo, qui rempublicam in nova impulit diſſidia; proximis namque comitiis diſcordiam componendam conventum erat, quorum quædam provincialia, ut Varſavienſia regi, Cracovienſia verò, Sendomirienſia, Poſnanienſia, Cujavienſia &c. Lubomirskio confœderata adhærebant, integram ejusdem reſtitutionem, & regiæ ipſo adhuc vivente ſucceſſionis [quam ſubdole adhuc Regina clam promovebat] abolitionem omnino urgebant. Electo tandem à nuntiis provincialibus generalium comitiorum directore Oſwieczimskio ad generalia 17. Martii deventum eſt comitia, ad quorum initium ſenatores à regni cancellario Praczmowskio his verbis excepti: Accedite ergo ad oſculum manus regis & boni & mali, graviter plurimi tulerunt, diſceptatisque

acriter

acriter pluribus fruſtra propoſitionibus diſciſſa ſunt comitia : in arcano autem poſtcomitiali conſilio Rex quidem Lubomirsckio plenariam honoris & bonorum pollicetur reſtitutionem, ſed non coronæ mareſchallatum (qui Sobieskio erat modo collatus) omnemque majoris publicæ dignitatis ſpem præſcidit; quare Lubomirskius publico manifeſto ſuam declaravit innocentiam, regni libertatem, & quædam aulæ arcana inter ſe & illam prius acta patefecit, quo Caſimirus Rex adeo iratus, reginæ ſine dubio inſtinctu, per totum Poloniæ regnum Lubomirskium rebellem, & regis impoſterum gratiâ indignum declaravit, ob quod regis manifeſtum communis majoris Poloniæ palatinatibus indicta eſt evocatio, dicta Poſpolite Ruſzenie, factâque conjuratione armati in campum procedentes confœderato ſe conjungunt exercitui, regis ſucceſſionem dirè execrantes, quo Lubomirskius etiam ex Sileſia tendit, pluribus Ruthenis, & ex Volhinia aliisque provinciis auctus copiis: quod ægerrimè rex ferens, contra eos regis juſſu Caſtellanus Cracovienſis regni ſæcularis Primas regium educit exercitum, eoſdem tumultuariè propè Montwium oppreſſurus, ſed à Lubomirskio cæſis aliquot regiorum millibus eſt attritus, paucis confœderatorum deſideratis. Tum rurſus meditata eſt utrimque concordia in caſtris circa Legonicem ad fluvium Pelczam, & his ſubſcripta conditionibus, ut abdicato exercitu & fœdere Lubomirskius juratam præſtet regi fidem, reſtituatur bonis & honoribus præterquam mareſchallatui, exhibitaq; regi

Lubomirskius reſtitutus.

regi cum oſculo manuum humili reverentiâ in alium extra regnum locum triennio exilium ſecedat, id tamen cum fœderatis evicit, ut meditata & molita ſucceſſionis in regnum intruſio penitùs proſcriberetur, ſarta tectaque à rege agnoſceretur ordinum libertas, abdicanti ſe morientive eum ad coronam Polonicam deligendi, quem maluiſſent. Addit *Puffendorffius Rerum Brandenb. fol.* 35. Lubomirskio etiam poſt ſubmiſſionem ſuam ab aula gallica appromiſſa fuiſſe centum dalerorum millia, Cracovienſem Palatinatum cum aliquot Staroſteis, magnum coronæ mariſchallatum, imo Galliæ Parem & ducatum, ſi ſcriptâ cautione in gallicum tunc Regis ſucceſſorem vellet conſentire; ſed generoſi animi ſtimulo præſtantiorem patriæ ac reipublicæ libertatem, à majoribus hucusque hæreditatam, quàm Ordinis S. Spiritûs equitem & ducem tot periculis obnoxium exiſtimavit. Libertas inæſtimabilis res eſt, ait *L. Libertas.* 106. *ff. de reg. jur.* ut ſupra dixi:

Libertas pretioſa.

Non benè pro toto libertas venditur auro,
Hoc cæleſte bonum præterit orbis opes.

dicit *Ovidius*. His peractis nova rurſus in menſem Novembrem indicta ſunt comitia, æquè ac ſuperiora infinitis diſcordiis & altercationibus diſciſſa, nullisque hactenus tot repetitis prætenſionibus ſatisfactum.

Brema à Suecis invaſa.

69. Brema urbs ad Viſurgim hanſeatica, antehac uſque ad annum 1648. Archiepiſcopalis, nunc ducatus ſæcularis, pace Weſtphalicâ ad regem tranſiit Suecorum, qui multimodis eam afflixit infeſtationibus, ut pleno ſe jure ei ſubjectam

ctam agnoſceret, nixus Electoris Moguntini Erfurtum nuper ad ſubmiſſionem compellentis exemplo, opportuno præſertim hoc tempore, quo aliorum principum, Batavorum imprimis Anglico & Gallico bello implicatorum ſubſidiis urbs eſſet deſtituta. Comes igitur Carolus Guſtavus Wrangel juſto exercitu & re tormentaria ex Pomerania per Ducatum Mecklenburgenſem in diœceſim tendens Bremenſem, hæc initio Februarii per Nicolaum Bremenſis Ducatus cancellarium amicis primùm verbis ab urbis poſtulat deputatis, ut civitas Brema impoſterum à titulo immediatè liberæ imperialis civitatis abſtineat, & municipalem regis Sueciæ & ducatus Bremenſis mediatè urbem ſe gerat, taliterque Regi fidem & homagium præſtans, Suecicum admittat præſidium, & tam eccleſiaſticæ, quàm politicæ magiſtratûs dignitates æquè Lutheranis ac Calvinianis ſint æquales; ſi recuſet, his armis ſciat compellendam. Quibus omnibus & ſingulis abſolutè denegatis, Vrangelius admoto propiùs exercitu arctiùs urbem cingit, & ignibus vexat; nec impigri cives, libertatis ſuæ vindices generoſo ſe defendunt animo, Luneburgico præſertim aucti ſubſidio; Cæſar namque vicinis ſignificavit indixitque Principibus Friderico Wilhelmo Electori Brandenburgico, & Georgio Wilhelmo Luneburgico, ut Bremam omni modo conſervarent, circulique directores ad urbis defenſionem incitavit; avocatoria emiſit, & ſub gravi pœnæ interminatione Suecis oppugnationem interdixit, alioquin Regem Sueciæ Imperii hoſtem declaraturus, ut ipſe

ipſe adeo Vrangelius diceret: Silvam Bohemi-cam his contremiſcere minis; metueretque Imperii Rom. armipotentiam. Tandem Habenhauſii, in prætoriana Vrangelii ſtatione Electorum Colonienſis & Brandenburgenſis, omnium Brunſchwig-Luneburgicorum & Haſſo-Caſſelenſis Principum, Fœderatorumque Belgii Ordinum interventu eam juravit urbs Suecis obedientiam, quâ prius Rom. Imperio obſtrictâ fuerat. Juri ſuffragiorum in comitiis Imperii, & loco in dietis valedixit; pactis tamen uſque ad hujus ſæculi finem, annum ſcilicet 1700. tantùm duraturis, quòd ſperaret annos interea & tempora eam laturos opem, quam præſentes nequiverant vires; aut intra id tempus cauſam à comitiis imperialibus fore decidendam; ideoque ſibi jus ad priora omnia reſervabat, quæ tamen pacta tanti temporis labore concluſa furioſo ferme civium tumultu reſciſſa fuiſſent, quo initio Decembris proditionis ſuſpecti quondam conſulis, tunc regii conſiliarii Statii Speckhans domum penitus diripuerant, niſi maturâ & ſedulâ mediatorum & conſervatorum interpoſitione res fuiſſet compoſita.

Quomodo Sueco ſubmiſſa

Magdeburgum Brandeburgo ſubjectum.

Simili tunc temporis modo imperialem ſuam immedietatem Parthenopolis, ſeu Magdeburgum, urbs ad Albim fl. in Saxonia hanſeatica; quæ olim Magdeburgenſis Archidiœceſis Metropolis, nunc exitiali triginta annorum bello miſerâ calamitate attrita; poſtmodum anno 1648. pactis Weſtphalicis in Ducatum ſecularisata, & Auguſto Duci Saxoniæ ad dies vitæ in adminiſtrationem tradita, poſt cujus obitum in

Ele-

Electorem Brandeburgicum transferenda. Hæc inquam civitas ſuam in Imperio Rom. immedietatem firmare quantis poterat viribus moliebatur, fidem & obedientiam Electori Friderico Wilhelmo hucusque differendo negabat; quare Elector Auguſto adminiſtratore conſentiente, auctorato clam ſub archiſtratego Ottone Chriſtophoro Sparrio 15. millium exercitu urbis homagium ad formam & modum anno 1579. præſtitam ſibi, ſimulque Auguſto Adminiſtratori, non vero Capitulo metropolitano, præſtari, ſimulque Brandeburgicum militare urbi præſidium imponi, retentis & confirmatis civium privilegiis poſtulat. Parthenopolitani ne ulterioribus bellorum opprimerentur calamitatibus, ſpontaneam Electori 28. Junii offerunt fidem & obedientiam, absque ulla humani ſanguinis effuſione, de quo maximè Elector gaviſus urbem poſtliminio valido adjecto robore reſtauravit.

Contractus Brandeburgo Palatinatus.

Nec minore felicitate idem Elector Fridericus Wilhel. hæreditarium illum & perpetuum cum Palatino Neoburgico Philippo Wilhel. contractum de poſſidendis Juliæ, Cliviæ, Montium & Marchiæ Ducatibus, tam in ſtatu Religionis quàm politico perfecit, quo nimirum Juliam & Cliviam prætendentium juri (quod adhuc Saxoniæ duces prætendunt), ne quicquam præjudicatur; neque prædicti ducatus &c. ſeparantur, ſed potiùs per hunc contractum uniuntur, eorumque ſtatuum, indigenarum ſubditorumque privilegia & immunitates confirmantur. Manet itaque Elector Brandeburgicus, ejuſ-

que deſcendentes in plena & quieta poſſeſſione ducatûs Cliviæ & Comitatuum Marchiæ & Ravensburgi, cum ſuis prærogativis & appertinentiis: & eodem plane modo Palatinus Neoburgicus ejusque deſcendentes in plenaria & quieta manet poſſeſſione ducatuum Juliæ & Montium, cum dominiis Winnenthal & Breſquesand, cum ſuis prærogativis & appertinentiis; mutua autem utriusque prætenſio dominii Ravenſteinii in compromiſſum dabitur; ſed quia Palatinus omnimodum contentionis urgebat finem, Elector Brandeburgicus anno 1671. ſuam juris prætenſionem Palatino quinquaginta dalerorum millium pretio tradidit, reſervato ſibi ſucceſſionis jure, ſi Palatina tandem deficeret familia, geſtaretque titulum & inſigne Ravenſteinii dominii, uti ambo paciſcentes omnes alterius titulos & inſignia Juliæ, Cliviæ, Montium, Marchiæ &c. communiter gerunt. Et licet prædictæ ducatuum & comitatuum regiones in diverſos dividantur dominos, nunquam tamen ſeparabuntur; ſed firmo & inſolubili ſemper vinculo cum ſuis communibus & ſpecialibus privilegiis manebunt unitæ; adeoque mutuis paciſcentium viribus contra invaſorem defendentur. Quod ſi verò inter paciſcentes interea hujus contractûs oriretur contentio, illa non viâ facti, ſed juris amicabiliter per arbitros componatur. Et ſi quæ eccleſiaſticæ prælaturæ, & beneficia in prædictis ducatibus, locisque annexis vacabunt, quorum collatio ad paciſcentes ſpectaret, ea per alternos menſes conferantur, &c. &c. Quibus pacificè utrimque pactis, Brandenburgus

Juliam, Cliviam Montes, & Marchiam concernens.

burgus

burgus Duisburgi; & Palatinus Winkelhauſehi commorantes, mutuóque 28. Septembris ſalutantes, omnibus & ſingulis in Cæſareo-Aulico judicio hactenus de harum provinciarum, ſeu Ducatuum ſucceſſione habitis proceſſibus, vi hujus contractûs (cujus Cæſar fidejuſſor & ſponſor eſt) omnino renuntiant, & abrogatos volunt, ut latiùs referunt *Londorpii Acta publ. Diarium Europ. & Puffendorff.*

Hoc anno lignandi & piſcandi jus in & circum aliquas Padi fl. inſulas Mutinenſem inter & Mantuanum Duces altercandi primùm fuit occaſio, dein à diſceptatione ad arma veniendi. Re privatis inſultibus agitatâ, conſcriptis tandem utrimque copiis, mutuis in confines fluvio pagos incurſionibus gerebatur, quum Mediolani gubernator caduceator accedens arma compeſcuit, & redintegratæ pacis pacta ſuâ confirmavit auctoritate, regiis impoſterum armis vindicanda, ſi ab alterutro violarentur. Contentio de Padi Inſulis.

70. Poſt ultimam pacis Cæſareo-Turcicæ tranſactionem utrimque receptum fuit, pacem privatis excurſionibus non violari; niſi ultra quinque millia cum tormentis bellicis ſub quodam Generali excurreretur; ut ſupra n. 58. memini, unde ingens non indigenis ſolùm Ungaris, ſed ipſis adeo Turcis inferebatur detrimentum, latronibus hac occaſione undique confluentibus, crudeliſſima inferentibus. Inter cæteros verò Ungariæ magnates Comes Balaſſi Imbre iteratis Turcas excurſionibus vexabat, ad quorum depoſitas Viennæ querelas Cæſar illum areſto innodari jubet, ex quo elapſus exitioſiora inten- Balaſſi Ungari rebellio.

tabat: quare Cæſar, ut Turcis ſatisfaceret, Balaſſi bona & poſſeſſiones fiſco ſubjicit, quæ ipſe expoliando deſerens cum tribus præſidiariorum millibus fugit in Tranſylvaniam, ad validam ſuæ uxoris arcem Debin, majores ibidem copias auctoraturus, & ſuammet ipſe patriam ſuo perfidus Regi invaſurus; adeoque ipſos Turcas in perduellionis ſuæ ſubſidium ſpecioſis ſcilicet literis invitans ſollicitat; ſed fidei & modeſtiæ exemplo ſummus Portæ Ottomanicæ Vezirius Comitis Balaſſi preces & munera reſpuit, quibus eum ad perduellionis ſuæ partes, & Ungariæ invaſionem pertrahere conabatur. Hic Comes vatiniano odio in regni adminiſtratorem Palatinum ſuæ captivitatis & confiſcationis auctorem furens, ſeditioſo delectu copias ſcripſerat, quibus dum arces & oppida regi ſuo rebellis occupare pergit, regionemque crudeliter incendiis & cladibus miſcet, à palatino regii exercitûs ductore in arce Debin expugnatus & interceptus, catenis & loris vinctus ad Palatini arcem Muran eſt deductus: Debin verò arcem Cæſar validiore robore juſſit firmari & cuſtodiri.

Mors Strigonienſis archiepiſcopi Lipay.

Hoc eodem anno regni Primas Archiepiſcopus Strigonienſis Lipay obiit, in cujus locum ſucceſſit Epiſcopus Nitrienſis Georgius Szclepſzenus egregius Catholicorum defenſor & promotor, uti deceſſor acatholicorum hoſtis acerrimus, ad quorum excidium nullis ambo pepercerunt laboribus & ſumptibus, quos hic præcipuus & ditiſſimus regni Archiepiſcopatus ſuis annuis ducentorum florenorum millibus redituum ſubminiſtrat. Cæſar etiam miſſo ad Mi-

Ejus reditus.

chaëlem

enaëlem Abaffium Tranſylvaniæ principem Martino Kasfonio præpoſito Demeſcenſi ſuam illi contra Turcas, ipſi adverſos, appromittens aſſiſtentiam, majorem latioremque Catholicæ religionis poſtulavit libertatem, quam vulpes Abaffius minùs, quàm ſperaverat à Cæſareo ad Portam Ottomannicam tunc legato commendatus & defenſus, ideoque nec auxit, nec minuit, ſed in ſuo priſtino ſtatu ſecundùm patriæ leges & ſtatuta permiſit.

Genuenſes ad commercia cum Turcis admiſſi.

Peculiari Turcarum Sultani indulgentiâ Genuenſes ad mare Liguſticum per omnes ditiones turcicas propriis navibus & vexillis mercimonium exercere permiſſi ſunt, quod antea ſub gallici regis auſpiciis tractabant. Res ſummæ plena invidiæ id præcipuè effeciſſe credita eſt, ut gente Gallorum ob id Genuenſi infensâ Reipublicæ graviores poſtea ſimultates inter utramque ſuccreverint, uti anno hujus ſeculi 1685. gallica claſſis ingentem Genuæ cladem injectis ignibus intulit: in nova namque platea, ut vocant, nulla invenitur domus, quæ non regio ſit digna hoſpitio; & ſicut ampliſſimis ſuperbit ædificiis, ita opimis abundat divitiis, & floret mercaturis, ut annui ejus ſint reditus, unus millio, & ducenta aureorum millia; quæ romano olim parebat Imperio, anno autem 1528. per Andream Auriam ſtrenuum & prudentem virum plenè reſtituta libertati, ariſtocratico democratica effecta eſt reſpublica, cujus dux ſingulis duobus renovatur annis tum ex nobilitatis ordine, tum ex præcipuis communitatis alternatim familiis; effluxis vero duobus regiminis annis

Andreas Auria.

exdux fit montis S. Georgii procurator, unde annuè gaudet quingentorum ſcutorum reditu.

Motus in Hiſpania ob adminiſtrationem. Prælusum eſt in aula hiſpanica exteris in regno jacturis diſſidio interno; inde orto, quòd paucis poſt Philippi IV. Regis mortem horis cùm etiam Cardinalis Arragonius Archiepiſcopus Toletanus obiiſſet, regina regni moderatrix vacantem archiepiſcopatum Paſchali Arragonio generali Inquiſitori contulit, & confeſſarium ſuum Everhardum Nitardum, germanum Jeſuitam, facit generalem Inquiſitorem, ſtatûs conſiliarium, & conſequenter membrum collegii tutelaris & regiminis; immo ad præcipuam regni adminiſtrationem admovet. Huic rerum arbitrio cum ſecretis obtrectationibus populi, & publicis magnates querelis jam quaſi ad defectionem uſque ſeſe opponerent, omniaque averſis animis turbarentur: tandem prudenti regina conſilio eos in aulam revocavit rerum adminiſtros, qui auctoritate, & rerum experientiâ ejus conſilia moderari ſufficerent.

Veneti naves Turcarum capiunt. Ramadanus Ægypti Sangiaceus; Andreæ Cornelii è ſumma claſſis præfectura redeuntis Venetias, triumphum ſua honeſtavit, illuſtravitque captivitate. Hic caſtris turcicis ſubſidia cum 23. navibus in Cretam illaturus; venetas naves prope Cydoniam offendit, à quibus peſſimè habitus, dum re, ſuis victis deſperatâ, in navicula depoſitis magiſtratûs inſignibus fugam pertentat, inter victrices triremes deprehenſus, præcipuum victoriæ & pompæ pignus futurus Venetias abducitur.

71. Neſcio quos hujus anni numerus apud

delira

delira capita phantaſticos parturiit conceptus. Smirnæ in Anatolia ad archipelagum Judæus nomine Sabbatai Sevi, hebraicis literis & ſcientiis apprimè doctus, promiſſum ſe Meſſiam venditans, plurimos habuit ſectatores, atque etiam ſuum præcurſorem Eliam nomine Nathan: qui ambo novum regnum, & abjecto judaicæ ſervitutis jugo (nam quo in majoribus ſuis hæc gens fuit ſanctior, hoc eſt in poſteris corruptior, odium cœli, terrarum purgamentum) in terram promiſſam Palæſtinam introducendos Hebræos promittentes, ille Gazæ, hic Damaſci pœnitentiam prædicabant, plurimique jejunio, oratione, carnis caſtigatione, bonorum utenſilium, & mercium venditione in novi Meſſiæ adventum, & translationem in Jeruſalem, Palæſtinam & opulentiſſimum novum regnum magno ſe ſtudio præparabant: Sabbataio in plateis periſtromata & veſtes ſubſternebant, qui ut doctrinam ſuam veram & certam confirmaret miraculo, fingebat inter ſe & Smirnenſem prætorem igneam apparuiſſe columnam, quod etiam Judæi cœcâ credebant phantaſiâ veriſſimum, pluraque talia apud Conſtantinopolitanos Judæos, eum unicè deſiderantes patraturus, eò proficiſcitur; Vezirius autem rei conſcius ſeditionem inde metuens, carceri illum mancipat, ubi à confluentibus undique Judæis (ſcientibus juxta prophetas futurum Meſſiam multa à gentibus toleraturum,) incredibili inviſitur humilitate; ſed Vezirius binos poſt menſes illum inde ad helleſponti Dardanellas Abydum cuſtodiendum remittit, ubi innumerabiles Judæi ex Aſia, Africa,

Novus Judæorum Meſſias

Europa, Germani, Poloni, Itali, Veneti, Amſtelodamenſes &c. oblato Turcis pretio illum viſitantes, cum larga benedictione & ampliſſima promiſſæ terræ pollicitatione gaudentes illos dimittebat. Alius interim ex Polonia prodit Judæorum Meſſias, Nehemias Cohen, qui Sabbataium accedens, eandem ſibi arrogabat Meſſiæ prærogativam, Sabbataium Sevi explodens; ſed à Sevo repudiatur & heterodoxus declaratur: quam contumelioſam injuriam Nehemias vindicaturus, Sevum, ejusque ſectatores apud Adrianopolis Caimacam, urbis gubernatorem, proditionis & ſeceſſionis accuſat, qui eum Abydo vinctum adductum Soldano ſiſtens, jubetur in ſuæ prætenſæ deitatis ſpecimen ſagittis, utrum eſſet impenetrabilis, exponi; at Sevi ſe non immortalem Deum, ſed mortalem judaicum eſſe doctorem proteſtatus, damnatur vel palo transfigi, vel Mahumetem venerari; ejus ſectam amplexus, hebræos ſuos ſectatores in abſurdiſſimam adduxit confuſionem; hanc ut aliquâ tegerent honeſtate, ejus ſpiritum turcicam aſſumpſiſſe ſectam; corpus verò in cœlum avolaſſe, brevi rediturum ſtultè aſſerebant. Sabbatai Sevi jam circumciſus Turca plurimos Judæos ad eandem ſeduxit ſectam, dicens ſe velut alterum in Ægypto Moyſen in turcica vivere aula oportere, ut ſuos in vana Meſſiæ adventi phantaſia confirmaret. Tandem anno 1672. ibidem mortuus eſt famoſiſſimus ille per Europam, Aſiam, Africam, Hebræorum Meſſias, inſanus tot hominum phantaſticorum deceptor. Benè Hebræus Pſalmiſta pſ. 11. v. 2. & 3. *Diminuta*

minutæ ſunt veritates à filiis hominum ; vana locuti ſunt unuſquiſque ad proximum ſuum, labia doloſa in corde & corde locuti ſunt.

Hiſpahami extremum obiit diem Abas nomine ſecundus Rex Perſarum, memorari digniſſimus non ſolùm ob egregias animi dotes, quibus feliciſſimè per plures annos vaſtum ſuum rexerat imperium, urbem & reſidentiam Hiſpahamum à ſe translatam pulcherrimis ædificiis exornarat ; ſed ob id præcipuè, quòd propenſam erga Chriſtianos voluntatem ad ultimum uſque vitæ ſpiritum oſtenderit, ſolitis & inſanis eos vexari calumniis & injuriis nunquam paſſus. **Abas R. Perſiæ Chriſtianis favens.**

Pari fato poſt graves & diuturnas infirmitates anno ætatis 64. vigeſima die Januarii Pariſiis deceſſit Anna Auſtriaca Philippi III. Regis Hiſpaniarum filia, Philippi IV. ſoror, Ludovici XIII. Galliarum Regis conjux, & Ludovici XIV. mater, cujus loculo inſcriptum erat : **Obitus Annæ Auſtriacæ Reg. Galliæ.**

Et ſoror, & conjux, & mater, nataque regum ;
Nulla unquam tanto ſanguine digna fuit.

Fuit virtutum omnium, quæ principes fœminas decent, nitidiſſimum exemplar ; ſed inopportuno caſu vitæ erepta, eo præſertim tempore, quo maternâ auctoritate & officiis ſuborientis belli (quod non diu poſtea acerrimum flagravit) ſemina compeſcere, interminatiſque per plures annos diſſidiis inter utramque gentem fomenta minuere potuiſſet. Condito paucis ante obitum diebus teſtamento auguſtas trium ferè millionum paratæ pecuniæ erexit fundationes : cimelia verò, aliaque pretioſa Rex, ejuſque frater Dux Aurelianenſis inter ſe diviſerunt, & re-

ſtantes ejus nummos luſorios, duo circiter piſtoletorum millia, generoſâ Rex liberalitate ejusdemque camerariæ marchioniſſæ Beauvais donavit.

Ludovicus Rex Galliæ Anglis bellum indicit.

Defunctâ vix matre rex per ſtatûs ſecretarium Lyonne Angliæ Regi ea de cauſa bellum indicit, quòd oblatam ſæpius ſuam diſſidii cum Batavis componendi mediationem rejecerit; utpote quibus ipſe vi fœderis defenſivi anno 1662. die 17. Aprilis cum Batavis pacti eſſet confœderatus. Expeditâ igitur magno ſtudio claſſe ejusdem architalaſſus de Sales, D. Franciſci Saleſii nepos, inſulam S. Chriſtophori in America ejectis Anglis occupat.

Feſta abrogat.

Singulares tunc temporis in Gallia factæ ſunt reformationes: Pariſienſis Archiepiſcopus Franciſcus de Harlay cum Regis præſcitu aliquot in ſuo archiepiſcopatu feſtivos Sanctorum dies abrogavit, quòd non ſolùm non debitè illi venerarentur, ſed communis populus pernicioſi otii & voluptatis aucuparetur occaſiones, quas conſueti in officinis labores non permittunt, ſed impediunt, majorique ſtudio labores manuum ſuarum manducare poſſint; contra quam juris pontificii [cujus ſolius eſt feſta inſtituere & abrogare] violationem Nuntius quidem Apoſtolicus ibidem proteſtatus eſt; ſed propter Eccleſiæ gallicanæ libertatem nihil efficere potuit. Deinde ne juris in regno proceſſus ob legum obſcuritatem longius protraherentur, Rex doctis & eruditis commiſit Jurisperitis, qui neceſſariarum, & in praxi uſitatarum legum facerent exegeſin, & exemplo codicis Juſtinianei fieret Codex Ludovicianus, quo

Codex Ludovicianus

Gal-

quo Galliam Cæſareo juri minimè ſubjectam eſſe indicare volebat. Publicâ etiam menſe Novembri declaratione Rex varias parentibus promittit & impertit parētibus libertates & præmia, qui plures progeneraſſent liberos, nobili patrifamiliæ decem liberorum conſtituit pro illorum ſuſtentatione ex publico ærario annue duo librarum millia; duodecim vero librorum genitori tria librarum millia, ſeu mille imperiales; & liberæ urbis civi quingentas libras, ad propagandam populi multitudinem, regno admodùm neceſſariam & proficuam. Quemadmodùm veteres olim Romanorum leges varia plurium liberorum genitoribus tribuebant privilegia; & quidem ſecundum *Jus trium liberorum* in conferendis officiis & dignitatibus præferebatur improli parens variorum liberorum. Liberorum propagatio. Pater multorum liberorum.

72. Interea temporis Alexander PP. VII. acrioribus podagræ & calculi doloribus adeo fuit afflictus, ut plurimi ejus mortem præſagire viderentur; reſpitans paululum ad Gandolfi caſtellum deportatus ſaniorem hauſurus ſpiritum, omnibus denegabat alloquium, faſtidioſa præſertim & odioſa petentibus: & cùm jam mortis horam ſenſim appropinquare ſentiret, nepotibus ſuis lauta per mortem Cardinalis Colonnæ vacantia beneficia, ditiſſimam in Romania Abbatiam Sigismundo Chigio, & Cardinali Chigio Archipresbyterium in Laterano contulit. Utque ipſo defuncto plures eisdem conciliaret fautores, ſex novos creavit Cardinales: Alphonſum Littam Mediolanenſem archiepiſcopum Mediolanenſem, acerrimum Jurium eccleſiaſticorum Alexandri VII. infirmitas. Cardinales creat.

vindicem, Nerium Corſinum Florentinum epiſcopum Damiatenſem, pontificis theſaurarium, Paluzzium de Albertonibus Romanum, Cameræ auditorem, Cæſarem Raſponum Ravennatenſem utriuſque ſignaturæ referendarium, Joannem Nicolaum de Comitibus, Romæ Gubernatorem, & utriuſque ſignaturæ referendarium, & Jacobum Philippum Ninum Senenſem archiepiſcopum Corinthi, ſupremum pontificiæ aulæ præfectum, in locum Cardinalium hoc anno defunctorum, nimirum Corradi, Marci Antonii Franciotti, Caroli de Medices, Hieronymi Colonnæ, & Filomarini archiepiſcopi Neapolitani.

Obitus Cardinalium.

Hactenus Duces Sabaudiæ jure regii matrimonii in Cypri regno anno 1480. contracti, regiæ Celſitudinis uſi ſunt titulo, & regiæ præcedentiæ prærogativam præ Sacri Imperii Electoribus prætendebant; quàm hi in variis comitiis & ſeſſionibus acriter diſceptando denegabant; hoc demum anno in Comitiis Ratisbonenſibus utrimque per Electorum & Sabaudiæ legatum Malettum hoc Receſſu eſt conventum: ut Dux Sabaudiæ unumquemque deinceps Electorem compellaret Sereniſſimum, eidemque & ejuſdem legatis ſemper & ubique cederet præcedentiam & honorem, Cæſareo & regio legato debitum iis tribueret; Electores viciſſim Ducem titulo Sereniſſimi, & Regiæ celſitudinis honorarent. Ut refert *Zacharias Schwantzig in Theatro præcedent. p. 1. cap. 21. fol. 42.*

Præcedentia inter Electores & Sabaudum.

Tandem tot votis expetita, tanto tempore dilata Leopoldi Cæſaris cum Hiſpana Infante ſecundo-

Deſponſatio

cundo-genita Philippi IV. Regis filia Margareta Thereſia Madriti 25. Aprilis pronubo ſeu procuratore Cæſareo Duce Medinâ Celi, in præſentia Cæſarei legati Comitis de Pöttingen deſponſatio eſt celebrata, inde claſſe 23. Martii verſus Finalum profecta, 20. Auguſti appulſa eſt in Italiam, & Vadi à ſubmiſſo à Cæſare Comite Raymundo Montecuculo nomine Cæſaris excepta, & pretioſiſſimo cimelio donata adamantino; honorificentiſſimè præterea omni honoris genere eam gubernator Mediolanenſis Ludovicus Ponce de Leon Mediolanum deduxit, dum omnia viſu ibidem digna curioſius ſpectaſſet, & omni oblectamentorum genere ſatiata, ad iter in Germaniam cuncta diſponerentur, inopinato caſu obit Cardinalis Hieronymus Colonna archiepiſcopus Bollonienſis Sponſam ex Hiſpania cum Siciliæ Pro-rege Albuquerquio ſupremo aulæ ſuæ præfecto hucuſque comitatus. Quam primùm Roveredum ad fines Tyrolenſes 18. Octob. perventum, Albuquerquius aulæ præfecturâ defunctus Cæſareis ſponſam commiſſariis Erneſto Adalberto Cardinali Harrachio, epiſcopo Tridentino, & Duci Dietrichſteinio, ſupremo impoſterùm ſuæ aulæ præfecto extraditur: dum interim per Tyrolim, Styriam & Auſtriam, magno procerum & aulæ comitatu ſtipata, & omni ubique honorificentiæ ſpecimine venerata, tardius iter inſtitueret, Cæſar miſſo illi obviam aulæ ſuæ præfecto Duce Lobkowitzio, tum ut de ejus gratularetur adventu, tum ut ob frigoris & aëris tempeſtatem iter maturaret, peteretque ſimul comites ali-

Leopoldi cum Margareta.

Margaretæ iter in Germaniam

quot

quot ad manûs baſium admitti dignaretur. Cæſar itaque illam ad Schot-Viennam à Montecuculo deductam, duodecim tantùm comitatus aulicis & comitibus excepturus eò eques contendens, ad manus baſium præmittit Comites Sprinzenſteinium, & Kevenhullerum, tertius Cæſar ad manûs baſium incognitè admiſſus, dum ſponſæ manum arctius comprimeret, ipſa conjugalis igniculum amoris ſentiens, in genua reverenter procumbere prohibita, amoroſiſſimè illam complectitur, per horam eidem collocutus, ſui tunc voti factus compos, quo olim Sorori ſuæ, Mariæ Annæ Philippo IV. Hiſpaniarum Regi deſponſatæ in Hiſpaniam abiturienti valedicens optarat: Ito bonis avibus, & Infantem mihi hiſpanam progenera ſponſam, iſthæc Margareta eſt. Hæc ſponſo protenus cognito, præter alia pretioſiſſima ingentis pretii pileum cum adamantina criſta & ſpira ipſi donavit, quem inter ſalutandum in via Neoſtadium verſus deperditum, ſed mox inventum fideliter reſtituit Agricola, tribus deſideratis adamantibus, non ſine omine reſtitutæ & feliciter conſervatæ coronæ Hungaricæ (ut quidam vaticinabantur) à perfidis ſacrilegè proditoribus in hoc etiam itinere Regi ſuo inſidiantibus abripiendæ, ut extinctis regni Ungarici legibus liberam introducerent Rempublicam ariſtocraticam; conjuratum enim fuerat in caput Leopoldi ab aliquot Hungariæ proceribus, tum quòd pace cum Turcis pactâ eis ferociendi, & rapinas exercendi libertatem ademiſſet, ut ſupra memini, tum etiam alias ob cauſas. Iſti irrequietis animis agitati tu-

Ungarorum

mul-

multuari primùm inter gentiles, dein variis incurſionibus in pacatos etiam Turcas irrumpere cœperunt: tandem quòd injuriis abſtinere mo- nerentur, ad inſidias ipſi Cæſari moliendas rebelli furore devenerunt. Arriſit eis ſæviendi occaſio, dum Cæſar ſponſæ ex Italia adventanti pauca aulicorum manu ſtipatus occurreret,unde & in itinere in arce Pottendorff locarunt inſidias; in quas delapſus à deſtinatis ſicariis plusquam millibus confoderetur; dicunturque harum inſidiarum fuiſſe auctores Franciſcum Nadasdum & Petrum Serinium. Aſt *Deus eduxit illum de laqueo, quem abſconderunt illi, quoniam protector ejus fuit. pſal. 30. 5.* Nam Cæſar quamvis conjuratæ proditionis inſcius, majori quàm putabatur uſus celeritate, inſidias declinavit, & ſoſpes cum uxore Viennam eſt deductus, quam nonis (5.) Decembris triumphali pompâ poſt ſolemniſſimam ſub pretioſiſſimo in libero campo erecto papilione turcico exceptionem ingreditur, eodemque die à Nuntio Apoſtolico Spinola eccleſiaſticâ benedictione eſt copulata, regiisque epulis & deliciis refecta. Sed ſingulariter omnium demeruit oculos, quod inter omnigenum oblectamentorum genus, queis neo-ſponſa in adventu ſuo eſt recreata,cùm prope Viennam delata eſſet, ibi obviam habuit plures nobilium Germanorum & Hungarorum acies, qui certatim veſtium ſplendore & armorum oſtentatione cupidi clareſcere, per plurimoda ſeu fictorum conflictuum, ſeu genialis hilaritatis excurſationes lætum pariter & auguſtum obtulere ſpectaculum; ſecuta etiam poſt

in Cæſarem cõjuratio irrita.

Equorum chorea. aliquot dies ſingularis dexteritatis chorea, in qua ſcitè ad muſicos modulos equi plures incedere & ſaltare ſunt viſi. Ad hos auguſtos deſponſationis ſplendores parandos multum contulerunt hæreditariæ facultates Tyrolenſes, & hæreditariæ Cæſaris provinciæ & regna millionem ultroneè addiderunt.

In regno Chinenſi primarius aulæ miniſter Sucama vatiniano Chriſtianos perſequebatur odio; ſed divinâ tactus ultione à novo Rege Cam-hi juſſus eſt ſtrangulari, ejus filios, & filios filiorum, numero 14. capite plecti, uxorem, filias, & cognatas Tartaris vendi bonaque omnia confiſcata. Veriſſimè M. Aurelius Imp. cap. 27. An ignoras quòd è proceſſibus noſtris malis eveniant ſententiæ deorum bonæ? operaque noſtra obliqua excitatoria eſſe juſtitiæ eorum rectæ?

Annus 1667.

Jus Wildfangiſtic. deciſum. 73. Hoc anno 1667. multis diſceptationibus & laboribus ventilata Wildfangiſtica inter Electores Palatinum, Moguntinum & reliquos controverſia, mediatoribus Regibus Galliæ & Sueciæ, eorumque legatis Heilbrunnæ 17. Februarii per laudum, & judicialem ſententiam eſt deciſa, quòd Palatinus in omnibus iis locis & dominiis, præſertim in comitatu Wild-Rheingravii Daun, Kirburg, & Stein, jure ſuo Wildfangiſtico uti poſſit, in quibus jus illud antehac fuit introductum & admiſſum; non autem ſi quis domicilium ſuum ex uno in alterum transferat dominium, à quo nihil juris Wildfangiſtici poteſt, nec debet exigere &c. In eodem laudo plura alia puncta acta & conventa ſunt,

de

de jure comitatûs, telonii, libertate piarum proceſſionum &c. Monaſterii Weſtphaliæ epiſcopus Chriſtophorus Bernardus à Galen permiſſu Alexandri VII. pontificis coadjutorem ſibi ſubſtitui à capitulo voluit nobilem Ferdinandum de Fürſtenberg epiſcopum Paterbornenſem (ejusdem Alexandri Romæ commendatum anteha c aulicum, ſæpius in exemplum aliis præpoſitum). qui ejusdem epiſcopatûs competitorem habuit Maximilianum Henricum archiepiſcopum Colonienſem; ſed Decani Jodoci Edmundi de Brabeck (epiſcopi poſtmodùm Hildesheimenſis) ſuffragio & ſtudio, pluriumque canonicorum votis electus eſt Ferdinandus Fürſtenbergus, non ſine ſenſibili Archiepiſcopi Maximiliani offenſione, ut ejuſdem primarius aulæ miniſter Franciſcus Egon comes de Fürſtenberg Epiſcopus Argentinenſis, minacibus ad Monaſterienſem de Galen literis ſignificavit, flocci illas facientem. Hanc comitum de Fürſtenberg lineæ Heiligenbergenſis familiam Cæſar ad Supremi aulæ Bavaricæ Mareſchalli Hermanni Egonis inſtantiam in numerum & ordinem S. R. Imperii Principum elevavit; & quidem Hermannum ejuſdemque deſcendentes in perpetuum; Franciſcum verò epiſcopum Argentinenſem, & fratrem ejus Wilhelmum epiſcopum Metenſem, poſtea Argentinenſem & Cardinalem ad tempus vitæ tantùm: Cui hic ultimus dignitati turpiſſimâ reſpondit ingratitudine, Cæſari ſemper adverſarius, ideoque in Gallia exul & inops obiit.

Furſtenbergus coadjutor monaſt.

Furſtenbergii in Rom. Imp. principes elevati

Deluſis tandem longo tractatuum involucro Venetis, quibus inter bellandum ſpes dabatur dimi-

Candiæ obſeſſio & defenſio.

dimidiatam Cretæ inſulam retinendi, ut remiſſiori curâ urbi obſeſſæ ſubſidia providerent; Achmetas ex improviſo Cydonia (ubi hyemaverat) appellit ad caſtra; & auctis numero & largitionibus militum animis; & omnigeno bellico apparatu ac commeatu; novo robore; continuoque arctius labore promovet; ſeu verius ſtrictam incipit urbis Candiæ obſidionem: ipſe adeo circumcirca urbis mœnia; munimenta, interrios receſſus; & frequens ſubterraneos cuniculos oculatim recognoſcens, & graviſſimas urbis occupandæ prævidens difficultates & obſtacula, pacis rurſum reſumit cogitationes, quas Achmet Defterdar, ſeu regni Theſaurarius, diſſuadendo acrius obſidionem proſequitur. Nec minus deſides Veneti robuſtam parant defenſionem: urbis præſidium erant ſex millia præter cives præſtanti animi generoſitate 36. Turcarum oppugnantium millia non metuentes, ultra centum curtulibus machinis urbis mœnia & propugnacula indefeſsè defendebant, & ſubterraneis iteratò cuniculis obſidionales Turcarum acceſſus evertebant; in quibus frequenter ſibi mutuò occurrentes cruentas ſub terra ciebant velitationes; imprimis autem ſubſidiariis & annonariis Turcarum navibus & claſſibus invigilabant; & quidem capitaneus Alexander Molinus duabus vicibus parvas eorum claſſes tumultuariè adortus, primam omnino diſſipans; naves multas intercepit; alteram ſub admirali Ramadano Tunetano invadens, ejus prætoriam trecentorum epibatarum navem incendit, cum interitu omnium militum, 50. millium Zechinorum

norum, & ducentorum millium realium; ipſum Ramadanum ſubmerſionis periculo extractum cum filiis Venetias, pingue ſuæ victoriæ ſpolium, & teſtem demiſit. Multum verò urbi obfuit præfectorum diſcordia, qua plures excurſiones, conflictus, aliaque bellica conſilia & ſtratagemata ſunt intermiſſa: Marchio namque Villa non Antonio Barbarò, proveditori, ſed ſoli architalaſſo generali Moroſino ſubeſſe volens, urbeque excedens Zazynthum, Moroſini tandem ſtudio revocatus, claſſe triginta navium Sudæ & Grabuſæ Turcarum claſſem obſervans & invigilans impedire haud potuit, quin Caplan Turcarum architalaſſus plus quam quadraginta navium claſſe Cydoniam pervenerit, pleraſque archipelagi inſulas devaſtaturus, prædamque ad caſtra remiſſurus. Venetus igitur ſenatus revocato Antonio Barbaro in ejus locum ſubmiſit Bernardum Nanum: quo etiam plures alii variarum gentium confluxerunt volones, Martis diſcipuli, Baro Guſtavus Vrangel, comes Harcourtius cum aliis 40. Gallis &c. naves quoque ſubſidiariæ, pontificiæ, neapolitanæ & melitenſes venetæ ſe claſſi conjunxerunt, ut quamvis Turcæ incredibili furore & ignibus civitatis propugnaculum Sabionaram, marinum aggerem Molo, caſtellum & portum impeterent, generosâ tamen ſemper conſtantia ſunt repulſi, ut libero ſemper portu ſubſidia potuerint admittere, & admirabili urbem fortitudine præſidiarii propugnando, Turcarum hoc anno vires eliderent, magnusque Soldanus iteratis literis tardam Vezirii oppugnationem incuſans, aut Can-

diam urbem aut Vezirii, caput minaciter exigeret. Cùm demùm appropinquante hyeme Vizirius cerneret ſe oleum & operam hoc anno perdere, extructis ob frequentiſſimas ibidem pluvias & tempeſtates ligneis in caſtris tuguriolis, inde diſcedens Cydoniam, proximo vere majora tentaturus.

Bellum inter Sabaudum & Geneveuſes.

74. Longioris belli non leve minitatus eſt periculum exortus inter rempublicam Genuenſem & Ducem Sabaudiæ antiquam in Genuenſes prætenſionem exigentem motus, qui iteratis quandoque velitationibus inter utraſque copias confinium terminorum prætextu eſt agitatus; parochus nempe pagi Megni moribundum catholicum in oppido Courſinge juriſdictionis partim Sabaudicæ, partim Genuenſis, ſacro munierat viatico, contranitentibus Genuenſibus: partibus utrimque ſuam juriſdictionem defendentibus, Dux ſex qua peditum, qua equitum millia circum Genuenſem urbem diſponens, quaſi à longe circumcingit. Genuenſes non formalem quidem obſidionem, ſed tumultuariam metuentes invaſionem, parato ſociorum Bernenſium nixi ſubſidio, generoſam parant defenſionem. Ducis arma credidere Genuenſes in ſe à Ludovico Rege Galliæ irritata fuiſſe, quòd non æquis oculis ipſum intueri ſcirent ceptum propriis exerceri navibus & auſpiciis per turcicas ditiones commercium, ſub gallicis antehac vexillis ſolitum fieri. Sed breviori quam timebatur excurſu bellum deferbuit, & parvo ſanguine mutuæ vindictæ eſt litatum, intervenientibus, & abs Genuenibus poſtulantibus

tibus gallici Statûs Secretario de Lyonne, & legato Turini gallico de Servient, ut litigioſam domum Courſigni Duci ſponte cedendo offerrent, quod & factum eſt.

Ingenti & terribili terræ motu tota pene Epidauri in Dalmatia, vulgo Raguſii civitas corruit octavo idus Aprilis, lacrimabili non domorum tantùm, ſed & hominum jactura, quorum bene multi ob tempeſtivam horam adhuc in lecto detenti ſub ruinis periêre. Deſiderata hominum circiter quinque millia, urbsque penè tota in propriis ſepulta eſt ruderibus; quod ſubortum interim incendium, ventoque validiſſimo exaſperatum animos jam terrefactos à remediorum cura abſtraheret. Eodem terræmotûs impetu nutarunt confinis regionis urbes & oppida ferè omnia, maximè Neocaſtrum, Antiparium, Ulcinium Aſcrivium, & Bruta (hæc duo penè ſolo æquata ſunt) & non Venetias ſolùm, ſed late per vicinas & longinquas provincias Boſniam, Albaniam inſolutæ ſuccuſſionis terror excurrit. **Raguſium terræ motu deſtructum.**

75. Vix ultima juſta Philippo IV. defuncto Hiſpani pariter & Galli perſolverant, Caroloque filio Madriti, & in Belgio Gandavi ſecunda Maji prioris anni clientelare præſtitum, & à marchione Caſtel-Rodrigo Belgii gubernatore ejus nomine ſuſceptum juramentũ, & AnnaMaria Mauritia Regis Galliæ Vidua, & Lud. XIV. mater marchioni de Fuentes hiſpano ad aulam gallicam legato indicavit, ut Hiſpanæ reginæ viduæ ſignificaret hoc mortis fato belgicas Ludovico filio ſuo ceſſiſſe provincias; uti Viennæ gallicus **Jus devolutionis in Belgio.**

Reſidens Gremonvillus idem etiam Cæſari Leopoldo cum belli-manifeſto expoſuit, Cæſarem Romanumque Imperium dehortans, ne huic ſe bello immiſcerent; cui Cæſar; tam injuſtum Rex bellum potius omitteret, & inauditum eſſe Auſtriacum principem tam iniquo bello à Galliæ Rege ſuis expelli provinciis. Et Maria Anna Hiſpaniæ regina vidua, Caroli II. tutrix replicabat, prætenſum jus devolutionis omni carere fundamento; & ſi quod eſſet, ſtrictiſſimo illi juramento Ludovicum & Mariam Thereſiam renuntiasſe, & plane reſcidiſſe; defunctusque Rex Philippus IV. ſuo expreſsè teſtamento nihil hiſpanicæ monarchiæ, ne minimam quidem domum voluit alienari aut ſeparari: Ludovicus autem replicabat hoc jus devolutionis in Belgio uſitatum & receptum eſſe, quando alter conjugum moritur, eorum liberi in omnia ſuccedunt bona, & ſuperſtes conjux eorum tantùm eſt uſufructuaria, non proprietaria, vi cujus Eliſabethâ Philippi III conjuge anno 1644. mortua liberi eorum Balthaſar, & Maria Thereſia ſuccedebant in Brabantiam, Mechliniam, ſuperiorem Geldríam, Namurcum, Limburgum, Hannoniam, Arteſiam, Cameracum ceteraque ultra Moſam provincias, & Philippus IV. earum tantùm fuit uſufructuarius; Maria Thereſia autem fratre Balthaſare 1646. defuncto ſola facta eſt proprietaria &c. &c.

Refutatur. Aſt Hiſpani ſua verius jura interpetrantes, hoc jus devolutionis ajunt, non concernit reges & principes, nec eſt in Belgio univerſale; nam Antwerpiæ, Bruxellis, Bredæ, Montibus Hannoniæ &c. non eſt in uſu: & pragmatica Caroli V. San-

Sanctio & conſtitutio omnium ordinum & Statuum Hiſpaniæ conſilio & conſenſu approbata & confirmata, jus illud devolutionis inter principes rejicit, & Philippi IV. teſtamentum illud non admittit, ut plures doctiſſimi auctores ſcribunt, & præcipuè celeberrimus Cæſarei Statûs miniſter Franciſcus Baro Liſola in eruditiſſimo ſuo libello Bouclier d'Etat &de juſtice,clariſſimis argumentis contra Gallos ſolidiſſime deducit & demonſtrat, nullum in ducatu Brabantiæ,nec in aliis Belgii provinciis ratione principum eorum eſſe jus devolutionis; quem libellũ nullus hactenus Gallorum, auro licet emptus, ipſiusmet Ludovicii regis judicio,refutare potuit aut contradicere,ideoq;octingenta ejus exemplaria hoc anno 1667. typis edita, & Peronne inventa ſuppreſſerunt, menſeque auguſto flammis Galli tradiderunt. Regem præterea Ludovicum Reginæ, & matris, & Aviæ ſuæ dotes & cimelia,ſummam 1216666. piſtolettorum excedentia prætendentem, Hiſpani facilè & exactè refellebant. Rex autem ut fallaci aliquâ juſtitiæ larva manifeſtam ſuam obtegeret injuſtitiam, adhibito aliquot advocatorum & juris peritorum, auro corruptorum, conſilio & conſenſu, Mariæ Thereſiæ uxoris ſuæ renuntiationem,juramento licet firmatam,publicavit nullam & invalidam,maturamq; expeditionem eo maximè tempore meditabatur,quo Belgium ſufficiente hiſpano deſtitutum erat militari præſidio(ut privatis clam à rege Angliæ literis erat certioratus)nihilque inde adverſi metuebat. Crecquium Metis igitur cum volatico exercitu jubet conſiſtere, ut inquietum

Ludovicus Belgium invadit.

Quo tempore.

Carolum Ducem Lotharingiæ contineret ſimulque germanicum Hiſpanis deſtinatum impediret ſubſidium: Batavi etiam Suecorum ſimultatibus, & Auriacis factionibus implicati, vix quicquam tentare auſi: Rom. Imperii Principibus per Wilhelmum Fürſtenbergum, & per Com. Aversbergum intimum conſiliarium Cæſari perſuadere conabatur, exiguum à rege exigi, pauculas Belgii urbes; ſine belli tumultu rem facile componi cum Hiſpanis poſſe &c. Sicque Rex ipſe ſubſtitutâ ad regni gubernacula Reginâ, cancellario Sanguiero, Mareſchallo Eſtreo, & Statûs conſiliario Aligre, ipſe cum Turennio nunc primùm ſupremo legato ſuo, & 38. peditum, equitumque 14. millibus in campum initio Maji procedens Armentieres ad fl. Lis, & la Baſſee ad fl. Dullæ in Frandria ab Hiſpanis eo adhuc tempore demolita occupat, & fortificari jubet; inde Carloregium in comitatu Namurcenſi ad fines Hannoniæ ingentibus ab Hiſpanis aliquot millionum ſumptibus extructum, ſed necdum abſolutum, ideoque deſtructum & derelictum facilè ſimiliter obtinet, impoſitusque ibidem præfectus Com. Montal, adjecto non exiguo regis mandato robore tumultuarie reficit, ab ipſo rege 30. Maji perluſtratum. Interea temporis Mareſchallus Aumontius decem armatorum millibus Montes Hannoniæ, urbem admodùm ſitu & arte validam, aquis circumcinctam tanto invadit impetu, ut ſeptimo oppugnationis die ultroneâ deditione interceperit. Hos mox ſubſecutum eſt Fourneſium, quod Joannes de Toledo præfectus & miles

Capit Caro'o regium.

Montes Hannoniæ.

Fourneſium.

miles magnæ fortitudinis & militaris experientiæ; tertio tamen die gallorum tradidit poteſtati; inde Aumontius Tornacum tendens, in via arcem S. Franciſci, ſine ullo impedimento capit; tum mille ducentos equites Tornacum ex una parte occludendum, & ex altera Boſſum verſus totidem pedites dimittit: Rex autem Avennes luſtrato exercitu, occupatoque per viam ad fluvium Dender Ath, 20. Junii formali Tornacum ad Scaldim obſidione cingit, & 22. vias aperit obſidionales; quo die comes Lorges 250. Hiſpanos Bruxellis in Tornaci ſubſidium properantes, & paulò pôſt quingentos alios profligavit. Eodem etiam die mareſchallus Grammontius cum prætoriana legione primum in urbem impetum faciens, ad militares ſepes,& exteriorem foſſæ murum (contreſcarpe) fixit ſtationem; ipſe Rex, ejuſdemque frater Dux Aurelianenſis, ut acrius ſua urgerent præſentiâ obſidionem, noctu in caſtris ſub papilione in culcitra dormiebant. Tornacenſes audientes ſubſidium ſibi deſtinatum eſſe cæſum, ſpontaneè ſe Regi 24. Junii ſubjiciunt, qui regio urbem ſplendore ingreſſus, caſtellum illicò ibidem erigi jubet. Proximum fuit Duacum ad fluvium Scarpe, vaſta & elegans civitas, altis aggeribus, duplicique aquariâ foveâ circumdata, anno 1563. à Philippo II. Rege, ad inſtantiam Pii IV. pontificis univerſitate exornata: hanc ipſe Rex prima Julii recognoſcens, 3. Julii valla caſtrenſia jubet aperire, quæ ipſemet ingreſſus, modum oſtendit oppugnationis; ubi Hiſpanum accedentem equitatum Mazetus in fugam convertit,

Ath.

Tornacum.

Duacū

6. denique Julii marchio Caſtelnavius cum ſua urbem aggreſſus legione, ad ejus foſſam pervenit, ibidemque pedem infigens deditionem poſtulat, quam altera die cives etiam cum fortalitio Eſcarpe obtulerunt. His feliciter peractis Rex Compendium diſcedit , ubi à Regina & tota aula gallica de admirabili & inſperato armorum ſucceſſu felicitatus eſt.

Mareſchallus interea Aumontius decem circiter diebus ad Pont à Treſem cum copiis ſuis Duacenſi invigilaverat oppugnationi (quia nullo infeſtante hoſte, nullis caſtra lineis circumvallationis muniebantur; ſed expoſitæ ſolùm copiæ illum obſervabant) ubi duobus equitum & quatuor peditum millibus auctus Cortracum cingit, quod quidem à 13. Auguſti fortiter ſe defendit, ſed tantæ impotens reſiſtere potentiæ, 19. ejusdem regis poteſtati ſe ſubjicit. Eodem cadebat fato Audenardum ad Schaldim, quinque milliaribus Gandavo, & ſeptem Tornaco diſſitum, quod Rex ut Iſraëlitæ olim Jericho circumcirca exterius perluſtrando in ſuam mox traxit obedientiam. Mareſchallus autem Duras Aloſtum ad Tendram adortus capit cum omnibus appertinentiis, tertia ſcil. Flandriæ parte, 170. oppidis, duobus principatibus, variis dominiis & urbibus, Bruxellis 4. & 6. Mechliniâ ſitum milliaribus. Hinc Rex Compendium reverſus, inſperatò, cum omnium admiratione Atrebatum tranſiens, Inſulam Riſſel naturâ, arte & ſitu inter Gandavum, Antwerpiam, & Bruxellas difficilis ſane oppugnationis invadit, præſidio trium armatorum, & aliquot civium millium muni-

Cortracum.

Aloſtū.

Inſulam

munitam, & apertis cataractis aquis inundabilem; & tamen 13. Auguſti vallis caſtrenſibus patefactis, 21. ejuſdem menſis ex uno tormentorum ſuggeſtu 24. ingentibus muralibus tormentis urbem terribiliter flagellat & mœnia dejicit, urbanorumq; omnia præterquã 4. tormenta & cantherios diſrumpit: die altera foſſas ſuas caſtrenſes adeo promovent, ut 100. vix paſſibus ab exterioribus muri foſſis abeſſent, ideoque die 24. furioſo illas impetu, & magnã utrimq; cæde irruunt, & ad militares ſudes Piccardica & Aurelianenſis legiones fidem figunt; tandem 26. Aug. duas urbis ſemilunas terribiliter impetunt, & ingenti ſtrage roboris gallici exercitûs occupant; ultronea itaq; deditione ſe regis permittunt clementiæ; qui deducto Iprã præſidio 28. Aug. glorioſus urbem ingreſſus, Humierem præfectum ibidem conſtituit. Interea Comes Marſinus (ad Hiſpanos transfuga, quia tunc temporis, ſcil. anno 1660. Condeo adhærens generali excluſus erat amneſtiâ) & Princeps de Ligne collectis tumultuariè ſex Hiſpanorum millibus Gandavo Inſulenſibus ſuccurſuri contendunt, quibus 20. Aug. obviam procedentes Crequius, Lislebonne, & Bellefontius illos cædunt, & in fugam conjiciunt, ut vix elabi potuerint. His feliciter & glorioſè in Flandria peractis rex militem ad hyberna demiſit, & Crequium, Humierem, & Bellefontium ob præclara ſua bellica merita in Galliæ mareſchallos promovit, juſſitque rex ſubjectarum modò urbium & provinciarum populos ſuos aliquando futuros ſubditos humaniter clementerque tractari.

Hiſpani cæduntur.

Fuit Ludovicus etiam in nova **Francia felix**, ubi anni hujus initio Marchio de Tracy barbaros, Iroquois dictos, profligavit; & cùm Generalis la Barre in occidentali America 9. Maji intellexiſſet inſulam S. Chriſtophori ab Anglis in ſextam jam hebdomadam à præfecto equites S. Laurentii defenſam, ad extrema nunc redactam, claſſe 19. navium illuc velificatus, Anglos non exiguâ nece & captivitate repellit; quod tamen bellum mutua Bredæ 21. Julii concluſa pax compoſuit, reſtituendo Anglis, quæ ante hoc bellum in inſula S. Chriſtophori poſſederant; Angli econtra Gallis cederent in ſeptentrionali America provinciam Arcadiam, & quidquid flagrante bello utrimque occcupatum, ſine ulla exceptione cuique redderent.

Et Angli ad S. Chriſtophorum

PaxGallo-Anglica.

Hiſpaniæ anguſtiæ.

76. Hiſpania verò variis diſcordiarum & anguſtiarum fluctibus agitabatur, Grandes plerique æmulationis vento in reginam moderatricem ferebantur, quòd P. Nitardum confeſſarium ſuum ultra meritum ad ampliſſimas promoverit Regni dignitates & conſilia, cui etiam Joannes Auſtriacus adverſabatur: accedebant nunc etiam bellum Luſitanicum & gallicum, quodque deterius erat, deficiebat belli nervus pecunia, his anguſtiis preſſa regina, cùm illi hoc gallicum indiceretur bellum, territa, in lachrymas eſt reſoluta, conducensq; Regem Carolum filiolum ſuum ad intima ſtatuum conſilia, lamentabatur ille: *Innocens ego ſum, adjuvate me*, ut ſcribit *Nanus hiſt. venet. l.* 10. *pag.* 598. omnibus igitur modis pax à Ludovico Pariſiis per Comitem Santillanum eſt quæſita, ſed rejecta;

Illi à Gallis bellum indicitur.

ḉta; à Cæſare itaque, Romanoque imperio Ratisbonæ ſubſidium circulo Burgundico, tanquam imperii membro, debitum petierunt; ſed & illud fruſtraneum erat, auro præſertim hiſpanico deficiente, & Ludovico jam tum germanas Imperii Rom. provincias appetente, quarum modò aliquas ita enervaverat, & cohibuerat, ut ſe vix movere auderent; Alſatiam namque & Lotharingiam regni ſui ad rhenum antemurale modò poſſidebat; cis rhenum Briſacum & Philippopolim, occupatâ Theonisvillâ in ſua habebat poteſtate Moſellam & partem Luxemburgi, cum epiſcopatibus Metenſi, Tullenſi & Verdunenſi; reſtabat ultimum antemurale Belgium, quo capto, arctiſſimis regnum Germaniæ compedibus conſtringet; ut enim gallici paſſim auctores ſcribere non verentur, univerſam Germaniam eſſe Regi Galliæ hæreditariam. Imo inter alias ineptias Claudius Sorelus in *prærogativis Reg. Franciæ* probare conatur, quòd Imperator Rom. omnes quidem reges dignitate præcedat; hic verò Regi Galliæ cedere debeat. Sed redeamus unde diſceſſimus. Dum nullas Ludovicus pacis admitteret conditiones ab Hiſpanis propoſitas, æquas ſaltem Luſitanis bellum pariter atrox parantibus, offerunt pacis propoſitiones, quas nec hi quidem audire dignati ſunt; graviſſimè igitur Hiſpani ubique preſſi, præter auri penuriam exercitato etiam carebant belli archiſtratego: offenſus enim Joannes Auſtriacus longiùs ab aula, & ſtatûs conſiliis abſceſſerat, & Marchio Caracena hiſpanicarum hactenus copiarum generaliſſimus menſe Decembri obie-

Galliæ Reg. arrogantia

Mors Caracenæ.

tat

rat,quatuor ſuis filiabus quadringenta piſtoletorum millia, & trecenta imperialium millia, præter ingens argentum infectum & eſcarium relinquens, centum verò viginti millia imperialium caſtrenſia reſtantia ſibi debita Regi ceſſerunt. Pax demum Hiſpano-Anglica 3. Maji mutuò inita aliquid levaminis attulit Hiſpanis.

Et Alexandri P. VII. Supremum Romæ diem 12. Maji extremè inunctus obiit Alexander Pontifex hujus nominis ſeptimus, longo ægritudinum cruciatu ad extremum effœtæ valetudinis perductus, anno ætatis 69. pontificatûs 13. ſed ob non adæquatum principiis finem, diverſo à primis plauſibus famæ præconio elatus. **Ejus laus.** Vir quamdiu privatæ ſortis aleam luſit, omnigeni erga ſuos affectus victor, & nepotiſmi oſor, poſtmodum prodigalis fautor; ad Tractum Rheni Coloniæ Nuntius Apoſtolicus, inde ad pacis Monaſterio-Oſnabrugenſis tractatus ſedis apoſtolicæ legatus in omnibus ſuis prælaturis tam eximiæ fuit providentiæ, & in ſtatûs negotiis tam ſtudioſæ ſollicitudinis, ut omnibus optimum futurum polliceretur pontificem; Cardinalis factus inter pontificum exceſſus, & requiſitas ſuccedentis pontificis virtutes degebat medius, ut ait *Nanus lib.* 10. *p.* 600. ut ſacro ab omnibus principatu videretur digniſſimus; at dum trænis ſacri Imperii eſt adhibitus, non ita; eò quòd inutilibus poëſis ſtudiis ſe à neceſſariis imperii curis pateretur abduci, & intempeſtivis diſpendiis magnifica moliretur ædificia, & quòd iniquæ temporum ſorti mederi neglexiſſet; maximè autem, quòd nepotibus Cardinali & Mario Chiſiis tam

pro-

prodigaliter cum publicæ rei diſpendio providiſſet, atque ita non acceptus, nullâ tamen vitæ aut vitii maculâ infectus obiit: alii tamen ejuſdem doctrinam & magnifica ædificia tam reparata quàm noviter extructa apud *Imhofium in Genealog. fol.* 380. mirè deprædicant. Paulò ante vitæ ejus finem novos creavit Cardinales, Guidobaldum Com. de Thurn, archiepiſcopum Saliburgenſem, Ludovicum Vendomium Gallum, Aloyſium Moncadam Siculum, Joannem Delfinum Venetum Patriarcham Aquilejenſem, Carolum Roberti Romanum, Vitalinum Viſcontum Mediolanenſem, Julium Spinolam Genuenſem, Nuntium Viennenſem, & Innicum Caracciolum archiepiſcopum Neapolitanum. Cardinales creat.

Defuncto Alexandro ſacrum Cardinalium collegium cum ſuo decano, numero 62. peractâ de Spiritu S. miſsâ conclave ingreſſum, poſt prælectam bullam & præſtitum juramentum, 20. Junii ſuffectus eſt Cardinalis Julius Roſpiglioſus Piſtorienſis, vir annorum 70. qui congruum placidis ſuis moribus Clementis IX. nomen aſſumpſit, & ſtatim animum conciliandis Principum diſſidiis applicuit, deſtinato interim ingenti ære numerato 50. coronatorum millibus Venetorum reipublicæ pro Cretenſi à Turcis furioſè oppugnatæ defenſione, & aliquibus copiis, quas in promptu habere potuit. Clemens IX. fit Papa.

77. Continuato hucuſque non ſine utriuſque partis inſigni diſpendio, bello Anglo-Batavico, pacem utrimque tandem ſuſpirabant omnes: Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes. *Virgil.* In dictum igitur pacificationis locum

Bre-

Bredam Regum mediatorum legati Gallici, Suecici & Danici cum paciſcentibus Anglis & Batavis menſe Junio convenientes, præliminaribus modò abſolutis laborabant & frequentabant ſeſſiones ſuas ſedulò: ſed dum Angli varias tricarum ſpinas injicerent, Batavorum architalaſſus Ruyter valida octoginta navium claſſe in altum Junii vigeſimâ primâ provolat, & ſextâ pòſt die Londino appropinquans, Charneſſe armatâ capit manu, ingentemque quadringentorum millium prædam diverſarum materiarum inde tollit; Angli quidem Batavicam claſſem adventantem animadvertebant, ſed cum nullus effugii daretur locus, ſexdecim circiter naves Tameſi immergendo aditum obſtruxerunt; altero tamen die multas Batavi Anglorum naves flammis donarunt, excurſionibusque in aliquot litora Roſſæ, Chattæ &c. factis latè regionem incendiis & rapinis funeſtarunt, famoſa Anglis vindictâ anni præteriti damna rependentes: nam prætoriam Carolum Regem, & aliam militarem navem 50. bellicis tormentis utramque inſtructam interceperunt: capitaneus Brackel bellicam navem Jonathan capit: navis S. Matthias 52. tormentorum incenditur, Carolus quintus & aliæ quatuor in aërem evibrantur. Vice-Admiralis Banckert idem circa Londinum facturus, navium immerſarum impedimento eſt prohibitus. Admiralis autem de Ghent undecim navibus ex Virginia, ſeu nova Anglia cum quatuor militaribus navibus appellentibus potitus, felix in ſuam reduxit patriam ſummo Batavorum gaudio, Anglorum diſpendio. Cœpti tamen

Ruyter & Gent Anglos cædunt.

men à regibus Galliæ Ludovico, & Friderico Daniæ tractatus pacem diſſidentibus attulêre, quæ Bredæ pridie Kalend. Auguſti pacta eſt iis conditionibus, ut quæ alterutra pars flagrante bello occupaſſet, ita ipſi jus eſſet retinendi. Hanc etiam 16. menſis Auguſti ſubſecuta eſt pax Sueco-Batavica, à legato Batavico Comite de Dhona, & Suecico Haraldo Appelbaum Hagæ Comitis compoſita, concluſa & ſubſcripta. **Pax Sueco-Batavica.**

In Hungaria factiones & clandeſtinæ inſidiæ invaleſcentes, dum paſſim incertis adhuc auctoribus ſpargerentur, earum metu Cæſaris mandato regni palatinus Comes Weſſelinus inſtantia elapſo ſecundum regni conſuetudinem & conſtitutiones triennio comitia Presburgi indixit, quibus rex ipſe præſidens indigenatum querelis mederi volebat & oneribus, ſimulque reginam coronari; magnates verò & regni ordines omninò comparere recuſant, niſi illis ablata loca, & præſertim Lutheranis prius templa reſtituerentur. Dilatis ea de cauſa comitiis moritur Palatinus Weſſelinus, cujus officio Archiepiſcopus Strigonienſis uſque ad novi electionem fungebatur, ejuſdemque inter plures competitores primarius & potentior quaſi regulus erat Franciſcus Nadasdus regni judex, & Petrus Serinius Croatiæ Banus Carlſtadienſem procabatur generalatum; utrique à Cæſare denegatum, ne inquietum in ſe regnum majoribus factionum periculis exponeret; ſed generalatum Joanni Joſepho Comiti Herberſteinio equiti Melitenſi contulit, & ſic odii ſemen, quod hi Comites in Cæſarem conceperant, maturavit. Magnates **Weſſelini palat. obitus.**

gnates

gnates interea Neoſolii ſua procudebant gravamina, & per aliquot Viennam ablegatos proceres (comitia namque in commodius translata ſunt tempus) inſimulabant Sporckium Zathmariæ præfectum non præſidiariis, ſed ſibi militares applicare collectas: germano milite Hungariam non evacuari, ſed copioſiore conta iteratam ſanctè ſtipulationem intolerabili ſervitutis jugo opprimi, & contemni regnicolas: addebant jura & privilegia regni violari, regio licet juramento in coronatione confirmata; fundamentales regni leges everti: electionis imminui libertatém, palatinatum morte Comitis Weſſelini vacantem diutiùs ultra morem differri &c. Quibus ſi non opportuna adhiberentur remedia, nolle regni proceres comitia, neque poſtulatam reginæ coronationem admittere. Quare Cæſar ſuarum demum eccleſiarum reditus Proteſtantibus indulſit, & ſi quomodo poſſet reliquas etiam querelas tollere, binos Eperieſum & Neoſolium mittit commiſſarios, Comitem Rothalium & Petrum Serinium, lupum ſub vulpina foventem. Verum nihil ad animorum ibidem factum eſt concordiam; ſed clandeſtino Serinii inſtinctu in maximas cuncta erupêre diſcordias & factiones, urgentibus maximè Proteſtantibus, & his etiam [quo nihil temerarius & abſurdius] conſentientibus Romano-Catholicis, templorum & fanorum hæreticorum reſtitutionem, quam ut ſimultaneè vi à Cæſare extorquerent, multa Turcarum & Tartarorum agmina ſub dolo & ſpecie in Poloniam excurrendi latebant in Tranſilvania: & cùm ipſa ſenſim

ſim Ungariæ viſcera penetrare viderentur, præfectus Commorienſis dolum dolo elidens, per omnia circumquaque oppida & pagos commeatum, omniaque in proximum Cæſareanorum militum adventum parari, militemque nuper in limitaneas urbes & munitiones, metu pacis, ob frequentes Heiducorum in Turciam excurſiones infringendæ numeroſius diſpoſitum conglomerari jubet: quo audito Turcæ fugâ properè ſunt dilapſi.

Annus 1668.

Hungari autem tumultuoſi coacto rurſus Semlini conventiculo, prioribus per deputatos Viennæ importunius inſtantes querelis, odioſam germani militis ſervitutem turcicâ intolerabiliorem, eorundemque eliminationem urgebant, ſæpenumero ſibi adſtipulatam. Cæſaris clementiam illis quidpiam indulgendi divertit aliò evidens ratio & argumentum Patris Emmerici Soc. Jeſu Cæſaris Confeſſarii perſuadentis, omnes hactenus Auſtriaci principes talibus urbes & munitiones induiſſe præſidiariis, qui & loci & regni conducerent ſecuritati; in his verò invaleſcentibus ubique Ungarorum factionibus & tumultibus, quis prudens regni præſidia & munimenta fluctuanti, periculoſæque eorum committeret fidei aut defenſioni? conſtans vero Germanorum fidelitas in cunctis belli caſibus & probata, & laudata hactenus fuit. An non vidimus, & heu! dolemus, pudendâ hactenus Ungarorum ignaviâ captum à Barbaris Varadinum? quàm rari & pauci Ungari in poſtremo

Ungarorum querelæ

Germanorum præ Ungaris fidelitas.

ad D. Gothardi fanum prælio non ad patriæ defenſionem, ſed proditionem veluti comparuerunt, univerſumque Hungariæ regnum Saracenorum ceſſiſſet poteſtati ſubjugatum, niſi generoſa conſtansque Germanorum fortitudo barbarorum furorem rejeciſſet, & glorioſè adjuvantibus Gallis triumphâſſet. Hungari his dictis confuſi, & ſuâ omnino ſpe fruſtrati, irâ & furore perciti, in Germanorum exterminium mortemque conjurantes, illorum quadraginta legionis Sporckianæ haud multò pòſt interemerunt, non tamen inulti, nec pauciores ex Ungaris interfecti. Idem anno ſequenti in Tranſylvania peregerunt Proteſtantes. vide num. 79.

Viennæ ſociale in Orientem inſtitutum eſt commercium, quo germanæ merces danubio Conſtantinopolim, inde in Perſiam transvectæ, inde crudum has in partes ſericum &c. revehere-tur. Ibidem IV. Kalend. Octobris ſummâ aulæ Cæſareæ lætitiâ primogenitum enititur Margarita Auguſta, cui Ferdinandi Wenceslai, Leopoldi, Joſephi, Michaëlis, Elzearii nomina ſunt impoſita, ut ſub tot Sanctorum patrocinio in ſpem Auguſtiſſimæ Domûs adoleſceret. Pro votorum menſura gratiæ Deo actæ, & generis omnis plauſibus ortus celebratus eſt, nullo non ſucceſſionem & prolem Cæſari adprecante, cujus defectu tot ſtatus & regna maximis imminerent periculis.

Cæſari naſcitur filius.

78. Singulari hoc anno fatorum peripheriâ Alphonſus VI. Luſitaniæ Rex per mentis inopiam regno & uxori ineptus, utrumque Petro fratri concedere eſt coactus, ut mater ejus priori

Petrus depoſito Alphonſo fit Rex Luſitan.

anno defunctа & ſæpius deſideraverat, & ſæpius tentaverat; ſed primarius aulæ miniſter Comes Caſtel Melior, à cujus ore & conſilio rex totus pendebat, omni quâ potuit arte impedivit, regiamque aulam continuis vexavit diſturbiis, ut Petrus frater aulâ excederet, & regina ob conjugis impotentiam & injurias in monaſterium effugeret; capto igitur clandeſtinè cum regni proceribus, & militiæ Præfecto Comite Friderico Schombergo conſilio, Caſtel-Melior cum ſtatûs Secretario Antonio Souſa de Macedo aulâ ejectus, mutato habitu fugit in Galliam & Angliam. Tum Petrus fratrem Alphonſum domi in ipſa aula recluſit, convocatosque regni proceres de hoc rerum ſtatu conſultans, omnes Alphonſum regiminis incapacem declarant, quòd neceſſariis ingenii dotibus careret, ideoque ſceptrum in Petrum fratrem ſub regentis non regis titulo transferunt; ſolutoque ab Eccleſiaſticis matrimonio, cui impotens à natura publicè jactabatur (regina enim ea de cauſa repetita dote maritali in Galliam redire meditabatur) eandem Petro deſponſandam conſulunt, & perſuadent: factis igitur ex parte Infantis Petri per Marchionem de Nizza, & Rodriquez de Meneſes, & ex parte Duciſſæ de Aumale per Ducem de Cadaval, & Marchionem de Marialve ſponſaliis, obtentâque deſuper à legato à latere apoſtolicâ diſpenſatione, ab Epiſcopo Targuenſi 2. Aprilis ambo ſunt deſponſati & benedicti, quibus Alphonſus adhuc recluſus omnia congratulatus eſt felicia, ſuam faſſus à regina ſibi objectam impotentiam, juſtam thori

ſeparationem à tribus Doctoribus, duobus Dominicanis & Jeſuita ſine ulla appellatione declaratam admiſit; cujus diuturna in regno permanſio quòd non expediret, menſe Majo ex Luſitania in delitioſam Terceram Inſulam ex Azoribus unam eſt deportatus, inde etiam poſtea in Luſitaniam ad arcem Cintram aliquot Ulyſſibonâ milliaribus diſſitam reductus, & cautè cuſtoditus, poſt inutilis vitæ curſum inglorius obiit anno 1683. Paulò ante hanc revolutionem inter Hiſpanos & Luſitanos inita pax eſt, mediatore Anglo Comite Sandwicho, reſtitutis utrimque iis, quæ ab anno 1640. uſque huc terrâ marique ſunt ablata, præterquam in Africa Ceuta Hiſpanis nunc cederet, Luſitanis olim propria; Hiſpani viciſſim Domum & familiam Braganzam legitimum Luſitanæ coronæ poſſeſſorem & Regem agnoſcerent.

Pax Anglo-Luſitana.

Mors Ferdinandi Auſtriaci.

Vigeſima ſexta Januarii maximo afflixit mœrore Cæſaris aulam Ferdinandi Wenceslai, è Leopoldo & Margarita Auguſtis nuper nati deceſſus, qui tenellum principem aliquot jam menſes natum præmaturo funere ſuſtulit, ſpemque ex eo conceptam, ardentibusque votis lactatam acerbo luctu funeſtavit. Ibidem in Februario fortuitò, vel ut alii, voluntariè, per corruptum fabrum arcuarium nova Cæſarei palatii pars maxima, ante octennium extructa, & vix abſoluta conflagravit incendio, eaque præſertim, quæ gynæceum Auguſtiſſimæ Eleonoræ viduæ erat, adeoque vix alienâ ſupremi cujuſdam vigiliarum præfecti togâ cooperta cum duabus archiduciſſis ægrè evaſit, cimelia & pretioſa

Incendium aulæ cæſareæ

tioſa quædam ignis quidem furori ſunt ſubtracta; major tamen eorum pars, & ſplendidiſſimæ aulæ mobilia conſumpta, damno quingentorum millium florenorum. Lenita tamen eſt aulæ & ampliſſimæ ſupellectilis jactura inſigni miraculo, quo S. Crucis Dominicæ particula, hierotheca aureâ igne conſumptâ, vivos inter carbones omnium admiratione 5. pòſt die inventa eſt illæſa. Quod idem D. Alberto Magno Epiſcopo Ratisbonenſi Ord. Prædic. Coloniæ in monaſterio S. Crucis ejuſd. Ord. contigiſſe tradit Supplementum *Floris Sanct. Ribadeneiræ* 20. *Novemb.* qui particulam S. Crucis à S. Ludovico ſibi donatam probaturus, igni impoſuit, & illæſa reſiliit; proinde alii aſſerunt, omnes in urbe genuinas & veras Crucis Chriſti particulas per D. Albertum tunc collectas igne probatas eſſe ſubnigras, ut in variis vidi Coloniæ Eccleſiis, reliquas adulterinas igne conſumptas. In hujus portenti à Viennenſi Epiſcopo per formatum adhibitis teſtibus proceſſum examinati & confirmati memoriam eadem Auguſta Ferdinandi III. relicta vidua adinſtar equeſtrium ordinum nobilium ſocietatem ſeu Ordinem *Stellatæ Crucis* ſub tutela Mariæ & Joſeph inter illuſtriſſimas domicellas inſtituit, à Clemente IX. Pontifice, & Leopoldo Cæſare approbatum & confirmatum, cujus ordinis ſignum ovale eſt Crux lignea in albo campo, & in quatuor crucis angulis quatuor bicipites aquilæ, in extremis verò crucis partibus quatuor eminent ſtellæ, ad modum ſigni cœleſtis, à novi orbis inventore Chriſtophoro Columbo olim viſi & inventi, & italicè

Crux ab igne illæſa.

Ordo S. Crucis inſtitutus.

licè Crociera nuncupati (unde domicellæ nominantur Crociere) cum inſcriptione : *Salus & Gloria*, in ſiniſtro pectoris latere ex nigra faſcia geſtatur : cujus præfecta ex Auſtriaca ſemper domo eligitur , ſociarumque pietati præcipuè incumbit crucem venerari ; ideoque quotidie officium S. Crucis, & roſarium 5. vulnerum Chriſti perſolvunt, & in die paraſceve quotannis in templo Mariæ-Hitzingen haud procul Vienna convenientes devotioni incumbunt ; cujus quotannis anniverſarium 6. Februarii celebratur, & binis vicibus 3. die Maji, ac 14. Septemb. novæ in ordinem domicellæ admittuntur precantes : Ave ſancta Crux, ſanguine plena , Dominus tecum , benedicta tu inter arbores, & benedictus fructus, qui in te pependit , Dominus meus Jeſus Chriſtus. Sancta Crux ſis meum refugium nunc , & in hora mortis meæ , Amen. Quam Salvatoris noſtri Jeſu Crucem , ne dedecoretur, leges civiles *Rubrica* , *ſeu tit. C. lib.* 1. *tit.* 8. prohibent humi vel in ſilice , vel in marmore aut ſculpere, aut pingere ; hanc , inquam veram Crucis particulam ignis ſervavit illæſam, Pauli Apoſtoli gloriam & ſapientiam , Chriſtianorum ſpem , & Romanorum victoriam. *Caſſ. in pſal.* 4.

Nadasdi ſcelera. 79. Prædictum verò aulæ Cæſareæ incendium efferа Franciſci Nadasdi, viri quidem literati & ungarici Crœſi , ſed turbulenti & ambitioſi cauſavit iracundia, quâ in Cæſarem , palatinatum ſibi nuper denegantem , & Paulo Eſterhaſio collatum furens, per fabrum arcuarium, ut dixi, auro corruptum incendit, imo ignis vehementia

mentia alteram etiam non ſolùm palatii partem, ſed & civitatem ipſam in cineres redegiſſet, niſi interpoſita turris, cujus januæ & feneſtræ madidis obductæ bovinis pellibus erant, impedivíſſet, ideoque ob habitationis defectum & incapacitatem aulæ reſidentia extra urbem Ebersdorffium & Neuſtadium transferri fuit neceſſarium, quâ uſus occaſione Nadaſdus Cæſarem & Ducem Lotharingiæ cum tota ſua aula binis vicibus 5. & 25. Aprilis ad regales epulas in vicina ſua arce Pottendorff invitavit, & intoxicatâ columbinâ cupediâ Cæſarem tollere meditabatur, niſi ſuppoſitâ ſanâ (quâ Cæſar veſci delectabatur) ſua impediviſſet Nadasdi uxor, ab eodem ideo veneno necata; vel ut alii ſcribunt, in decimo puerperio perempta; coquum etiam, ſeu cupediarium, eodem adhuc die, ne proderet, ſuâmet manu interfecit. O ira furibunda fera! dicit *Chryſoſtomus*, ferreos habens ungues & fauces igneo veneno plenas. Ira quaſi fulmen in animam irruit, ſervientemque ſibi reddit amentem. Iratus nonniſi crimina loquitur, & merum evomit venenum, dæmone plenus. Unde ait *Seneca*: Nulla peſtis humano generi pluris ſtetit quàm ira, peſſimus rixarum ignis, principium bellorum, plenitudo calamitatum, dæmon peſſimus, & ut *Job ait cap.* 5. Virum ſtultum interficit iracundia. Nadaſdus etiam hoc fruſtratus ſucceſſu, cum Petro Serino Cæſari itidem offenſo, quòd ſpe Generalatûs Carlſtadienſis dejectus, cum ſocero ſuo Frangipano, aliisque plurimis Ungariæ magnatibus conjuravit in Cæſarem aut necandum, aut throno dejiciendum,

regnumque Ungariæ cum irreparabili totius Chriſtianitatis, & Imperii Rom. detrimento, ſine tamen Romano - Catholicæ religionis [ut ajebant] diſpendio, turcicæ protectioni ſubjiciendum, vide num. 86. Phy pudor! ſed quid mirum, Ungari gens inquieta & inconſtans, libertatis ſuæ tenaciſſima dicam an inimiciſſima, & factionibus ad exitioſam ſui ipſius everſionem & vaſtitatem addicta: uti variis infecta hæreſibus, Deo, ſic & regibus ſuis maximè fuit perfida & perduellis, uti pluribus auctor quidam à tempore & regimine S. Stephani primi Ungariæ Regis uſque ad Leopoldum I. patheticè demonſtrat; cujus vitæ heu quoties! clam & palam ſunt crudeliſſimè inſidiati? nam cùm Clemens X. celeberrimum Chimicum Franciſcum Joſephum Borrhum, ſive Burrum propter erroneam ſuam Quietiſmi doctrinam 28. Aprilis in Moravia à Cæſare capi, & Romam perduci juſſiſſet, Leopoldus Viennæ viro loqui deſiderans, veſpere inter candelarum lumina accerſitus, inter alloquium Borrhus ſentiens olensque veneni odorem, rogat Cæſarem cubiculo exire, ſibique conſulere, inveſtigatusque reperit candelas cereas intoxicatas venenatum mortiferumque odorem ſpargere: quare mox Cæſari ſalubre præparat antidotum, & vitæ præſervativum. Candelarum auctor reperiri non poterat; ſuſpicio in perfidos cadebat Ungaros, Cæſareæ tunc vitæ inſidiatores. Borrho autem Cæſar pro conſervatione vitæ ſuæ apud Pontificem honeſtam Romæ in caſtro S. Angeli impetravit detentionem, & liberam ex- & redeundi licentiam, vitæque

Borrhus captus conſervat Leopoldo vitam.

tæque ejus, quamvis multorum ſcelerum noxiæ fuit parcitum; alii vero ſcribunt ad perpetuos fuiſſe caceres condemnatum. Anno tamen 1672. ſolemni execratione ſtolida ſua ejuravit deliria. Ejurat hæreſim.

Clemẽs IX. ægrotat. Romæ 12. Januarii Clemens IX. pontifex ad primas veſperas octavæ epiphaniæ in capellà procedens, ex capitis vertigine in proximum ceremoniarum magiſtrum Carcaſcum labeſcens à comitantibus duobus Cardinalibus d'Eſte & Maldalchino ſuſtentatus, ab hoc deſperatus in manus Domini animam ejus commendavit; accedens autem ejus frater Camillus Roſpiglioſus, & pretioſo illum perungens balſamo reſpiravit, & famam defuncti modò pontificis extinxit; viribus reſtitutus & confirmatus quotidie manè omnes & ſingulas ſupplicas omnium & maximè miſerabilium perſonarum excipiebat, earumque cauſas reſolute decidebat & expediebat; officiales autem longius eas differentes acriter carpebat. Laus ejus. Candiæ à Turcis obſeſſæ oppugnatio dici vix poteſt, quantum illum ſollicitaverit, in cujus ſubſidium tres ſuppreſſit ordines, S. Georgii in Alga, Jeſuatorum, in urbe Senenſi à Jóanne Columbino anno 1356. inſtitutorum: & Eremitarum S. Hieronymi Congregationis Feſulanæ de S. Maria delle gratie, Feſulis Anno 1405. inchoatæ à Redone Comite, & à Gaultero anno 1425. reſtitutæ, quorum reditus pretio millionis ducatorum brevi venditos hac Venetis donavit conditione, ut legem temporalia bona eccleſiaſticis & religioſis vendere prohibentem (uti Carolus VI. Imperator anno circiter Tres Ordines ſupprimit. Religioſis bona temporalia ne-

queunt vendi. ter 1720. juſſit temporalia bona intra certos annos religioſis vendita refuſo pretio extradere) tollerent, aut in gratiarum actionem ſaltem ſuſpenderent, quod Veneti recuſantes hâc maluêrunt carere donatione, quàm ſeculares depauperare familias, & religioſa ditare monaſteria, quæ bona ſemel poſſeſſa ſecularibus alienare lege canonicâ prohibentur; ideo pontifex reliquos eorundem ordinum in aliis provinciis proventus reparationi eccleſiæ S. Mariæ Majoris Romæ juſſit applicari, & alii à ſucceſſoribus pontificibus equeſtris ordinis Commendis ſunt attributi, nec ſic tamen afflictis Cretarum rebus ſatis proviſum, dum hoc anno unico in habendis militum delectibus, in commeatuum, & ceterarum munitionum apparatu major pecuniæ ſumma ſit numerata. Idem hic pontifex duca- Caſtrum Ducatus tum Caſtrenſem olim Parmenſi annexum, ſed ab Urbano VIII. anno 1642. ad Cameram apoſtolicam reductum, noluit ad preces legati gallici extradere; & ſi armorum adigeretur potentiâ, ſolo omnipotentis Chriſti crucifixo ſe defenſurum; laudabilis ſane hujus generoſi Principi magnanimitas.

Ludovicus Tornaci parlamentũ inſtituit. 80. Ludovicus interea Rex coram omnibus earum civitatum deputatis, quas recens in Flandria occupaverat, Inſulæ, Tornaci, Duaci, Athi, Aldenardæ ſupremum dicaſterium ſeu parlamentum omnium cauſarum & appellationum tam in civilibus quam criminalibus Tornaci inſtituit, prætereaque majori robore fortificavit, & quidem Inſulam, Tornacum & Duacum internis caſtellis, ſeu citadellis egregiè munivit. Hi-

Hiſpani quidem in locum Marchionis Caſtel-Rodrigo Gubernatoris novum Petrum de Velaſco Caſtiliæ Conneſtabulum, ſed cum exiguo militari ſubſidio in Belgio ſuſtituunt; ſed ob auri cupiditatem minus gratum. Batavi autem potentem nimiùm ſibi Gallum vicinum metuentes, perſuadent Angliæ Regi, ut unito ſecum ſtudio Gallos & Hiſpanos ad pacis adigerent tractatum, & cogerent ad præſcriptas pacis conditiones ſine ullo prætextu, exceptione aut diſpenſatione partem recuſantem. Factô igitur Hagæ Comitis 23. Januarii clandeſtino inter Wilhelmum Temple Anglorum legatum, & ſeptem collegii Batavici ſeu provinciarum deputatos mutuæ defenſionis fœdere, pacis ſe mediatores offerunt, intelligentes præſertim Ludovicum pacem amplexurum, modò Hiſpani alternativam admiſerint, vel retinendi & poſſidendi omnes urbes, arces & munimenta cum ſuis dependentiis præterito anno 1667. jure belli occupata, vel horum æquivalens extradendo, & superiora reſtituendo; ſicque armorum utrimque induciæ uſque ad ultimum hujus anni diem menſis Maji præciperentur: cui etiam fœderi Rex Sueciæ per legatum Comitem de Dona acceſſit: & hoc triplex defenſivum coactivum fœdus quinq; dierum ſpatio præter Batavorum morem (quod omnium priùs provinciarum conſenſu aliàs approbati ſub pœna capitis debebat) 26. Januarii pactum & ſubſcriptum fuit, ut catholico Regi ferrent ſuppetias. Excivit Anglos pridem quidem Batavis offenſos ſola tot victoriarum, quibus Rex Ludovicus florebat, æmulatio; Suecos ad

Triplex Fœdus Anglo Sueco-batavicum.

ad fœdus traxit vis ingens pecuniæ, quam Batavi de Belgii caſu ſolliciti profuderunt, ut præſens à ſe periculum removerent. Hiſpanis verò moras longius nectentibus, Ludovicus Rex liberum Burgundiæ comitatum inſperatò per Condæum, à marchione Louvois primarii aulæ miniſtri Regi reconciliatum, aggreditur, & Biſontium ſeu Chryſopolim quarto idus Februarii medias inter nives obſidione 25. millium exercitu cingit; imperialem ſe licet, ideoque liberam proteſtaretur eſſe civitatem, qualem nunc ex pactis Weſtphalicis deſiiſſe Galli reponebant, ideoque ultroneè ſe regis tradidit poteſtati, bellico apparatu, commeatu, omnibusque ad defenſionem neceſſariis vacua & deſtituta. Dum hæc Biſontii fierent, Dux Luxemburgicus robuſtum, & duplici arce munitum Salins ſive Salinum, à ſalinis dictum, ſine ulla oppoſitione cum arcibus S. Amour, Rochefort &c. occupat: Rex ipſe Burgundiæ metropolim Dolam ad Dubim, Græum ad Sangonam fl. S. Annam, invincibilem in rupe arcem Joux, ceteraque omnia Comitatûs loca & munimenta, perfunctoriâ defenſione propugnata (ut populus illuderetur) intra octidui ſpatium recipit in deditionem, totâ obſtupeſcente Europâ, non armorum potentiâ, ſed perfidâ gubernatoris marchionis d'Hienne auro corrupti proditione, optima humani ſanguinis parcendi medela, qui idcirco etiam poſt generalem provinciæ ſeu comitatus gubernatorem Condæum, à Rege vice gubernator eſt ſubſtitutus, rexque impoſito Biſantiæ caſtello ſeu capiſtro, Dolæ mœnia jubet ever-

Margin notes: Rex Burgundiæ comitat. occupat. — Proditione gubern. d'Hienne.

evertere, civibus, ut ajebat, minus utilia, ſibi autem nocitura. Felici huic armorum ſucceſſui ut aliquod ſaltem objiceretur repagulum, Rom. Imperii Principes Electores præſertim Moguntinus, Saxo, & Brandenburgicus miſſis ſuis Pariſios legatis Schonbornio & Gersdorffio petierunt inducias, quos Rex ſtans, & detecto capite benignè excepit, & Aquisgranum ad determinatum induciarum locum remiſit; Angli namque & Batavi ſine ulla temporis mora Bruxellis apud Belgii Gubernatorem eò rem promoverant, ut Hiſpaniæ Rex & Regina & in Alternativam, & in locum conſentirent. Convenientibus igitur menſe Martio & Aprili Aquisgrani Legatis Apoſtolico Auguſtino Franciotto, archiepiſcopo Trabiſondano, Gallo Carolo Colberto, Hiſpano Joanne Baptiſta de Bergheick, Anglo Wilhelmo Temple, Moguntino Schonbornio, Colonienſi Franciſco Fürſtenbergio epiſcopo Argentienſi, Batavo Conrado Beuningeno, & Monaſterienſi Smiſing, hi pacis tractatus 2. Menſis Maji his ſanciti ſunt pactis, ut Ludovicus reſtituto Hiſpanis Burgundiæ Comitatu nuper occupato retineat ea omnia, quæ in Belgio cœperat: Carloregium, Binchium, Æthum, Duacum, cum fortalitio Scarpe, Tornacum, Audenardam, Inſulam, Armentierem, Cortracum, Montes Hannoniæ, Winoxbergam & Furnum cum omnibus præfecturis, dependentiis, Caſtellaneis, ſpiritualibus & ſæcularibus prærogativis & juribus, quibus omnibus & ſingulis Rex Hiſpaniæ renunciat, hoc tamen

Pax Aquiſgranenſ. Gallo-Hiſpana

men pacis tractatu utraque Corona neutiquam pactis renuntiat Pyrenæis, &c.

Fœdus triplex renovatur.

His feliciter peractis tota plaudebat Batavia, & cuſis variis ambitioſè numiſmatibus ambitioſo inſultabant Ludovico, graviter ob hoc offenſo, cujus potentiam ut arctius continerent, & pacis Aquisgranenſis obſervantia illum à Belgii impoſterum invaſione prohiberet, triplex ſuum, pro mutua defenſione fœdus menſe majo ſex rurſum punctis renovarunt & confirmarunt, ut Anglia decem millia peditum & mille equites, ac quadraginta navium claſſem, Suecia 12000. peditum & 4000. equitum & Hollandia 10000. peditum, & 2000. equitum cum totidem 40. navium claſſe in mutuam convenirent defenſionem. Hocque fœdus Rex Angliæ ſacrum & divinum vocitabat: *Funiculus ſiquidem triplex difficile rumpitur. Eccle.* 4. 12. Qui multa iniquiſſima ambitioſiſſimi Ludovici Regis bella diſſolviſſet, ſi inviolabilis, ut ſperabatur, permanſiſſet; ſed fuit Rex Angliæ primus, qui à miniſterio ſuo gallicis nummis & ſponſionibus corrupto ſeductus, temerè reſilivit: Ludovicus autem pacem conceſſiſſe videri voluit Clementis Pontificis officiis, qui illam enixis precibus & ſuaſionibus paternè procurabat, cujus etiam ſuaſu Rex pyramidis everſioni aſſentitur, quæ aliquot jam annis Romæ ſteterat, oſtentabatque inſigni vindictâ proſcriptam ab Apoſtolicæ Sedis militia gentem Corſicanam, quæ gallico aliquando Oratori Crequio inſultarat. *Vid. n.* 39. Viciſſim permiſit Pontifex columnam & crucem ab area D. Antonii

Pyramis Corſica Romæ dejecta, & columna Henrici IV.

tonii templo vicina revelli, quam Clemens VIII. ob memoriam Henrici IV. Galliæ Regis ad fidem catholicam converſi ſtatuerat, quæque ignominiam quandam Gallorum genti videbatur inurere, cujus Rex (qui eccleſiæ catholicæ filii primogeniti titulo gloriatur) hæreſis aliquando labe fuerit infectus.

Nomen tandem religioni catholicæ dedit Henricus Turre-Alvernæ, vulgò Mareſchallus Turennius, ubique ad eam uſque diem ſui nominis gloria, ob ſummam rei militaris peritiam conſpicuus, ſed ob ejuratam Calvinianorum hæreſim futurus deinceps illuſtrior. Hic à multis tum Oratorii ordinis patribus, tum à P. Maſcarone Soc. Jeſu viro facundo & grato tentatus, ut errores ſectæ deponeret, ab Abbate tandem Alibretino, ſuo ex fratre nèpote eruditiſſimo ſingulariter edoctus de omnibus fidei controverſiæ articulis, omnibusque quâ pollebat vi ingenii penſatis, publicè Romano-Catholicam fidem eſt profeſſus, ſummâ totius regni, & maximè Ludovici regis gratulatione & applauſu, quippe qui in omnium veneratione & affectu verſaretur; & maximo Calviniſtarum dolore, qui ejus apud Regem patrocinio fruebantur; jam enim Rex priori anno 1666. declaverat Cameram de l'Edict Pariſiis abrogandam, quam pro regni tunc tranquillitate Henricus IV. anno 1598. in Aprili Nanneti ediderat, & Ludovici XIV. mater 1643. 8. Julii, & Ludovicus ipſe 1651. 21. Maji in Calviniſtarum favorem confirmaverant, omnino tollendam, & ex ſolis impoſterum Romano-Catholi- Turenii converſio. Camera de l'edict. tollitur.

cis

ciſ erigendam, quæ antehac à 12. Catholicis & 12. Reformatis judicibus inſtituebatur, quo ſectæ ſuæ metuebant non inaniter excidium.

Mors Gonzagæ. Secunda menſis Auguſti obiit Princeps Hannibal Gonzaga, filius Ferdinandi Gonzagæ Bozzoli minimus, dignitate in aula Cæſarea maximus; & quidem ex vulnere (quorum undecim in ſuo gerebat pectore, fortitudinis & generoſitatis teſtes) in pugna accepto, & nunquam ſanato, ſupremus Cæſaris in bello legatus, conſilii aulo-bellici præſes, cui Raymundus Montecuculus ſucceſſit. 31. Majii ſupremum quoque diem clauſit Guidobaldus Comes de Thaun, S. R. E. Cardinalis, inſignis vir qualitatis, principalis collegii Ratisponenſis Cæſaris commiſſarius, & ibidem epiſcopus, archiepiſcopus etiam Salisburgenſis, in hujus locum electus Maximilianus Rudol. Comes de Kienburg epiſcopus Seckavienſis, Ratisponenſem Albertus Bavarus, epiſcopus Friſingenſis, & in principalem Commiſſarium David Comes de Weiſſenwolff.

Montecuculus. Com. Thun. epiſ. Salisburgenſ.

81. Inſigni victoriâ ſibi nomen peperit ſeptimâ Martii Laurentius Cornarus, claſſis Venetæ præfectus, hic viæ hoſtibus præcludendæ, qua caſtris turcicis Cretam obſidentibus ſuppetiæ & commeatus adventabant, erat intentus; ſupremus econtra Vezirius advertens multum roboris & ſubſidii ex vicina Cretæ duorum portuum inſula Scandia provenire, ubi defatigati & vulnerati deportabantur milites, & dulces aquæ reportabantur; illuc Duracum Bejum

Cornarii Veneti Victoria de Turcis.

gra-

grandis famæ piratam cum duodecim 2000. militum triremibus ad expugnandum deſtinat, exiſtimans cum conſuetis ſeptem tantum triremibus portui & aquarum ſcaturigini Cornarum invigilare; hic autem hoſtis conſilium certò exploratus in portu Fodellæ cum viginti triremibus ad generoſam ſe præparans defenſionem, eum noctu convenit; ſed tanto aggreſſus impetu & furore, ut prætoriana ejus navis à tribus Turcarum triremibus invaſa cùm vix ſe inde expedivisſet, ipſum Duracum jamjam Nicòlai Poloni triremem inſilientem tanto cum ſuis ſelecti roboris militibus impetu irruit, prælatâ accenſarum tædarum multitudine, quas etiam pice & ſulphure liniri, & vibrari in hoſtem novo quaſi incendii genere terrefactum vibrari juſſerat, ut Duracus inter reſiſtentes cum majori militum parte interemptus, Veneto omnia conceſſerit, qui quinque ex Turcarum triremibus cepêre, aliis ſubmerſis, & aliis miſerè afflictis fugâ ſublatis; quo tempore mille Chriſtiani barbarorum vinculis erepti, & libertate ſunt donati, eorum vice tractis inſervitutem omnibus Turcis numero 400. inter quos quinque Begi, qui in victoris venêre poteſtatem; quanquam & Venetorum 200. cæſi & 300. ſint vulnerati.

Pari fiduciâ & ſucceſſu ſeſe paulò poſt egregiè tutatæ ſunt 4. Melitenſes naves bellicæ, contra ſupremum turcicæ claſſis præfectum in inſula exigui nominis prope Paron, ubi illæ vela Cretam facturæ morabantur; inſeſſæ enim à 40. triremibus turcicis non ſolùm portum intortis rudentibus, & obtruſis minoribus navigiis ita firma- Et Melitenſium

firmarunt, ut in illum irrumpere nullo unquam conatu barbari potuerunt, ſed epibátarum tria millia, qui juſſu præfecti factâ in proximum litus exſcenſione illos impetebant, ita repreſſere, ut omnes poſt acris prælii inutile tentamen re infectâ abicedere cogerentur. Interea temporis improbo labore, & animorum contentione Cretæ continuatur oppugnatio, ad cujus defenſionem plures generoſi duces ac milites fortitudinis ſuæ ſpecimen præſtaturi accurrerant; ſed centurio Andreas Barozzus ob dedictum exauctoratus ad Turcas transfuga, debiliorem urbis partem illis oſtendens, inter ipſas maris undas ſuggeſtu tormentario incredibili labore extructo, eam continuò flagellant, 26. Auguſti factâ 32. paſſuum ruinâ murorum ad præcipuum D. Andreæ propugnaculum decretoriam tentant impreſſionem; ſed cæde duorum millium, & plurium vulneratione tum quidem cuniculis & contrariis fornaculis potiſſimum & Gallorum ope fortiter rejecti, ſunt haud multò tamen pôſt viciniorem eorum acceſſum ob barbarorum multitudinem impedire non potuerunt. Rerum tædio, quas minùs proſperè geſtas à ſuis in Cretæ obſidione audiebat Mahometes Turcarum Imperator, Adrianopoli Lariſſam in Theſſalia contendit, animos illis aucturus viciniâ ſuâ, immo & ſpe præſentiæ. Intelligebat enim longioris obſidionis laboribus fractos, publicis obtrectationibus quaſi vano molimini malè augurari, & imminere periculum, ne cum antiquæ felicitatis diſpendio rem infectam deſerere cogeretur. Viderat ſuppetias militum è Germania & Ita-

Candiæ proditor.

Italia in urbem obſeſſam non ſemel immiſſas; Alias audiebat in Gallia inſtaurari, quæ novo robore res obſeſſorum firmarent. Reipſa non diu poſt ſub Novembris ſcilicet initium Cretam appulêre quingenti & amplius è Gallia Nobiles viri, & ducenti Veteranâ militiâ Duces ſub Longavillos Comite S. Pauli, & octingenti Lotharingi milites ſub Equite Harcourtio, qui 16. Decembris præeunte Patre Capucino, crucifixum vexilli loco præferente excurrentes, de loco in locum Turcas inter ſuos cuniculos expellunt, & ultra mille barbaros occidunt, ac imprimis celebrem baſſam Mehemet Caterzoglum, magnæ experientiæ & generoſitatis militem; ſed advolante Turcarum multitudine repreſſi, deſiderasſe 35. cæſos, & 76. ſaucios ſcribit *Nanus hiſt. Venet. pag.* 661. *Porta verò Ottoman. p.* 2. *pag.* 102. defuiſſe 120. Nobiles; & quia Galli prævidebant parum ſe laudis in hac urbis defenſione decerpturos, relictâ Cretâ in Galliam amiſſis 370. ſociis rediiſſe, in quorum locum ſequenti anno Brunſchwico-Luneburgicæ, aliæque auxiliares copiæ ſunt ſuppeditatæ; ſumptus vero in hujus urbis conſervationem & pertinacem glorioſamque defenſionem hoc ſolùm anno impenſos Venetorum legatus Antonius Grimanus Romæ Pontifici demonſtravit, quatuor milliones trecenta nonaginta ducatorum millia: devoravit quoque ex parte Venetorum 5340. gregarios milites, & 586. officiales; 2400. munitores & remiges: ex parte Turcarum 23200. gregarios, præter innumera mancipia, ruſticos, & alios operarios: ad caſtrenſes operas vi coa-

Gravis Chriſtianorum excurſio.

ctos; cuniculos evibrarunt Veneti 190. Turcæ 138. illi 47. excurſiones, hi 17. tentarunt impreſſiones, & in ſubterraneis ſuffoſſionibus viginti utrimque commiſſi ſunt conflictus, ſatis cruenti. Vid. num. 85.

Diſſidiũ inter Moguntinum & Palatinum.

82. Pactæ ſuperiori anno inter Electores Moguntinum Joannem Philippum, & Palatinum Carolum Lud. Heilbrunnæ conventiones ſperabantur omne ſuſtuliſſe diſſidium; ſed Palatinus mox ipſe vicum & arcem Newen-Baimberg haud procul Creutznachio armatâ manu occupat, loci jus aperturæ prætendens; quod licet Moguntinus permitteret, negabat tamen jus præſidii & ſuperioritatis, pluresque tunc aliæ ex Heilbrunnenſi laudo adhuc reſtantes controverſiæ de præturis Dirmſtein, Hemsbach, Lammersheim, & arce Ebernburg diſceptabantur. Digladiatum quoque eſt in finibus Lotharingiæ, & Palatinus multis & minutis præliis inter prædictum Palatinum & Lotharingiæ Ducem Carolum, ob prætenſa ab illo jura quædam in partem ditionum, urbis & arcium Homburg, Landſtuhl, & Hoheneck, quæ Duci Lotharingiæ parebant, ejusdemque militaribus munita præſidiis, in Palatinatum excurrebant, ideoque illa parato ſeptem millium exercitu diſſipare & evertere contendebat, cui Dux quinque Lotharingorum millia ſub Duce Lillebonne & Vaudemontio opponens haud procul Bingio 26. Septembris deſperatiſſimè utrimque, dubio tamen ſucceſſu confligitur, utraque ſibi parte victoriam vendicante. Lotharingis inde ad hyberna revocatis Palatinus prædictorum locorum muni-

Inter Palatinum & Lotharingum.

munimenta deſtruit, & ad rei compoſitionem ultro ſe offert. Conceſſo itaque ab utriſque litis arbitrio Regibus Galliæ & Sueciæ pax compoſita, & bellum eſt ſedatum, alii à Cæſare referunt controverſiam eſſe deciſam.

Erneſtus Wilhelmus Comes de Bentheim contra generis & Statûs ſui dignitatem duxit 22. Auguſti 1661. in præſentia Annæ Ameliæ ſororis ſuæ in uxorem Gertrudem à Zelſt, Hartgeri à Zelſt judicis in Zellem filiam, à Cæſare poſtea in Rom. Imperii Comitiſſam cum omnibus deſcendentibus ſuis, & jure ſucceſſionis in comitatum Bentheim &c. declaratam, & ubique talem habendam. Quod matrimonium junior frater Philippus Contrad. & nepos ejus Comites Steinfurtenſis & Tecklenburgenſis ſiniſtrâ, ut ajebant manu contractum irritantes, armatâ manu anno 1663. Erneſtum coëgerunt, ut ore & ſcripto liberos ex Gertrude ſuſceptos jure ſucceſſionis privaret, & fratrem Philippum Comitatus Bentheimenſis ſcriberet ſucceſſorem, donaretque ſolam Gertrudi morganaticam. Qua de re Gertrudis apud epiſcopum Monaſterienſem circuli Weſtphalici directorem, eundem obtinet tutorem, & Erneſtus anno 1666. 23. Januarii à Cæſare prioris contractûs & ſucceſſionis liberorum ex Gertrude progenitorum confirmationem, cum reſervatione tamen adminiſtrationis & bonorum uſufructu quoad vixerit, poſt mortem vero ſuam Gertrudem liberorum tutricem & curatricem inſtituit. Pauculos poſt dies Cancellarius Erneſti eo relicto ad Brandeburgenſem tranſit aulam, ſucceditque in ejus lo-

Comes Bentheimenſis.

cum ad epiſcopi commendationem alius catholicus, qui Comitis in evangelica ſecta frigiditatem animadvertens ad Romano-Catholicam ſenſim diſpoſuit religionem; cujus certior factus epiſcopus illum in via ad exequias fratris Philippi Comitis Steinfortenſis hoc anno defuncti properantem offendens, ſecum Coſfeldiam licet invitum conduxit, hic rationibus inductus abjuratâ fide heterodoxâ Romano-catholicam induit, omnes reformatæ religionis miniſtros dimittit, & militare Monaſterienſe præſidium ad capiendam arcis Bentheimenſis poſſeſſionem ablegat; uxor obſtupeſcens, quamprimùm liberos in Tranſilanam in Batavorum tanquam feudi dominorum tutelam tranſmittit, & filiolum recentiſſime 27. Auguſti enixum à ſuo miniſtro acatholico baptizari juſſit, ne fieret à catholico; proinde epiſcopale recuſabat admittere præſidium: at dùm arx Bentheim in viva rupe aliquot armatorum millibus, 14. tormentis bellicis, & duodecim cingitur mortariis, uxor puerpera claves marito ſuo ſubmittit, quocum epiſcopus ingreſſus, & per octiduum manens, liberorum Erneſtus urget revocationem & reſtitutionem, quibus denegatis, ejectoque miniſterio acatholico, & introducto catholico, traditur Patribus Jeſuitis monaſterium Schuttorff, & Gertrudis comitiſſa ducitur captiva Monaſterium, Weſtphal. unde poſt ſex hebdomadum captivitatem cum filiolo clam elapſa eſt Daventriam. Tentata quidem utrimque 1673. concordia, ſed quia Comitiſſa nullo modo liberos extradere, nec clam aut furtive Hagâ-Comitis

Monaſter. epiſcopus occupat Bentheim.

è Ba-

è Batavorum tutela & cuſtodia educi poterant, Erneſtus ex diſpenſatione pontificiâ anno 1678. 5. Auguſti ad ſecundas tranſit nuptias cum Annâ Iſabella, filia Comitis Adolphi à Limburg Styrumb, & prius cum Gertrude irritans matrimonium, omni eam privat jure ſucceſſionis, inſigniorum & tituli: contra quod Gertrudis coram Batavis proteſtata, 29. Martii 1679. moritur, libetris ſuis Batavorum tutelæ recommendatis; quorum tandem mediatione anno 1691. in Majo Bilefeldæ pactum hac conventione eſt contractum, ut quinque primi matrimonii filii Comites Imperii ſemper & ubique haberentur, & poſt Erneſti patris mortem, (quæ anno 1693. contigit) Comitatus Bentheimenſis cederet nepoti Comiti Steinfortenſi: illis verò filiis Comitatus econtra Steinfortenſis cum dominis Alpen & Hautkeswerth, & annuè mille daleri ex Comitatu Bentheimenſi perpetuò & hæreditariè ſolvendi; ac demum lineâ illa deficiente cum jure ſucceſſionis in ipſum comitatum Bentheimenſem ſubſequerentur, ut latius ſcribit *Ludolfs Schaubuhn part. 4. lib. 68. cap. 2. n. 16.*

Bentheimenſis controverſia ſublata.

83. In Polonia gallica eligendi vivo rege ſucceſſorem factio, à Regina modò defuncta excitata, necdum fuit conſopita; ſed plures adhuc Senatores gallico auro corrupti in Condeum Principem adhuc inclinabant. Novo itaque, & quod pauci imitentur exemplo, Caſimirus Poloniæ Rex regno voluit valedicere: vir in multis leviuſculæ mentis notâ punctus; quippe qui vivente fratre Uladislao altaribus ſeſe dedicaſſet, dein nulla (quæ viſa ſit) causâ ductus &

Joannes Caſimir. R. Polon. renuntiat regno.

Societati Jeſu, & Cardinalium purpuræ, quâ à Pontifice ornatus fuerat, nuntium remiſiſſet, antequam fratris obitu ad Sceptra vocaretur regenda. Hic uxoris artibus, quibus ſe totum regi patiebatur, exactis inter civiles & ceteros tumultus annis viginti tandem vel tædio, vel animi levitate, quem inter tot bella & diſſidia deſpondebat, coronam voluit deponere. Indictis ad hoc 24. Januarii Warſaviæ comitiis omnes nuntii provinciales urgebant cunctos ſub his externos legatos, ac imprimis gallicum epiſcopum Biterrenſem propter factiones urbe excedere, quod quia ſine juris gentium læſione fieri non poterat, factâ inter ſe confœderatione de non admittendo vivente adhuc Rege ſucceſſore, comitia ſunt reciſſa. Rex autem in regni abdicatione firmiter conſtans 12. Junii coram convocatis 42. Regni ſenatoribus ſuæ abdicationis cauſas exponit, quòd nimirum ætate & viribus exhauſtus, defunctâ Reginâ regiminis oneri impar, quietam ad pro immortali corona comparanda vitam unicè deſideraret, dummodò regia ipſi providerentur 300000. florenorum alimenta. Utrumque & abdicationem, & alimoniam demiſiſſimè deprecabantur, Senatores, promittebantque ſolum annuè ducenta florenorum millia. Plures exiſtimabant regem ſimulare regni abdicationem; aſt ubi ſeria & firma audiebatur à duodecim jam annis meditata, multos habuit competitores, per legatos ſuos abdicationem expectantes & urgentes: Cæſar per legatum ſuum Baronem de Meyerhoff Carolum Ducem Lotharingiæ proponebat: Rex

Galliæ

Galliæ per Epiſcopum Biterrenſem principem Condeum: Caſimirus ipſe Rex ſenatoribus recommendabat Philippum Wilh. Palatino-Neoburgicum affinem ſuum [quia duxerat Annam Catharinam Regis Poloniæ filiam] quocum etiam Princeps de annuo jam modo convenerat per ſuum ad aulam polonicam legatum Franciſcum Gieſen alimento 50000. flor. perſolvendo: quanquam Caſimirus Rex non parum admiratur, quòd talis princeps tot tantisque ditatus quietis ducatibus & provinciis tam oneroſam ſervilemque ambiret coronam, & regnum, cujus tantum hucuſque aucta fuiſſet libertas, ut ſi majores è ſepulchris exurgerent, obſtupeſcerent temeritatem, & inſolentem regni mutationem: nam quoties provinciales nuntii tam impudentes & contemptim ſine ullo regiæ majeſtatis reſpectu me verbis ſunt aggreſſi, obmuteſcentibus ad hæc regni ſenatoribus & conſiliariis? (uti legato Brandeburgico Hoversbeck querebunda voce Rex ipſe conqueſtus eſt) quot bellorum, calamitatum & perſecutionum ſemper tempeſtatibus uſque huc fui agitatus, ac præſertim cùm Rex Sueciæ armatâ manu, & Ragotzius Tranſilvanus Poloniam invaſiſſent, fuit nullus qui auxiliatricem præbuiſſet manum; ſed in Suecorum manus me extradendum, & aliquorum magnatum conſilio cum Caipha dicerent, expedire unum hominem mori pro populo, quàm ut tota gens pereat; proinde ſe meritò renuntiare regno, &c. Conſtitutâ igitur abdicationis die 16. Septembris, præſentibusque regni ſtatibus, neglectis & eorum demiſſis genuflexionibus

Regis Poloni querela

nibus, & populorum votis, & principum fere omnium ſuaſionibus Joannes Caſimirus coronam publicè depoſuit; ultimus familiæ Jagellonicæ (quæ 200. annis thronum Polonicum tenuit) quo peracto, aſſignatisque ei annuè ducentis florenorum millibus, ex arce à magnatibus comitatus [quod ut privata nunc perſona licet recuſaſſet] ad ſuum extra urbem palatium eſt deductus: inde contendit in Galliam, à Rege Ludovico liberalibus promiſſis exceptus, eccleſiaſticorum beneficiorum proventu, quem illi attribuit, Abbatiam S. Germani ſcil. cum reditu 10000. imperialium, de cætero vixit; nullâ tamen eccleſiaſticæ vitæ aut voluntate, aut vinculo obligatus. Interregni interea tempore regni Primas Epiſcopus Gneſnenſis regni ac reipublicæ adminiſtrationem ad uſque novi Regis electionem in ſe ſuſcipiens, ad indicendam 2. Maji 1669. omnibus palatinatibus ad Poſpolite Ruſczeme, ſive equeſtris nobilitatis convocationem & electionem ſeſe jubet præparare.

84. Tertio Idus Junii Dolæ Sequanorum, quia Hiſpani recuperato pactis Aquiſgranenſibus libero Burgundiæ Comitatu nullum ablegaſſent, qui Regis ſui nomine illum reciperet, populus pudoris impatientia per nuperæ deditionis ignaviam reſperſus, & dolore everſionis murorum (quibus vix pares in Europa fuerant) armorum, omnisque bellici apparatûs expoliationis concitatus, vix egreſſum ex urbis limine vidit gallicum præſidium, mox in urbis [ut ajebat] proditores inſiliens, eorum domos invadit & diripit, tantâ in eos execratione & odio, ut

Plebis Burgundæ in proditores tumultus.

ut de tot mobilium, & pretioſæ ſupellectilis dilapidatione nulli cuiquam commodum obveniré pateretur, detrito & diſſipato eo omni, quod in plebis manus devenire potuit. Fruſtra per triduum furentem dehortari ſatagerunt Sacrorum miniſtri, objecta venerabilis ipſius Sacramenti reverentiâ, per publicam ſupplicationem contra vaſtantes delati. Intemeratæ hactenus gens erga ſuos reges fidei pleno vindictæ ſacrificio litatum voluit, nullo non tormentorum genere in ipſos proditores (qui fermè omnes ſenatus erant primarii) ſæviturs, niſi maturâ iſti fugâ iratis ſeſe ſubduxiſſent. Sic quoque 12. Julii Calari metropolitana Sardiniæ civitate glande plumbeâ è domo quadam ſicariè percuſſus interiit Emmanuel Mendoza Marchio de Camaraſſa inſulæ Prorex, qui permiſiſſe dicebatur, ut primariæ dignitatis in urbe vir in limine aulæ ſuæ gladio interficeretur, in quem exorta primùm ſeditione & miſſis Madritum ad regem jam ſeptennem & civitatis, & regiminis nomine cauſis & gravaminibus, quòd nuntius in reditu per inſidias ſublatus fuiſſet, dum abſolutâ in templo Carmelitarum jubilæi devotione cum uxore & liberis domum incautus rediret, aliquot ex occulto ſclopis interfectus ad pedes uxoris concidit. Immiſſa è vicina Neapoli claſſis repentino effecit terrore, ne in apertam gens rueret defectionem: deinde ut ſedato tumultu pœnas darent, quicunque in conjurato læſæ majeſtatis facinore partem aliquam habuiſſe comperti ſunt: quanquam alii fugâ dilapſos eſſe ſcribant: uxor verò ejus Iſabella Portocarero cum liberis properè

Mendoza prorex Sardiniæ occiditur.

Ma-

Madritum, inimicorum inſidias declinatura, effugit, ſuprema deinceps Reginæ Annæ Auſtriacæ aulæ præfecta 20. Junii 1694. defuncta. In Hiſpania inſuper 4 Martii magnus apparens cometes oblongâ caudâ per modum gladii, qualis vix alius horribilior, omnes ingenti conterruit metu, infauſti ſine dubio ominis per totum menſem prodromus, exitioſam forſitan aulæ Madritenſis cum Joanne Auſtriaco Philippi IV. Regis filio naturali diſcordiam & ſimultatem prædicens. Hic Joannes Auſtriacus Patrem Joannem Everhardum Nitardum Jeſuitam germanum, Annæ Reginæ Confeſſarium acerrimè æmulatus, quòd is ſummis eccleſiaſticis & ſæcularibus dignitatum officiis, publicis ſtatûs negotiis, ſecretis publicis conſiliis adhibitus, totam hiſpanicam moderaretur monarchiam, ſe omnibus his ac aulâ excluſus quaſi indignus & proſcriptus Conſuergæ, non aliter ac ſi in exilio contemptus vitam tranſigere cogeretur; quæ res in odioſam tranſiit inimicitiam, regno admodùm exitioſam; ad eam verò evitandam à Regina & Nitardo Belgii Gubernator ſuffectus eſt Joannes, quo etiam valido ſuccinctus ſuccurſu & auro, Vigis in Belgium jam ſoluturus, adveniente tunc gallicâ claſſe, Hiſpanicam ad Vigos oppreſſura [quam feliciter Ferdinandus Carillo rejecit] impeditur: non multò pòſt datis 27. Junii ad Reginam literis ſuum in Belgium contra Gallos abitum excuſat, tum ob Gallorum in itinere inſidias, tum quòd medici ei ob valetudinem diſceſſum ex Hiſpania diſſuaderent, quo reſponſo Regina maximè offenſa imperat Auſtriaco

Cometa in Hiſpania.

Joannis Auſtriaci in Nitardum æmulatio.

ſtriaco, ut quamprimum Belgii gubernationem à ſe in Caſtiliæ Coneſtabilum transferret, Conſuergam ſe proriperet, Madritoque ultra 20. milliaria abſcederet. Interea ad ſecreta quædam à Petro de Pinilla Reginæ relata arreſto innodatus Bernardus Patignus, frater Secretarii Jo. Auſtriaci cum duobus famulis, & 23. Octobris Marchio de Salinas juſſu Reginæ cum 50. Officialibus Auſtriacum ipſum Conſuergæ ad captivitatem inquiſivit, ſed maturè fugâ elapſus aliquot ſolummodò famulos, & acerbiſſimas adverſus P. Nitardum literas Reginæ inſcriptas ibidem reliquit, graviſſimæ inimicitiæ & turbarum fomites; quas Regina ad regium remittens ſenatum in tribus maximè illum delictis accuſabat dijudicandis; ſenatus Auſtriaci factum non quidem approbavit, reprobavit autem ejus captivitatem, & intentatam extremitatem, ſed ſuaſit clementiam, & omni modo, arteque amicam Auſtriaci cum Nitardo tentandam compoſitionem & concordiam. Quod idem antiquiſſimus, & in omnibus Hiſpaniæ tribunalibus verſatiſſimus Antonius de Contreras ſingulari ad Reginam epiſtolâ conſulebat, expediteque addebat, ut Nitardus rebus omnino publicis abſtinens, ſolo Generalis Inquiſitoris officio fungeretur, in quo à Sede Apoſtolica eſſet confirmatus. Quo uſa conſilio regina datis 3. Decembris ad Joannem literis amicis per Ducem de Oſſuna Barcellonam miſſum verbis egit, per quem etiam ille omnem Reginæ promiſit obedientiam, modò P. Nitardum Hiſpaniâ eliminet, quæ eadem literis Joannes Madriti non ſolùm

Quæritur ad carcerē.

lùm

lùm ſtatûs conſilio, ſed etiam Caſtiliæ & Arragoniæ ſignificavit ordinibus; quorum omnium ſententia 30. Decembris à Regina rogata P. Nitardum honeſtè regno dimittendum cenſebat; quo commota Regina ſenatu exceſſit. Interea Dux de Oſſuna Joannem rationibus & argumentis Barcellonâ Madritum ſub aliquot 300. equitum adducit comitatu, publicis ubique Leridæ, Fragæ, Pueblæ & Saragoſſæ exceptum honoribus & acclamationibus, deteſtationibus verò P. Nitardum tam populus quàm ſtudioſa juventus probroſè proſcindunt. Audiens Regina Joannem Madritum appropinquantem, conſilio P. Nitardi & Præſidis Caſtilienſis ad arma conclamari, ad regium vexillum militem colligi, & in validam urbis defenſionem cuncta præparari jubet: quod maximè periculoſum diſſuadebant Comes Pennaranda, Cardinalis Arragonius, & Vicecancellarius: his igitur omiſſis Joannes clam Madritum ingreſſus, abs Nuntio Apoſtolico Borromeo ad reconciliationem tentatur, qualem Joannes nullam admittens, urgebat Nitardi eliminationem, quam omnis conditionis populus in area regii palatii tumultuosè congregatus tam minacibus verbis & geſtibus poſtulabat, ut omnes ſimul regni ordines illum regno exterminandum ingenti reginæ dolore & lacrymis decreverint, quæ tranſmiſſo illi diſceſſûs decreto per Cardinalem Toletanum & Comitem Pennarandam, ille mille piſtolas, hic triginta ducatorum millia in itinerarios illi ſumptus obtulerunt, quæ ille non admiſit, ſed recuſavit dicens; uti pauper religioſus Hiſpaniam ſum

Pergit Madritum.

Nitardus exauctoratur.

ſum ingreſſus, ſic pauper eam egredior. Poſt tres igitur horas circa veſperum [ſic jubebat decretum] Cardinalis Toletanus, Dux Aveiros & Marchio de Liche, ne vulgi diris eum devoventis litaretur victimá, ſuâ illum rhedâ ſecum Madrito exportarunt; quæſitus de impedimentis ſuis, nihil ajebat ſe habere impedimenti, niſi togam ſuam, baculum & breviarium, & in ejus cubiculo nihil niſi cilicium & diſciplinam invenerunt, religioſi hominis arma, adeo dum per urbem veheretur, & ab obvia plebe convitiaretur, demiſsè & placidè illam affatus ajebat: Valete filioli mei, Deus vos cuſtodiat, ego nunc abeo. Maximè autem indoluit, quòd abſque Reginæ valedictione debuerit diſcedere, & quidem Romam, Ibericum ibidem acturus oratorem, liberaliſſimo à Regina donatus viatico; ubi cardinalitiam adeptus dignitatem dicitur, quod alii negant. Joannes verò Auſtriacus poſtquam plures Reginæ exceſſus in Regnum interim irreptos literis demonſtraſſet corrigendos, juſſus ab ea Conſuergam reverti, Madritumque non venire, niſi vocatus: factâ tandem utrimque (reſciſſis & ſuppreſſis hactenus actis) concordiá, Borromei Nuntii Apoſtolici mediatione Regina illum Regni Arragoniæ, annexarumque provinciarum proregem & generalem capitaneum conſtituit, quo ille cum debita gratiarum actione accepto quievit, & magnum illud æmulationis in monarchia hiſpanica incendium eſt extinctum.

Et Hiſpaniâ eliminatur.

Joannes Auſtriacus fit prorex Arragoniæ.

Hiſpaniam, Luſitaniam & Angliam hoc anno luſtravit Coſmus, magnus Etruriæ princeps, animo

Coſmus regiones luſtrat.

animo exteras Europæorum Principum aulas inviſendi, moresque inſpiciendi. Sed quòd Londini uxorem hiſpanici oratoris prius ſalutaſſet, quàm gallici (quod Regi Ludovico omnino diſplicuit) ne ulteriùs ſe inutilibus diſſenſionibus implicaret, in Italiam eſt revocatus.

Annus 1669.

Candiæ mittuntur ſubſidia.

85. Sub anni hujus principium à multis Europæ Principibus, maximè Germanis & copias auxiliares,&bellicos omnis generis apparatus,ſimul cum æris numerati ſymbolis Veneti recepêre; quibus Cretam urbem obſeſſam tueri & defenſare pergerent, barbarorumque inſanam frangerent proterviam, qui jam vigeſimum ſtrictæ obſidionis menſem majori indies furore urbem laceſſebant: Tres fratres Brunſchwico-Luneburgici Joannes, Georgius & Erneſtus tres peditum legiones 2700. armatos ſub Joſia Comite Waldeccio in Venetorum ſubſidium ſubmiſerunt, Elector Bavarus Ferdinandus mille pedites, è quibus 200. ſuo ſtipendio. Elector Colonienſis Maximilianus & Epiſcopus Monaſterienſis Chriſtoph. Bernardus ſimul centum librarum millia pulveris nitrati,Epiſcop. Argentinenſis Franciſcus Egon Furſtenberg 400. pedites, Epiſc. Paderbonenſ. Ferdinandus ſex ducatorum millia: Dux Etruriæ ſuæ in Candia militantis legionis addidit ſupplementum 150. armatos, Mantuanus 500. Cardinalis Barbarinus præter alias iteratas ſuppetias adhuc 40. librarum millia nitrati pulveris: Clemens Pontifex præter militares naves & octuaginta octo ſcutatorum

torum millia, Duciſſa de Chaunes ad hoc Candiæ ſubſidium à ſuis collegit familiaribus 50. coronatorum millia, & in variis cimeliis totidem 50. coronatorum millia; ſed ſplendidioribus auſpiciis communi ſpei illuxit Rex Galliæ Ludovicus, qui ſub Franciſco Vindocienſi Duce Belfortio, rei maritimæ præfecto, claſſe 61. navium ſub Pontificis vexillis,& 7. peditum millibus, & quingentis equitibus ſub Duce Navaillenſi in Cretam navigare permiſit, eâ omnium gratulatione & plauſu, ut quaſi ad proximam urbis obſeſſæ liberationem geſtirent. Nec interim deſidebant barbari plures iteratò copias ad caſtra ſubmittere, ſupremus enim eorum architalaſſus aliquot armatorum millia 40. bellicis navibus eò adduxerat, adurgens continuò plures magnus Vezirius, ut maturiorem à Venetorum legato Molino apud ſe honeſtè detento extorqueret deditionem, tum propter ineptum Soldani Silveſtri nimium Dianæ maximo ſubditorum damno & tumultu dediti regimen & imperii negligentiam, tum propter varias factiones & ſeditiones, quibus alii Soldani filium, alii fratrem ejus turcico throno imponere meditabantur; Soldanus igitur fratrem laqueo matris Validæ conſilio ſuffocaturus, illa omni id poſtea conatu & ſtudio diſſuadere impedireque conata eſt,negotium omnium periculoſiſſimum, eò quòd Janizari, omniſque turcica militia jam throno deſtinaverint, Mahometem aliquando dejiciendum, ob hos Byzantinos motus & ſeditiones, ab urbis præfecto & Janizarorum Aga concitatos Vezirius interrumpendam metuens

Urgetur obſeſſio.

oppugnationem, ſimulque ultrices & minabundos in tota Chriſtianitate jam concorde, ac præſertim in Gallia parari apparatus, incredibili furore & pertinaciâ urgebat urbis oppugnationem. Jam gallicæ copiæ 19. Junii in Cretam invectæ, quo majori effectu vires in hoſtium perniciem explicarent, pari cum ceteris auxiliaribus & terrigenis conſenſu certare & operari ſuadebantur; quo autem id fieret modo, bellico conſultabatur conſilio, alii cum Generali Capitaneo Moroſino ſuadebant reliqua urbis propugnacula, internos receſſus & reductus æneâ defendendos fortitudine & conſtantiâ, alii generosâ excurſione externos barbarorum receſſus, valla & aggeres demoliendos, & urbe depellendos aſſerebant: hac Gallorum ſententiâ prævalente, hi moræ impatientes, & gloriæ nimium cupidi, 25. Junii nocte ſex peditum millia & ſexcenti equites ducibus Belfortio & Navailleo, citra tamen conſenſum & inſtructionem Generalis Monbruni (quia turcicorum caſtrorum diſpoſitionem, caſtrenſia valla & pugnandi eorum methodum penitùs adhuc ignorabant) in caſtra obſidentia cœco quodam furore erumpunt: primo quidem impetu viciniores manſionibus ſtationarios, & quoſdam etiam remotiores proſternunt, aggeribus, quos ad ſui tuitionem excitarant barbari, præſenti operâ ſolo æquatis; ſed dum acrius inſiſtunt, & tormentarium ſuggeſtum à Turcis derelictum occupant, ulteriusque in clivo pyreum armamentarium invadunt, inopino ſubito caſu accenſo nitrati pulveris cado triginta primi ordinis milites in aërem evibrantur;

Galli excurrentes opprimuntur.

brantur; trepidare primum ſubſequentes (quod omne ſolum per ſuffoſſos cuniculos excutiendum exiſtimarent) deinde pedem retrahere, & confuſis ordinibus ad urbis mœnia recurrere cœperunt. Quod ubi Turcæ advertunt, receptis ſubitò animis ita fugitantes intercipiunt, ut eos ſepelire non oppugnare ſint viſi: Navailleus quidem generoſo obſiſtebat, & ſuos impellebat conamine, cedere tandem eſt coactus, aliquot è ſuis captis, inter quos Dux ipſe Belfortius dicitur, qui amplius nunquam fuit viſus, vel quod igne conſumptus, vel quod dum ad extremum intrepidus circumquaque diſcurrens agmina ſatagit reſtituere, animumque meticuloſis reddere, inter confertos hoſtes cadit, & ita deteritur ſub pedibus pugnantium, ut nulla ejus corporis pars, quâ agnoſceretur, potuerit inveniri: Gallorum dicuntur 500. alii mille & amplius, Turcarum verò mille trecentos deſideratos fuiſſe. Hujus tam infortunatæ excurſionis & conflictûs Gallos magnopere pudebat, ut alteram tentare cum ter mille reliquis diffiderent, & in Galliam redire deſiderarent: quamvis Ludovicus Rex gloriæ ſuæ vindex Navailleo mandaris ad novi ſuccursûs jam jam ſubmittendi adventum in Cretenſi urbe ſubſiſtere. Interea Turcæ primarium S. Andreæ propugnaculum occupant, adductiſque in illud planè dirutum octo tormentis bellicis, interiores poſt illud in urbe receſſus & reductus dejiciunt & ſolo æquant, reſtabatque unicum defenſionis munimentum Scoticum, per totum annum incredibili labore & generoſitate à Venetis hucusque defenſum, ſed

Belfortius cadit.

Candiæ periculum.

R 2 paulò

paulò pòſt barbarorum multitudine inſtante, & neceſſitate urgente deſertum, demum cuniculo viginti mille librarum pulveris eſt dejectum, cunctaque urbis minabantur interitum & excidium: tentantur nihilominus adhuc extrema, iteratoque conatu ab univerſa Chriſtianorum claſſe ad Cretam 24. Julii in Turcas eſt pugnatum. Numerabantur præter naves Venetas triremes auxiliares viginti novem, ſeptem ſcilicet Pontificiæ, totidem Melitenſes, & gallicæ quindecim; omnes in ſemicirculum explicatæ ad ea littora, quæ infidelium caſtris & munitionibus erant viciniora, & continuâ exploſione verberantes, non leve damnum iis attulêre, ſeu tentoria ſubvertendo, ſeu obvios manipulos metendo, ſeu denique proſternendo aggeres & tumulos, è quibus eorum tormenta bellica detonabant in urbem. Decreta etiã erat fieri ex urbe copioſa militum eruptio, qui confuſos fragore & ruinâ barbaros à tergo inſilientes contererent. Sed re attentiùs perpensâ, quòd periculum majus eſſet, quàm ſperatus inde progreſſus, quin & ſperata victoria, quæ vili aliquot gregariorum ſtrage, & forſan neceſſariæ ad ulteriorem urbis defenſionem damno redimeretur, ſolo navium inſultu res peracta eſt, rabido furore vibrantibus ſua pariter tormenta Barbaris commodiùs ex ſuperiore littore probè firmato in infernas maris aquas, ubi gallica navis ab igne correpta cæteras diſpergendo turbavit, unde ex 300. vix 18. emerſerunt.

Caſtra turcica impugnantur.

Re taliter ad extrema deductâ ſupremus Venetorum Capitaneus Franciſcus Mauroceaus, qui

qui ſummâ auctoritate rebus præerat, convocato bellico conſilio proponebat, putabatque copioſâ & ultimâ excurſione hoſtem caſtrenſibus ſuis vallis poſſe ejici, ad quam ſeipſum cum ter mille Venetis, & Pontificius Generalis Roſpiglioſus 500. exercitatos Italos offerebant, rogabantque Navailleum, ut Gallos ſuos adjungeret; quod ipſe recuſabat, fruſtraneum fore dicens talem excurſum, & ſuam opem, præſcriptumque ſibi à Rege morarum tempus præterire non poſſe; proinde in Galliam ſe rediturum, quòd urbs diutiùs defendi non poſſet: inſtabant autem precibus omnes Duces, & Jacobus Contarinus Candiæ Dux comitante proceſſionaliter Clero, mulieribus & pueris luctuosè deprecantibus, hoc ultimum in extrema hac neceſſitate & anguſtiâ deprecabantur auxilium, maneretque uſque ad novum jam in via ſuccurſum proximè affuturum; ſed rejectis omnibus deprecationibus & remonſtrationibus vigeſimâ primâ Auguſti cum gallica ſua claſſe in Galliam revolavit. Monitus de hoc diſceſſu magnus Vezirius [vix Galli ſuas conſcenderant naves, quorum opportunè locum novi delectus mille ſupplebant Itali, à Duce Mirandolano recentiſſimè adducti] cum frementiſſimo decem millium armatorum impetu 23. Auguſti urbem oppugnat, eâ tamen animorum contentione exceptus, ut de rerum ſumma in hoc conflictu [cui General-Mombrunus totius urbanæ militiæ Præfectus pugnando præerat] inter utroſque diſceptari viſum fuerit, quingentique præſidiarii perierint. Aliquot adhuc hebdomadibus contra

Galli recuſant pugnam.

Decretoria impreſſio Turcarum.

recrudeſcentes quotidie barbarorum inſultus urbs defenſa eſt, ſed tandem abſcedentibus etiam Pontificiis & Melitenſibus triremibus, abeuntibusque Germanis, aliiſque auxiliariis copiis, in hoc ruinoſo loco pugnare fugientibus, & deficientibus & ſolo, in quo ſe tutarentur, & milite, qui cadentium vices ſuppleret [portu enim Veneto ſolverant mille quingenti milites, ſed variis ægritudinibus aut mortui, aut detenti ſunt, quin Cretam appellerent] Franciſcus Maurocenus generalem omnium Ducum conventum inſtituit, ut collatis conſiliis, quid hìc & nunc factu opus eſſet decerneretur: alii honeſtam & Reipub. utilem ſuadebant pactionem, cum urbs impoſſibile poſſet conſervari, alii cuniculis evertendam ſentiebant, & hoſtibus lapidum congeriem relinquendo fugam ſalutemque in navibus quærendam: alii partem civitatis exſcindere, & reliquam novis aggeribus & foſsa ita circumcingere, ut eam ex integro expugnandam ſibi infideles ſentirent, ſicque tuto expectare auxilia, quæ portu Veneto jam modo ſolviſſe audiebantur: multis demum ultro citroque diſceptatis, honeſtis tradendam conditionibus concluſum eſt ab omnibus, conceſſaque eſt 28. Septembris Barbaris inſula, exceptis Sudæ, Garabuſarum, & Spinæ longæ arcibus, & oppidis littoralibus cum inſulis & diſtrictibus ſuis, relaxata mutuo Turcarum conſenſu Clyſſa, & aliquibus arcibus & oppidis, quæ in Dalmatia & Epiro bello flagrante Venetis eripuerant: omnia deinde bellica tormenta 337. [præterquam 212. urbi propria] 12. mortalia, omnis apparatus belli-

Candiæ peditio.

cus, & commeatus [quorum ingens adhuc reſtabat copia] ac templorum ornatus &c. duodecim dierum ſpatio, modò aëris temperies, & maris permitteret quietudo, Venetis ſecum conducere concedebatur &c. incolis 4000. inde diſcedentibus Maurocenus largum viaticum & locum habitationi Parentium in Iſtria cum aliquot privilegiis, à repub. poſtmodum confirmatis deſignavit. Fuit hic tertius protractæ obſidionis annus Cretenſibus acerbiſſimus & crudeliſſimus, in quo ſe generoſiſſimè defenderunt 484. variis cuniculis, 16. excurſionibus, 7. ſub terrâ velitationibus, 15. impreſſionis impetus ſuſtinendo rejecerunt. Ex urbis præſidiariis occubuerunt præter auxiliares copias 8167. claſſiariorum & operariorum 2706. & multi Officiales, perieruntque hoc triennio toto militum Chriſtianorum viginti novem millia octoginta octo, Turcarum ſeptuaginta millia, præter ruſticorum & captivorum triginta & octo millia, qui in ſuffodiendis cuniculis, aggeribusque & tumulis excitandis operam præſtare coacti ſunt. Pactis utrinque ſubſcriptis Janizarorum Aga & Defterdarus receſſus & ruinas urbis perluſtrantes, lapidum nonniſi congeriem, deſtructiones, foveas & vaſtationes admirantes, quòd locus, qui breviori temporis compendio armatâ manu occupari poterat, toto omnino triennio, & tanto humani ſanguinis diluvio mercari debuerit, quod Vezirio objicientes, ille contempſit, & paucos intra menſes tam domicilia, quàm urbis munimenta & propugnacula non

Quantum temporis & hominũ in ea conſumptum.

citra admirationem reſtauravit, ſicque finiit vigeſimus quintus annus belli Candiaci.

86. Ad ultimum circiter Majum duo Judæorum millia urbe Viennâ ejiciuntur, tum quòd gens otioſa domiciliis privata, tabernis & mercibus carerent, tum quòd cum ſtudioſis ibidem rixis tumultuaſſent, tum denique quòd ſint veteratores & fœneratores perfidi ac civibus odioſi, in omnem fraudandi occaſionem intenti, dum licitum ſibi arbitrantur, omni fraudum genere præſertim ſtellionatûs [variæ in contractibus imposturæ] Chriſticolas circumvenire, & iniquiſſimo fœnori anatociſmum addere, uſuras non ſolutas in ſortem computando; hinc Cæſar ſuorum fatigatus querelis, totam, ut quidam ſcribunt, gentem non Viennâ ſolùm, ſed integrâ Auſtriæ provinciâ eliminari decrevit, conceſſo Hebræis unius anni ſpatio, quo de ſuis rebus ſtatuere, & migrationis locum perquirere liceret, quod in plenum anno ſequenti ivit effectum.

Judæi Auſtriâ eliminati.

In Hungaria interim Petrus Serinius invidiæ & vindictæ œſtro furens ob fortaſſe Nicolao fratri, totique Serinianæ familiæ illatam in deſtructo ab hoſtibus Neoſerinio injuriam: (ob quam & hic tam ſacrilegæ conſpirationis ligamine vinculatus fuiſſe dicitur) vel ob utriusque merita citra condignum remunerata, ſe Croatiæ, aliarumque cis Danubium provinciarum proregem; generum verò ſuum juniorem Ragotzium Tranſylvaniæ & Superioris Hungariæ principem (Abaffius namque Zolemi delationibus & calumniis Soldani gratiâ excidiſſe ferebatur

Petri Serini factio.

batur) Turcarum ope & ſubſidio conſtitui & proclamari intendebat, hæreditaria viciſſim Cæſaris regna Ottomannis proditurus: ad quæ inſana illum conſilia inſtanter uxor ſua, Frangipani ſoror; mulier civilitate morum elegans, acri ingenio & facundia præſtans eodem percita livore inſtigabat, etiam fortè renitentem, ipſaque Cæſari ſupplicabat, qui præfecturam juſte denegavit, ne majorem, quàm tumultuoſis expediret, ſeditionibus adderet poteſtatem, ut ſupra num. 77. dixi. Repulſam paſſa mulier, furore inſaniens, multas in Cæſarem comminationes effudit, procuditque conſilia, muliebria communiter noxiora quam virilia.

Hæc autem conſilia in arce comitis Weſſelini Murana procudebantur, in eaque velut ſecreta conjuratorum cancellaria reſervabantur omnia conſpirationis originalia, transactiones, capitulationes & documenta, loco omnium tutiſſimo, & ſuſpicionibus libero. Ubi omnium erat conſenſus ad eandem ſollicitare Portam Ottomannicam, unicum potentiæ facinoriſque fundamentum. Ne autem ulla factionis notitia ad Cæſareum Conſtantinopoli Reſidentem perveniret, per Tranſylvanos cautè & clandeſtinè res eſt negotiata. Dimiſſus quoque alius ad Mechmetem ſupremum Vezirium ad Candiæ rudera adhuc hærentem internuntius, qui factioſa hæc proponeret molimina, & peteret ſubſidia: quanquam Serinius & Frangipanus ſuis quiſque tabellariis à Boſnenſi & Caniſienſi Baſſis; Nadaſdus verò Adrianopoli per ſuum à Soldano Secretarium tutelam & protectionem Arx Murana.

clam petierint, ſe ſuamque patriam & regnum ſub annuo quindecim millium imperialium tributo, cum illæſa tamen religionis & conſcientiæ libertate ſpontè offerentes. Obſtupeſcit ad hæc aula Ottomannica, & miratur Serinium amicum, quem paulò antè terribilem metuit inimicum. Rem in deliberationem ductam diſſuaſit Mufftius, pacis fœderi contravenientem; reliqui Ottomannico commodiſſimam imperio opportunitatem amplexi, occultis conſpiratores ſubſidiis fovendos perſuadentes, clam ea opportunè ſubmittere polliciti, ut decreto publicandæ conſpirationis menſe Junio 1670. adeſſent.

Conjuratio in Cæſarem proditur

Clandeſtinæ hactenus conjurationis ſemina nunc progerminare videbantur, ejuſdemque indices fuerunt interceptæ ad Grammonvillum, gallicum Viennæ legatum, literæ, cujus ſi non complex, conſcius ſaltem, ſecreta Cæſaris conſilia ſtuduit expiſcari per Joannem Wichardum Averſpergum, Auſtriacis ideo adverſum, quòd Bernardus Guſtavus Marchio Bado-Durlacenſis, Abbasque Fuldenſis, commendatione Cæſaris in Cardinalatûs dignitate ſibi fuerit prælatus, cujus ſpem infallibilem Rex Galliæ Grammonvilli operâ eidem apud pontificem fecerat: qua de re certiorem dum Pontifex Cæſarem redderet, Averſpergus ex ſuis Hiſpano contrariis conſiliis de fidelitate, & factionis ſcientia ſuſpectus, aulâ propediem fuit proſcriptus, & exul Lubianiæ vixit. Accedebant Cæſarei ad Portam Ottomannicam Reſidentis literæ, quæ conſpirationis ſummam à legato ibidem Angli-

Averſpergus proſcribitur.

eo accuratè edoctam continebant. Suſpicionem non levem quoque movebat Cæſaris ægritudo; eodem enim hujus anni tempore malignâ febri & colicâ ex corrupta aqua fontana, quâ ſolus utebatur, affectus, grandem aulæ incuſſit terrorem: puteo mox viſitato, inventa ſunt pavo gallicus, & duæ feles panno involutæ, ſed ultra medium putredine conſumptæ, quibus dubio procul aquam inficere, & ſacratiſſimum Chriſtianitatis caput è vivis tollere ſunt meditati: vix autem medicorum curâ, & duplici phlebotomiâ ſanitatis viribus utcunque reſtitutus, putearius ex officio ſcaturiginem viſitaturus, violatas invenit ſeras, & haud procul ſecurim cum cane mortuo, calce, aliaque mixta materia ad intoxicandam fontis venam allata, auctore nuſquam reprehenſo: neceſſe proinde fuit in aſceterio cibus Cæſari à monialibus fideliter præparatos in aulam ſubmittere; vel ut alii putant, ab ipſa Imperatrice præparare. *Vide infra num.* 89. Cæſaris ægritudo ex aqua infecta.

87. Septimâ menſis Martii recenti incendio antiquos Siciliæ timores innovavit & auxit Æthneus Vulcanus, dum in plures voragines monte aperto ignes circumquaque, ſaxa, & fervidos cineres evomuit fluminis inſtar ignei, quatuordecim intra continuos dies arbores, domos & arva inundans & conſumens ultra viginti hominum millia hinc inde diſſipavit; aliquot confines pagi repetitis terræ concuſſionibus aut quaſſati, aut attriti ſunt, ſpargentibus latè terrorem & denſâ nubium caligine, & tonitruum fragoribus, ut propterea fatiſcere terra videretur, & quaſi in imminenti univerſalis defectionis Æthnæ incendio pagi cõſumpti.

nis periculo Catanenſes, vicinique populi Deo placando enixiſſimis precibus & ſupplicationibus inſiſterent. Simili in Regno Neapolitano vomitu Veſuvius ignes, fragores & tonitrua ad omnium terrorem eructavit.

Oratorgallicus revocatur Bizantio.

Multis hactenus contumeliis laceſſitus Byzantii gallicus orator de la Haye à Rege Ludovico revocatur minarum pleno in barbaros, qui juris gentium obliti, vix non ad plenum uſque contemptum in illum inſoleſcebant. Aſt illi ne pacis ſpem omnino intercluderent, & commercium, mutuum oratorem Solymannum Muſtapham Feragam Pariſios ſub anni finem ablegarunt; ſed eâ & conditionis tenuitate, (quippe qui unus ex prætorianorum grege miles erat) & rei familiari anguſtia, ut ruſticano præſertim accedente morum tenore probro potius quam decori utriuſque eſſe viſus fuerit. Sic oratorem pro pacis, & commerciorum ſecuritate deſtinavit etiam hoc anno Carolus Britanniæ Rex ad Taffiletam Fezzæ & Marochii regnorum invaſorem, qui tanto obſequentis fortunæ faſtu tumebat, ut oratorem ſit dedignatus admittere, niſi ſe ad iniqua mancipiorum obſequia demitteret; quocirca factum eſt, ut legatus, ne dignitatis propriæ proditor exiſteret, re infectâ in Angliam remeavit. Idem Carolus Rex feliciori eventu duos, Nobilium ſcilicet & Plebejorum ordines (ſuperiorem & inferiorem parlamenti Cameras vocant) conciliatis diſſidiis pacavit, quæ de juris dicundi auctoritate inter eos vigebat, ſaniori forſan conſilio eos mutuis odiis permiſſurus, cùm vix paribus animis conſentiant, quin re-

Rex Taffileta Angliæ oratoré reſpuit.

Rex Angliæ Parlamenta concillat

giæ

giæ dignitati majeſtatem, & jura detrahere parati ſint.

Inſulis in Belgio haberi cœpit tractatus de componendis Regis Ludovici prætenſis juribus in eos Hiſpanis ſubditos, qui bona aliqua poſſidebant in eo regionis tractu, qui Gallis ultimæ pacis conditionibus ceſſerat, quosque Rex Ludovicus inter ſuos habitare jubebat, alioquin poſſeſſis exuendos. Aſt annitentibus triplici fœdere, (de quo ſupra num. 80.) unitorum miniſtris à cœptis deſiſtere debuit Ludovicus, permiſſumque ſingulis, ubi melius libuiſſet, maximè pacis tempore habitare, mulctâ deinde carituris, quam nullo crimine demerere videbantur. Prædictum hoc triplex fœdus Aquisgrani pactum majus hoc anno accepit incrementum & firmamentum; fidejuſſores namque mutuo octoginta militarium navium, & triginta ſex millium armatorum ſubſidio injuſtum pacis interturbatorem ſe devinxerant continere & compeſcere; metuebatque Lodovici arrogantia plurium Principum Proteſtantium ad hoc triplex fœdus acceſſum, quo inſatiabilis ejus imperandi libido arctius vincularetur; Angliæ enim Rex Gallum quendam Rupellenſem Marſily nomine reformatæ religionis ad diverſas Principum aulas, & Helvetiam mittens, ad hoc fœdus ubique ſollicitavit, cui Turennius juſſu Ludovici inſidias ſtructurus, emiſſis quinque centurionibus illum in Helvetia jam alio profectum deprehendentibus caute in Galliam ductus publicè Pariſiis, ut ſcribit Valkenier, quadripartitus fuit: quod optimè Angli impedire po-

Triplex fœdus Gallum continet

potuiſſent, niſi gallico ære corrupti gallizaſſent: qui iidem Angli Cæſaris etiam ad hoc fœdus ſe offerentis acceſſum præcluſerunt; imo omni ſtudio ipſum ſuum regem, ejuſque ſecretarium Comitem Arlington ſubdolè ab hoc ſalutari unionis fœdere retraxerunt.

Obitus Henricæ Angliæ Reg.

E vita in Gallia deceſſit Henrica Maria Bourbonia, Caroli I. Britanniæ Regis quondam conjunx, adeo infelici conjugis ſorte, & tot annis jactata, ut Carolo II. filio proprio ad thronum tandem vocato conſors reſtitutæ dignitatis eſſe neglexerit. Jure quidem; quibus enim oculis eos reſpectaret Anglos, qui probroſam marito ſuo necem intuliſſent, totique familiæ ſuæ excidium viribus omnibus eſſent aliquando moliti.

Sanctis adſcripti Pet. Alcantara Magd. de Pazzis, & Roſa

Clemens IX. Pontifex amor & deliciæ populi 25. menſis Aprilis Sanctorum faſtis adſcripſit Petrum de Alcantara ordinis S. Franciſci in Hiſpania, Mariam Magdalenam de Pazzis Ordinis Carmelitani in Italia Florentiæ monialem, & Roſam à S. Maria, Ordinis Prædicatorum in India Limæ ſanctimonialem, omnes humilitate, caſtitate, & Sanctitate excellentes. Eodem hoc anno idem pontifex in Cardinalium numerum

Cardin. novi Portocarrero Nerlus.

5. Auguſti, & 29. Novembris aſſumpſit Ludovicum Emman. Fernandex Portocarrerum Hiſpanum Decanum Toletanum, nototium poſtea Caroli II. Regis teſtamenti falſarium: Franciſcum Nerlum archiepiſcopum Florentinum, virum de qualibet literatura tam ſacra quàm

Bovilonius.

profana meritum: Emanuelem Theodoſium Ducem Albretanum, quem Rex Galliæ Pontifici

tifici commendans ſic ſcribit: ſi compertum haberem reperiri poſſe in regni mei finibus, qui cum pari natalium ſplendore majus præ ſe tuliſſet religionis ſtudium, quique eccleſiæ rationibus magis eſſet idoneus, quàm conſanguineus meus Dux Albretanus (Bovillonius) illum ego potius quàm hunc nominarem ad dignitatem cardinalitiam; quem tamen Rex propter diſſuaſum cum Maintenon matrimonium poſtmodùm fuit ubique perſecutus. Deinde facti ſunt Cardinales Æmilius Altieri Romanus, ipſe poſtea pontifex factus: Carolus Cerri Romanus, excellens jurium doctor, epiſcopus Ferrarienſis, dein Urbinenſis legatus: Lazarus Pallavicinus Genuenſis Cameræ clericorum decanus: Joañes Bona Sabaudus Ordinis Ciſtercienſis Generalis, vir pius & doctus: Bonacorſius Italus Pontificis theſaurarius, & legatus Bononienſis populo odioſus: & denique Nicolaus Acciajolus Florentinus Clericus Cameræ. Idem hic Clemens pontifex 9. Decembris vivere deſiit: vir ſingulari morum lenitate præditus, & perſpectæ probitatis, quam ardenti inter diſſidentes principes conciliandæ pacis deſiderio, tum ſervandæ Candiæ ſollicitudine multis & luculentis argumentis teſtatam reliquit: erga ſuos citra odium, erga omnes ultra votum liberalis ac beneficus, cujus ſymbolum erat; *Dominus poſſeſſio mea.* Et in inſigni ſuo formaverat pelicanum pectus rodentem, & ſanguine pullos paſcentem cum ingenioſa & nomini & omini conveniente epigraphe; *Aliis, non ſibi Clemens.* Ideoque omnium

Altieri.

Cerrus.

Bona.

Bonacorſius.

Acciajolus.

Obitus Clementis IX. & laus.

plauſu

plauſu (quod rariſſimæ in principatu eſt felicitatis) celeberrimus.

Polonici regni competitores.

88. In Polonia Senatores & ceteri regni ſtatus Varſaviam ad indictam 2. Maji novi Regis electionem convenientes, multos invenerunt coronæ candidatos & competitores, magnum imprimis Moſcoviæ Ducem Czaarem, qui per legatum ſuum Naſſokin filium ſecundo genitũ ſuum octennem magnis offerebat inſtantiis & promisſionibus, Romano-Catholicam ſcilicet aſſumpturus religionem, urbes Kovienſem, & Smolenskum, immo reliqua hactenus ablata redditurus, tres deinde milliones reipublicæ Polonicæ, & duos militiæ donaturus, denique in belli invaſioniſque periculis quadraginta ſemper armatorum millia in ſubſidium ſubminiſtraturus. Huic adverſabantur Romanus Cæſar, Rex Sueciæ, Ottomannica Porta, Nuntius Apoſtolicus & totus Poloniæ clerus, urgentibus ex cauſis. Tartarorum quoque Chamus atrociſſimas vaſtationum minas univerſæ intentabat Poloniæ Moſcum admittenti. Itali Polonorum & Lithuanorum vota 800. imperialium millibus pro Magni Etruriæ Ducis filio Coſmo III. Europam modò luſtrante procabantur; ſed plura ex parte Cæſaris & Galliæ Regis obſtabant impedimenta, Magnus Polonici exercitûs archiſtrategus Joannes Sobieskius Regis Angliæ filium, Jacobum Ducem Eboracenſem, ad Catholicam fidem jam dudum inclinantem, proponebat in regem; ſed diſplicebat; & communibus absque dubio votis Fridericum Wilhelmum Brandeburgicum Electorem proximè vicinum ſuum

Poloni

Poloni Regem elegiſſent, eidemque jamante archiepiſcopus Gneſnenſis regni Primas regiam detulerat coronam, modò abjuratâ hæreſi Romano - Catholicam indueret Religionem: ſed ſuâ deceptus opinione ſub hac mutandæ religionis conditione ne Romanum quidem, ajebat, ſe ambire imperium; quaſi verò novella Calviniana religio certior & ſecurior eſſet antiquiſſimâ Romano-Catholica, à proavis ſuis tot annis culta unica & veriſſima. Dux Philippus Wilhelmus Palatinus Neoburgicus plures habebat ſuî commendatores, Cæſarem, Galliæ Regem Ludovicum, Reges Angliæ, & Sueciæ, electoremque Brandeburgicum, imo ipſe Poloniæ Rex Joannes Caſimirus ſuum in throno polonico optabat, promovebatque ſuceeſſorem, niſi Poloni metuiſſent Germaniſmum. Ad Principis Condei electionem multos alliciebat ejusdem Regii generis ſanguinisque præſtantia & generoſitas, ſed deterrebant iterati motus & libertatis turbationes, quas defuncta Regina ejus causâ in regno ſæpè excitaverat. Carolum V. denique Ducem Lotharingiæ plures deprædicabant regiâ dignitate colendum, quòd & ipſe ex ſtirpe Jagellonica oriundus eſſet veluti Polonus. Sed obſtitit electionis utrobique juramentum, prohibens auro aut promiſſione vota emere, eumque in Regem eligere, qui tempore Regis Joannis Caſimiri, aut poſt ejus abdicationem illicito modo, contrave regni leges violenter coronam invadere tentaverit.

Impenſe jam à 2. Maji uſque ad 19. Junii diem electionis quælibet pars in acquirendis votis Electio Regis Poloniæ

tis, & ſenatorum favoribus deſudaverat; ſed Condeus à nobilitate jam modò rejectus videbatur; Palatinus auro licet liberalis & effuſus, at commendatione omnibus eſſet primùm ſuperior, in fine tamen ab omnibus, præterquam Brandenburgico fuit derelictus; Lotharingus quoque in maximo adhuc verſabatur ambiguo, ceteris autem omnibus acquieſcentibus, Primas regni epiſcopus Gneſnenſis omnes regni ſenatores & palatinatus ad liberum electionis campum, mille paſſus Varſaviâ diſtantem, Kolo indigitatum, convocaverat; & quolibet Palatinatu in ſuas claſſes & loca diſtincto, Palatinus Saliscz altiori quadam voce ajebat: adeſſe quidem duos Coronæ candidatos, qui communibus omnium vix votis eligi poterint, unde non levis, noxiaque reipublicæ metuenda ſit diſcordia, bellum civile & contemeratio; quòd ſi verò huic palatinatui fore ſciret acceptum, vellet Piaſtem, ſeu genuinum nominare Polonum, cui pax civium, ſalus & reipublicæ tranquillitas maximæ eſſet curæ. Aſtantibus talem approbantibus & interrogantibus, reſpondet Saliscz, & nominat Michaëlem Thomam Coribut Wiesnowieckium, quem vicinus palatinatus Poſnonienſis (cujus pars una Neoburgicum, & altera commendabat Lotharingum) audiens, Wiesnowieckium exclamat, minaturque gladiis ceteris huic voto non accedentibus; idem ſecuti majoris Poloniæ palatinatus & Sendomirienſis: refragabantur quidem palatinatus Ruſſienſis & Belczenſis partim Neoburgico, partim Lotharingo adhærentes, & Piaſten rejicientes, ubi ve-

ro

to protribunus Demetrius Wieſnowieckius ſuum audit proclamari Michaëlem nepotem, voto conſentit; quemadmodum ceteri Palatinatus & Lithuani obſtupeſcebant, & quidem ſupremus militiæ præfectus Sobieskius, & electionis director Potokius contra electum Piaſten apud regni primatem, jam publicam ejus proclamationem meditantem proteſtabantur, quibus Primas reſpondebat, niſi hunc admiſeritis, regem, univerſam rempublicã & regnum in extremam confuſionis & diſſidii præcipitabitis calamitatem; hunc Piaſten vobis Deus aut in donum aut in pœnam ſubmiſit: mox auditum eſt, à Lithuanis quoque hunc Michaëlem admiſſum & electum eſſe regem, contentus Sobieskius, Regni Primatem ad electionis campum educens, hic publicè interrogabat tribus continuò vicibus omnes Palatinatus, An Michaelem Coribut Wieſnowieckium vellent juberentque Regem Poloniæ & Ducem Lithuaniæ? quo nullo reclamante, publice à regni primate Gneſnenſi epiſcopo Rex proclamatus eſt, omnibus inopinatum hunc caſum obſtupeſcentibus; Michaël vero expalleſcens, ſuamque excuſans tantum regendi libertatis populum impotentiam, effuſus in lacrymas dignitatem erat depoſiturus, ſed voci populi, voci Dei debuit obedire, & ominoſis illis in electionis campo prodigiis, ubi in primo ſuæ nominationis palatinatu Caliſienſi examen aptum in pileo germani militis conſedit, & columba circumvolavit, &c. vigeſimâ denique nonâ Septembris in feſto S. Michaëlis magnâ Cracoviæ ſolemnitatis pompâ eſt coronatus.

Michael Wieſnowieckius Rex eligitur.

S 2 DE-

DECADIS
SECUNDÆ
Annus 1670.

Initia rebellionis Meſſanenſis.

89\. ERumpere hoc anno cœperunt Meſſanæ in Sicilia meditatæ diu, & jam tunc matureſcentis rebellionis ſemina, cum poſt repetita ſenatûs urbani molimina in jura & magiſtratus regios, ille armorum Duci (quem *ſtratico* vocant) injurias ſeveriori forſan vindictâ reparare nitenti publicâ fronte auſus eſt reſiſtere. Conjurarunt ex omnibus civitatis ordinibus homines ſub prætextu privilegiorum ſeſe in omnimodam aſſerere libertatem, ſibique putidum *ſectæ* nomen arrogarant, elicito abs ſingulis juramento, ſe nulli cuique edicto, quod Regio nomine proponeretur aſſenſuros, niſi re cum ſociis communicatâ ab iis præſtanda approbationis conſenſum habuiſſent. Inde quotidianæ inter proregem & ſenatum altercationes, proſcriptaque ferè omnia aut eluſa, quæ indemnem Regis auctoritatem facerent; quin imo inſolenti petulantiâ à ſenatu fuerant varii carceris & equulei pœnâ affecti, qui de debita principi reverentia palam loqui, vel impoſita à prorege exequi non timuerant.

Ungaricæ con-

Pari indocilis genii œſtro in Cæſarem & patriam

triam ſuam prædicti num. 87. Comites conjurationem continuarunt, quibus Eraſmus Comes à Tattenbach Styrus jampridem acceſſerat, & nunc tandem prodierat: violentam namque ſuſpicionem ejus confirmabant literæ 11. Septembris 1666. propriâ manu ſcriptæ, quas ejusdem Secretarius, quem levi furti causâ carcere caſtigaverat, ſpe libertatis, & vindicandi animo Cæſari clandeſtinè ſubmiſerat, quæ omnia Serinium inter & Tettenbachium conſpirationis acta referebant. Nec ægrè Tettenbachius, abjuratâ recens hæreſi, inſignibus à Cæſare mactatus honoribus & opibus, Græcii in Styria præfectus, ſed homo inquietus, ſuperbiâ & avaritiâ ſordidus, conſpirationis amplexus conſilia gnaviter promovit. Erdodi Comitis famulus, captivitate Caniſienſi nuper enodatus, iteratam Backovaskii, Serinii internuntii, cum Caniſienſi Baſſa conventionem admodùm ſecretam, ideoque magis ſuſpectam ad Viennenſem detulerat aulam, quæ indubitatis jam conjurationis indiciis informata, omnes Serinii & Tattenbachii vigilantiſſimè obſervabat motus, & actiones

Conſpirationis continuatio

Dum interea Backovaskius cum quatuor Huſarorum millibus evocatus decem Saracenorum millia circa Caniſam colligit, magnus ubique terror, & oppidanorum fuga in Croatia & vicinis locis circumfertur: quo terrore Serinius opportunè uſus, Capronizam Croatiæ, & Zalgrabiam Sclavoniæ propugnacula contra hoſtiles impetus muniendi dolo, propugnandive ſpecie è Cæſaris in ſuam proditoriè redegit

Serinius urbes dolo occupat.

poteſtatem, omnique præterea ſtudio ad eandem ſollicitavit factionem prætenſum Walachiæ antiſtitem; ſed in illam ſubditi ejus neutiquam conſentire voluerunt. Tettenbachius quoque Rackersburgum, Pettavium & Græcium Styriæ metropolim in poteſtatem Serinii & Turcarum tradere meditabatur, ſed plauſtrum ſeu currus, quo ſub opulentæ ſpecie ſuppellectilis, rapinæ militum ſecurè in urbem ſubducendæ, abſconſi Janizari vehi debebant, luxanda in ponte currûs rota, urbem cum Serinianis ex inſidiis prodeuntibus involaturi, maturè proditus, ſceleris in manu Serinii juramento firmati nequitiam fruſtravit. Quæ omnia Serinii literæ Frangipano ſignificantes, uti & Frangipani literæ, quænam pro præſidio Turcis obtulerit, deſignantes, ſunt interceptæ.

Cæſar autem funeſtis hiſce obviaturus machinationibus, germanum auctorare militem, & eo maturius in campum educere jubet, quo moleſtius audiebat ſuperioris Ungariæ proceres ſub Ragotzio ad irruendum Mongatſchium cogere militem, & factioſos inferioris Ungariæ ſocios ad Caſſovienſem advocaſſe conventum; quem tamen & privatis & publicis Cæſaris dehortationibus, apparatuque bellico territi Leutſchium transferentes, octo peditum, & quatuor equitum millia ſub prædicto Ragotzio patriæ (ut nequiter fingebant) à Turcarum impetu defendendæ causâ conſcribenda, & 2000. Ragotzianis conjungenda, tredecim aſſociati ibidem comitatus ſtatuerunt, propoſitiſque Viennæ gravaminibus Proteſtantium templorum reſti-

reſtitutionem, & omnimodam Germanorum eliminationem mordicus exegerunt: quod Viennenſes conſtanter conſiliarii tam militares quàm aulici recuſarunt: quo dum Cæſar legiones aliquot mitteret & commiſſarios (quos inter vulpinum adhuc Nadasdum) conſcriptus eorum miles paſſim defluxit, & Badenſis Styriæ munitiones & præſidia neceſſario milite, apparatu, commeatuque maturè providit. Quòd ægerrimè ferens Frangipanus, Cæſareos diſperſis tutoribus involat currus; mox tamen à Carlſtadienſi præfecto fugatus, relictis curribus ipſe vix manus ejus evaſit. Ragotzius quoque jam ſuæ ſpecimen daturus perfidiæ, Starenbergum Tockai præfectum cum aliquot centurionibus ad convivium invitatum detinens captivum, fruſtra Tockajum aggreſſus, à vice præfecto generosè repulſus, vicina oppida & urbes conjurationis complices invadit: Mongatſchium etiam occupaturus, ab ipſamet matre ſua, non ſine turpi ſuo dedecore rejicitur. Hæc Serinio ſignificans, petit ſubſidia, nec obtinuit.

Ragotzius capit Starenbergum.

Interea Græcii gubernatores temeraria Tattenbachii molimina ſuſpicantes & deteſtantes, undecimo Kalend. Aprilis captivitate illum innodant, eorum quidem antè inſimulatus, ſed violentorum defectu indiciorum diſſimulatus ſuiſmet proditus literis eſt & convictus: cumque periculum fortè ſentiens Lauretum peregrinaturus, ut ajebat, viæ ſe accingeret, Cæſaris mandato per occultum aditum ductus eſt in cuſtodiam, quo hoſtem in Græcienſem arcem introducere moliebatur; & jam fermè cuſtodiâ elapſus,

Tattenbachius capitur.

elapſus, arctiori includitur, viſitatisque ædibus ejus bellicum apparatum ſex millibus armandis ſufficientem reperiunt: interrogatus, ad quid hæc? totam cum Serinio initam contra Cæſarem conſpirationem faſſus, proceſſusque criminalis Viennam delatus, conjurationis certitudinem plenè probavit. Confirmarunt adhuc frequentes Serinii ad Budenſem, Boſnienſem & Caniſienſem Baſſas curſores, & captæ Frangipani literæ, quæ totam factionis machinationem & vatinianum in Cæſarem, & germanum militem odium ſatis ſuperque continebant.

Ne autem nefandæ huic conſpirationi aures præberet & manus Soldanus turcicus, rogatus per internuntium abſtinuit, tum quòd copioſum armaturæCæſareæ apparatum,tum quòd factionem detectam intetelligeret. Monitus proinde à Viennenſi aula Serinius, & rogatus à filio pater à periculoſiſſimis ut plurimum conjurationum tumultibus deſiſtere, ne immortalem nominis ſui gloriam, toto terrarum orbe divulgatam, millenis cariſſimè emptam periculis, omnium ubique, etiam hoſtium linguis diffuſam, tantis coronatam triumphis, tot luſtris à majoribus propagatam, & Serinianæ familiæ congenitam, in ſeram poſteritatem transmittendam, tam ſacrilegâ in clementiſſimum omnium Regem & Cæſarem impietate, & crudeliſſimo ſcelere commacularet, inureretque labem, nullò ſtemmatis ſui ſanguine unquam emaculandam. Inſtabant etiam amici, ut calumniam morigerâ ſuâ apud Cæſarem præſentiâ purgaret, refutaretque: aut ſi quæ perperam, non ini-

Serinius filio dehortatur

quo illa animo vel intentione acta excuſaret. Sed turcico nimium adhuc innitens ſubſidio, certò ſibi perſuadebat, tantas non eſſe Cæſaris vires, ſuas, ſociorumque conjuratorum comprimendi factiones jam adultas, ſolidéque confirmatas. Cùm verò fama Spanckavium ſex millium exercitu Croatiæ approximantem confirmaret, territus ipſe, & filius ejus (qui patris apud Turcas obſes eſſe recuſabat) Cæſaris gratiam per P. Forstallum, Monachum Auguſtinianum Viennæ apud Lobkowitzium, proximum Serinii cognatum deprecatur. Accepta admodùm fuit Lobkowicio Serinii ſubmiſſio, ut ſi obſidem Cæſari daret filium, ſuamque voluntatem ſubſignatam ſubſcriberet, præter ſceleris remiſſionem & oblivionem, dignitatis, libertatis & privilegiorum confirmationem pollicetur. Promptus ad omnia dicitur Serinius, dumque Forſtallus & filius Viennam ad Cæſarem dimiſſi necdum appuliſſent, adeſt cum exercitu Spanckavius & Zſiackaturnum, Serinii reſidentiam, bis mille Morlacis munitam ſubitò circumcingit: & licet Serinius illi ſtipulatam ſubmiſſionis ſuæ gratiam ſignificaret, Spanckavius nihil hujus rei conſcius juſſu Cæſaris urbem adeo validè premit, ut Serinius & Frangipanus cum aliis triginta complicibus occultâ viâ urbe excedentes, Viennam ſive ad conteſtandam innocentiam, ſive facilioris ſpe veniæ (ad Ragotzium alii in ſuperiorem Hungariam, niſi aditus fuiſſent intercluſi, veroſimilius abituros aſſerebant) profecti, noctu apud Naiy-

Submittit ſe fruſtra.

Capitur cum Frangipano.

Ferentium Comitem ſibi familiarem, non ſine doli tamen ſuſpicione invitati, diverterunt, qui ſub liberali cœna ſummâ Cæſari celeritate, quos detineret hoſpites, ſignificavit: cujus mox juſſu Viennam ambo deducuntur, alius alio dilapſis, honeſtæ traditi ſunt cuſtodiæ. Spanckavius occupato facilè Zſiackaturno ejusdem uxorem cum opulenta ſuppellectili, & domeſtico apparatu Neoſtadium deduxit, & Herberſteinius præfectus Carlſtadienſis omnia Seriniana loca & oppida in Cæſaris redegit poteſtatem.

Nadasdi contumacia.

Hæc infauſta conjurationis principia juſtum Nadasdo terrorem debuiſſent incuſſiſſe; ſed inſaniore inflammatus furore, ſuum in Cæſarem commentum ſcelus conjuratis ſociis communicans, illud animoſiores ut perficerent, impuriſſimâ adurget temeritate: quodnam illud fuerit ſceleris molimen, latuit hactenus, plures ſuſpicantur Cæſaris aut in venatione, vel Eberstorffii clandeſtinis capti inſidiis in Turcarum manus traditionem; ſed cœleſtis Dei providentia, ſub cujus ſemper alarum umbra protectus fuit, Leopoldum hactenus ad hoſtium ſuorum conſervavit confuſionem: nam præterquam quòd numeroſiori tunc eſſet firmatus exercitu, Elector Brandeburgicus ſuas perſonaliter copias in rebelles ducere offerebat: Saxonicus Elector ſexcentos pedites, & 400. dimachas, & mille pedites eò deſtinavit: Lotharingicum Vaudemontii oblatum ſubſidium in periculoſius & urgentius reſervavit tempus. Jamque Cæſareus exercitus ſtrato Presburgi Danubio in ſuperiorem tendebat

Brandeburgus & Saxo Cæſarē juvant.

bat Hungariam, ubi Sporckius bis mille rebelles invadens, cæſis trecentis, decem potitus eſt vexillis: Ragotzius quoque irritò adortus Tockajum & Zathmarium, cæſareis cùm longè impar eſſet copiis, à Sporckio in Tranſylvaniam rejectus, rebus ſuis deſperans, ſaniora eſt amplexus conſilia: langueſcentibus enim conjuratorum armis, & conſiliis denudatus, fruſtratus turcico ære & militis ſubſidio, literis etiam capti ſoceri ſui Serinii à ſcelere dehortatus ut arma abjiceret, Cæſaris randem gratiā aucupaturus, in ſceleris deteſtationem Starrenbergum, Collonitſchum, aliosque nuper dolo captos reddit libertati, & reconciliationis ſuæ adhibet interceſſores: & quia ambiguis aulæ Viennenſis diffidebat reſponſionibus, matre ſuâ, notæ in Cæſarem fidelitatis viragine uſus eſt mediatrice, quam continuis precibus & rationibus execrandæ conjurationis ſemper habuit dehortatricem. Nec clementiſſimi Regis defraudata eſt mulier gratiâ, dummodò præter ſinceram filii ſui ſubmiſſionem germanicum ubique præſidium admittere, omni juri oppidi Trenſchii renuntiare, & in mulctam pro belli expenſis 400000. florenorum numerare ſtipularetur: quibus actis militem exauctoravit, mandavitque ſubditis ſub aurium & narium amiſſione arma deponere. Sporckius porrò quindecim legionibus in conjuratos movens, Ezeros, Serenzium, Podackum & Mongatſchium, aliaque circumquaque loca & oppida in Cæſaris ultrò poteſtatem recipit: mox Erſchedum, Caſſovia & Eperieſum retentâ religionis libertate Cæſareum

Sporckius rebelles perſequitur.

Ragotzius reſipiſcens per matrem Cæſaris gratiam accipit.

Car. Lotharingus Muranam arcem capit conjurationis receptaculum.

reum admiſère præſidium. Carolus demum Dux Lotharingiæ validam ſuperioris Ungariæ arcem Muranam, defuncti nuper Palatini Comitis Weſſelini reſidentiam, cum aliquot rebellium conjuratis, ac imprimis Nagi-vel ut alii, Bœri-Ferentio deditione capit: hic quidem Ferentius intimus Weſſelini conſiliarius, conjurationis ſecretarius, ejuſdemque cum Weſſelino director, omnia factionis acta, documenta, informationes, literas, & nominum ſubſcriptiones ibidem conſervaverat; ſed feliciùs inventa Carolus propediem ſubmittens Cæſari, reliquos conjurationis ſocios armato ulterius exercitu eſt perſecutus: major tamen eorum pars Huſtum, aut in Tranſylvaniam, Moldaviam aut Walachiam ſecuritatis ſtudio confugerant. Budenſis etiam Baſſa, licet barbarus & abjuratus hoſtis, ſceleris tamen gravitate motus, originales Viennam miſit literas, novo quibus fœdere, & ſingulorum ſubſcriptione Ungarici rurſus Comitatus tutelarem ſui ab ipſo exigebant defenſionem, quæ actis collatæ Muranis, & ſolidè examinatæ, exactiſſimam cunctorum moliminum ſeriem, ſingularumque perſonarum ſyllabum aperuerunt; hic Weſſelini, Serinii & Frangipani machinationes in lucem citra omnem ambiguitatem proditæ, perduellionis & læſæ majeſtatis crimine ſunt infamati; cumque indies eorum cauſa evaderet deterior & turpior, arctiori quoque cuſtodiæ, & armatis traduntur decutionibus, ex qua Serinius uberrimas ad Cæſarem dedit literas criminis excuſatrices, & veniæ deprecatrices, quas brevitatis causâ hic omitto.

In

In actis porro Muranis ut cognationis, ſic conjurationis affinis, & primipilus quidem ſcribebatur Franciſcus Nadasdus; ideoque paucis pòſt diebus Muranæ occupationis in arce ſua Pottendorffia è lecto ſublatum tertio Septembris Viennam treceuti legionis Heiſterianæ armati horâ noctis nonâ captivum duxerunt, virum nobilitate ſanguinis, literarum eruditione, fortunarum divitiis inter Ungaros potentiſſimum, & ut quidam ſcribit, Ungaricum Crœſum, qui ante quindenam plura equitum millia in ſuam omni nutu tutelam gloriabatur paratiſſima, mœrore nunc & angore deficiens lecto decumbit; medicis mox adhibitis, Cæſareis deinde nutritus cibariis, cautum ne valetudinem aut cicutâ, aut aliter vitam perimeret; paulatim revaleſcens, ſupplicibus ad Cæſarem literis commiſſa ſolius ambitione Palatinatûs excuſabat, nec factioſas ad Vezirium ſuo ſignatas ſigillo literas agnoſcebat, hoſtium eſſe figmenta dicens. Sigillum itaque ejus an literis impreſſo conveniret, inſpectum & exactius examinatum fuit, & cauſa ejus aliis multò execrabilior eſt reperta, ut ſublatâ ſpe gratiæ & veniæ criminalis horum trium Comitum formaretur proceſſus.

Nadasdus capitur.

Regni proceres hac perculſi famâ, Leutſchii ſupplices ad Cæſarem tabulas decrevêre, quibus docebant ex antiquiſſimis Ungarici regni legibus & privilegiis ab Andrea Rege anno 1222. ſibi collatum conceſſumque eſſe, perduellionis aliorumque criminum reos citandi, judicandique jus & poteſtatem; decretorium igitur poſtulabant diem, quo horum Comitum cauſa coram

Proteſtatio Ungarorum in cauſa captivitatis.

ram Palatino, aliisve conteſtaretur Commiſſariis: & quia Palatinatus tanto jam tempore vacaverit, & adhuc vacaret (qui ex fundamentali legum præſcripto quamprimum fuerat reſtaurandus) proinde omnia interim acta nulla, & reſcindenda volebant: Acta enim contra jus, vel formâ juris & ſtatuti non ſervatâ ſunt nulla. *L. Jubemus* §. *Prædia. C. de ſacroſ. Eccleſ.* Cæſaris clementia haud gravatè hæc privilegiorum favore permiſiſſet, niſi cancellarii, & conſiliariorum diſſuaſiſſent rationes, graviumque prævaluiſſent argumentorum pondera: Fruſtra quippe legis auxilium advocabunt, qui turpiter in legem commiſerunt. *L. Auxilium.*§. *in delictis. ff. de min.* Neque gaudere debent beneficio privilegii, qui deliquerunt in privilegium. *L. Iſti quidem. ff. Quòd metus cauſa.* Quid quod toto ſe Ungari libertatis, legum, & privilegiorum jure denudarunt, qui ſubſidium Turcarum, Cæſaris, & univerſæ Chriſtianitatis hoſtium abjuratorum ſollicitarunt, perduellionis & læſæ majeſtatis rei ſint. Ut quid igitur Cæſaris declinarent forum & juriſdictionem, qui fidelitatis juramento obſtricti, & Vice-Regis in Croatia, & ſupremi judicis præſidisque in Ungaria officiis hactenus perfuncti, omnes Cæſareæ majeſtatis Vaſalli, eidemque pluribus juriſdictionis titulis ſubjecti, cùm judicium fruſtrare, & eludere ſententiam nequirent, inſaniore furore ſunt accenſi; ac imprimis Tôckelius arcem ſuam Kus, ſubditosque & Morlacos in Cæſarem pertinacius armabat: qui ab Heuslero cinctus obſidione vitam cum morte commutans, filio ſuo regni le-

ges

ges, privilegia & libertatem defendendi debitum mordicus inculcavit, non ſine irreparabili Ungariæ, totiusque Chriſtianitatis poſtmodùm detrimento. Arce Hus devictâ magnus cimeliorum & apparatûs domeſtici theſaurus Cæſareo ceſſit fiſco, Viennam deportatus. Vide num. 95.

90. Vigeſimâ ſeptimâ Januarii Viennæ in Auſtria ſupremum diem obiit Franciſcus Vaudemontius, Caroli IV. Lotharingiæ Ducis frater unicus: vir per omnia probatæ pietatis & conſtantiæ animi; quippe qui novercantem ubique fortunam expertus, invictâ ad extremum patientiâ Chriſtianis omnibus illuxit, quos ſequior rerum ſtatus affligit; à teneris S. R. E. Cardinalis factus & Tullenſis Epiſcopus, utrique dignitati poſtea nuntium remiſit, ut Claudiam conſobrinam ſuam, ultimi Ducis filiam duceret uxorem, nullo alio ductus fine, niſi ut avitos Lotharingiæ ſtatus ſuæ aſſereret familiæ, à qua diſtrahendos ſterile fratris ſui conjugium minabatur. Genitus ex Franciſco Carolus V. Lotharingiæ Dux, quem Ludovicus Rex XIV. hoc anno & ducatu, & bonis ſpoliavit. Nam cùm univerſalem Rex Europæ monarchiam moliturus, Belgium & Hollandiam ſtatuiſſet invadere, Lotharingiam autem regni ſui antemurale præprimis ſibi etiam ad hoc neceſſariam, Marchionem de Fouville cum copiis clam Nancejum mittit occupandum, & ipſum ducem capiendum; ſed in ſilva noctu longius & diutius devians, ſerius ad ortum prius ſolis Nancejum 26. Auguſti adveniens, palatii ducalis januam ſecuribus, fruſtra moderationem Ducíſſis Vaude-

Mors Franciſci Lotharingi.

Carolus V. Lotharing. ducatu expellitur.

de-

demontiâ & Lillebonâ deprecantibus, diſſecavit, & Ducem non invenit, qui præmonitus ante horæ quadrantem cum 30. nobilibus eques elapſus evaſit Spinalium, prædictis Duciſſis Vaudemontiâ & Lillebonnâ rhedâ, prius viſitatâ [quod crudelitatis facinus ad lacrimas Gallos ipſos commovit viſitatores] ad monialium monaſterium, ut petierant, deductis; archivio autem, aliiſque actis & re tormentariâ Metas translatis. Tum Mareſcallus Crecquius viginti ſex millium exercitu Ducatum invadens, Spinalium, Caſtrum, Longwicum, & totam Lotharingiam menſis ſpatio occupat, & hyemis tempore octodecim millibus ibidem aſſignat hybernalia: dein Mirecurtii & Muſſiponti muros evertit, topiaria & viridaria Perni, Muſſiponti & Nomenii, feuda licet imperialia, deſtruit, & materialia, lapides, ligna & ferrum Metas deducit; qua de re Carolus Dux apud Cæſarem, & imperialem Ratisponæ conventum admodùm queſtus, Rex repoſuit, quòd Dux contra pacta Pyrenæa cum Rege inita copioſum auctoraverit clam militem (quorum tunc 6000. in ſtipendiis numerabat, & Cæſari in Ungarica conjuratione offerebat) varia Ducatûs ſui loca contra mutuò conventa communierit, fœderaque cum aliis Principibus citra Regis ſcitum inierit, & publicum commercium urbium Tulli Leucorum, Metis atque Verduni occluſerit &c. aſſerebat verò Rex Imperiali Ratisponenſi conventui ſe Lotharingiam non occupaſſe intentione retinendi eam, ſed inquietum refrænandi vicinum, promittebatque ſe redditurum, ſi Dux vel ejuſdem nepos ſatisfactionem

nem & ſecuritatem præſtiterit de non amplius offendendo, nec contraveniendo pactis; ſed punicâ fide: Cæſare namque per miſſum Pariſios Comitem Windisgrätz menſe Novembri Ducis & Ducatûs reſtitutionem à Ludovico exigente, Rex nihil ſcire, nec quicquam audire de reſtitutione volebat; ſed debuit Carolus ducatu & bonis ſuis ſpoliatus [partas in bello Belgico opes, unde viveret, aliò ſecurè traduxerat] exul triginta annis miſerè & calamitosè vivere, & filius ejus Leopoldus Joſephus non niſi pace Ryſvicenſi in Ducatum eſt reſtitutus, ut ſuo loco dicetur. Carolus autem vir martialis aliam prævidens Regis Ludovici in Batavos expeditionem, ſub qua ſuas à Rege illatas ſibi injurias opportunè vindicaturus, Riſancourtium legatum Hagam Comitis mittit, poſtulatque in triplex illud fœdus Anglo-Sueco-Batavicum admitti, ſimulque proponit Batavis quadraginta armatorum millia à ſe & Moguntino & Trevirenſi Electoribus ad tractus rheni, Moſellæ & Saræ contra Gallum ſiſtenda, ſi modo ſumptus illi ſuppeditare vellent: quod reſciens Pariſiis gallicus miniſter de Lionne, ejus tentamini certam eorum reſidentibus ibidem miniſtris minatur invaſioné.

Idem Ludovicus Rex quarto die Martii conſenſit in pacem, quam poſt aliquot hoſtiles incurſus Algerienſes deprecabantur, aut territi belli, quod acriùs parabatur, periculo; aut præſenti humilitate punicam fidem daturi, quam nullâ unquam religione coluerunt, ut repetitæ deinceps & offenſiones, & tractatus probaverunt.

Electio Clementis X.

Poſtquam defuncti Pontificis Clementis IX. corpus balſamo conditum, ex Quirinali in Vaticanum delatum, & per annum & tres dies eſſet expoſitum, in S. Maria Majore poſtea ſepeliendum, ſacrum Cardinalium Collegium ſub Decano ſuo Franciſco Barbarino 20. Decembris prælatâ Cruce proceſſionaliter abſolutâ Miſſa de Spiritu S. factoque in capella Sixti ſuper electionis bulla juramento conclave ingreſſi, in ſex diviſi ſunt factiones, cujus prima Barbarina ſex Cardinales numerabat ſub capite Barbarino: ſecunda acephala indifferentes habebat Cardinales duodecim: tertia Alexandrina ſeu Chiſia conſtabat ex 22. Alexandri VII. creaturis: quarta Clementina ſeu Roſpiglioſa ſeptem Cardinalium ſub capite Roſpiglioſo; quinta gallica ſeptem quoque Cardinalium: ſexta denique Hiſpanica octo erat Cardinalium. Ventilatis igitur per menſes aliquot inter ſe conſiliis, quia Hiſpanica factio adjuncta Chiſiæ votis multùm aliis prævalebat, videbaturque Sigiſmundo Chiſio maximè annitente, Cardinalis Vidonius aliis præeminere, Romano tamen populo odioſus, & contranitentibus Barbarinis, Indifferentibus & Roſpiglioſis, in unam etiam factionem coeuntibus; ita ut qui primus & proximus eſſe dignitati videbatur, fieret remotiſſimus, uti Chriſtus conclavis & electionis director *Luc.* 22. 26. ait: *qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor.* Chiſius igitur excluſo Vidonio laborabat pro Cardin. Elcio cognato ſuo; ſed & hîc, & Bonviſius, & Brancaccius, & Odeſchalchus à variis propoſiti ſunt excluſi; & hic quidem Odeſchalchus

propter

propter eximiam pietatem à variis non ſolùm Cardinalibus, ſed etiam ab Hiſpani Regis legato commendatus, hunc & non alium à Rege ſuo peti & deſiderari ajebat Pontificem; quo dicto plures ob læſam ſolùm electionis libertatem offenſi, illum hac vice recuſarunt, proximè eligendum; tandem præter plurimorum opinionem in unum conveniunt omnes Æmilium Altierium, minimè opinantem, cujus cauſam promovebat Pauluzzius, qui 29. Aprilis manè Altierium domum ſuam remiſit, populi direptioni (ut communiter fieri ſolet) obnoxiam diſponendam, quo cùm populus militarem conduci videt cuſtodiam, ejus in proximo jam eſſe electionem præſumebat, quam cùm ab aliis intelligeret Cardinalibus, indignatus, noluit admittere, rogavitque humiliter & inſtanter Cardin. Barbarinum, Brancaccium, Bonviſium & alios, ne ſibi votum darent, Cardinale Mediceo pontificale pallium ſibi injiciente cùm lacrimis depoſuit; indignitatem prætexens, Card. d' Eſte & Mediceus illum à ſede arripientes, quaſi vi ad capellam deducunt, ubi à quinquaginta novem purpuratis patribus 29. Aprilis in ſummum Pontificem eligitur Æmilius Altierius Romanus, 80. annorum, à præmortuo Clemente IX. dum in extremis ageret, factus Cardinalis, ob idque & ipſe Clementis X. nomine inſignitus, Vir etſi per multa Curiæ officia exercitus, tenuis tamen nominis & exiſtimationis; immo tantæ modeſtiæ & humilitatis, ut oblatum, ut dixi, pontificatûs honorem ſinceris votis recuſarit, ſuffragiis, rationibus & precibus coactus, ut illum admitte-

ret; eſtque hæc ejus electio eò notabilior, quòd à morte Pauli IV. centum & decem annis nullum hactenus conclave diutius quàm hoc duraverit; illud menſibus 4. & diebus 17. hoc autem menſibus 4. & diebus viginti fuerit prolongatum. Deinde quia Altierius ſtirpis ſuæ erat ultimus, deſideraretque ex ea Cardinalem, qui ſenectutis ſuæ quantulumcunque ſublevaret debilitatem, Card. Pauluzzium à longè cognatum ſuum declaravit nepotem, qui & nomen & inſigne Altierianum impoſterum cum ſua geſſit familia. Undecima tandem Maji ſolemniſſimè coronatus, menſe Junio in Eccleſia S. Mariæ Majoris ſanctam Jubilæi portam aperuit.

Hôxteræ tumultus. Gravis hoc tempore in urbe ad Viſurgim Hôxtera in Weſtphalia orta eſt ſimulatio & tumultus inter cives, qui ab Epiſcopo Monaſterienſi & regimine Corbejenſi graviſſimis oneribus oppreſſi, neceſſariis vitæ mediis ſpoliati, privilegiis & juribus eccleſiaſticis ac politicis privati, in magiſtratum, & eos, quos hujus rei ſuſpicabantur auctores, tumultuantes, captivitate & direptione mulctarunt, omniaque in civium & univerſæ urbis ruinam ſpectare videbantur. Rudolphus Auguſtus igitur Dux Brunſwico-Luneburgenſis hæreditarius urbis Hôxteræ tutor & defenſor, ut exitiales hujus urbis motus componeret, duas peditum vexillationes cum centum equitibus urbi immiſit. Epiſcopus Monaſterienſis, qua Adminiſtrator Corbejenſis graviſſimè ferens, quòd hic Dux urbem ſibi ſubjectionis ſacramento obligatam ſuis ſub auſpiciis rebellare permitteret, apud Conventum Ratisponen-

ponenſem, varioſque Imperii Principes infeſtas deponit querelas, minaturque hanc pacis violationem armis, ferro & igne vindicare; copioſum itaque auctorat militem, bellicoque apparatu collecto ingentem comminatur expeditionem, non in Luneburgicum Principem, ſed ſub hoc ficto ſchemate clam in Hollandos; Gallus enim Hollandiam oppugnaturus, clandeſtino fœdere belli ſocios variis promiſſis ſibi conjunxerat, Archiepiſcopum Colonienſem Maximilianum Henricum, & Epiſcopum Monaſterienſem Bernardum de Galen, utque hoc fœdus, militis auctoratio, bellique apparatus lateret occultius, has Epiſcopus ipſe dicitur exciviſſe Hôxteræ turbas & tumultus, Luneburgenſem Principem neutiquam infeſtaturus, uti poſtmodum etiam patuit, vicinorumque principum ſtudio poſt diſceptationes aliquot factas res eſt compoſita, maxime Reip. Batavorum, quæ caduceatores ſuos ad pacem conciliandam deſtinavit. Egreſſis igitur Luneburgenſibus ſucceſſerunt Corbejenſes & Monaſterienſes ſeptuaginta præſidiarii. Non otioſo tamen & copioſo etiam delectu arma Principes Brunſuicani ſumpſerunt; occaſione enim hac caprâ Brunſuicum urbem, ditionis ſuæ præcipuam (quæ ſe pro libera multis jam ab annis gerebat) aggreſſi, eam anno ſequenti 1671. ad deditionem, & ad primæ ſubjectionis ſacramentum adegêre. Brunopolis ad Ockerum in inferiori Saxonia, Ducatûs Brunſwigenſis metropolis libera antehac imperialis civitas hanſeatico nixa fœdere, aliiſque privilegiis aliarum civitatum prærogati-

Brunſui cum à Ducibus ſubjugatur.

vam ſibi arrogabat, adeo ut ſemper in oculis Principum Brunſwico-Luneburgicorum eſſet ſtimulus, quia eorum eſt urbs propria & hæreditaria, & tamen à tot centenis annis ad ejuſdem non poterant ob fratrum diſcordiam pervenire poſſeſſionem; anno quidem 1491. Dux Henricus ſenior eam obſidione cinxit, Henricus junior ter 1542. 1550. & 1553. deinde 1605. Henricus Julius, & 1615. Fridericus Ulricus, ſed fruſtraneo ſemper conatu tentaverunt; hac verò occaſione tres fratres Hameliæ ad Weſeram menſe Januario clam convenientes, Brunopolim ceſſerunt Rudolpho Auguſto Guelpherbyto [quia in ejus jacet territorio] cum omnibus juribus & pertinentiis: hic viciſſim fratri Epiſcopo Oſnabrugenſi æquivalens territorium ceſſit Dannebergenſe; Joannes Fridericus Hanoveranus Romano-Catholicus autem contentus fuit ſacris Reliquiis abundanter ibidem ex antiqua Catholica devotione reſervatis. Quare Dux Rodulphus Auguſtus ex præcedentibus Hôxteræ motibus potens copiis, urbem tormentis bellicis, apparatu & pulvere nitrato nudatam [hæc enim Duci civitas pro majori ejus adverſus Monaſterienſem Epiſcopum defenſione præſenti pecuniâ vendiderat:] viginti armatorum millibus 28. Maji per generalem campi Mareſchallum Comitem Georgium Fridericum Waldeckium, nihil tale ſuſpicantibus Brunopolitanis, obſidione cingit, & ſubmiſſionem poſtulat; illis refragantibus dum Waldeckius tormentis, & caſtrenſibus vallis urbi appropinquans acriores minaretur ignes, omni ſpe ſub-

ſidii

ſidii, & bellico apparatu deſtituti, certis conditionibus 12. Julii Duci ſe ſubmittunt, qui quatuor operariorum millibus arcem civitatis ſtipendiis erigendam, & trecenta imperialium millia in pœnam ſibi ſolvenda imperavit. Rudolphus mox reformato urbis magiſtratu novos quatuor inſtituit conſules, unum ſyndicum, duos conſiliarios, & octo ſenatores, dum antehac 14. conſules, 11. camerarii, & 31. ſenatores urbis præeſſent regimini, debebatque urbs menſtrue Duci ſolvere quatuor mille imperiales.

Quibus omnibus feliciter peractis Rudolphus incruentam hanc expeditionem argenteo excudit numiſmate, quod in uno latere principis gerebat imaginem, in altero omnis generis arma & librum cum his S. Scripturæ 1. *Machabæorum c.* 15. *v.* 33. verbis: *Non alienam terram ſumpſimus, ſed hæreditatem patrum noſtrorum, quæ injuſtè ab inimicis noſtris aliquo tempore poſſeſſa eſt; nos verò vindicamus hæreditatem patrum noſtrorum, neque aliena detinemus ſuprà jure & armis* 1671.

Hoc eodem tempore Bilefeldiæ in conventu circuli inferioris Rheno-Weſtphalici diſceptatum eſt de legatorum præcedentia, quam Cancellarius Principis Palatini Neoburgici præ Batavorum legato pertinaciter prætendebat, Batavo, ejusque principalibus Statûs Ordinibus apud Principem acerbioribus literis proteſtantibus, hic ne reſponſo illos dignatus tacuit. Prodiit tamen pòſt in lucem ſcriptum, & probat *Wicquefortius lib.* 1. *part.* 25. *pag.* 525. præcedentiam legatorum Principum, ſeſſionem & vo-

tum in Imperii Rom. Comitiis habentium, præ aliis quibuscunque legatis, præterquam Regum coronatorum. Eandem præcedentiam in aula Viennenſi prætendebat Venetorum Legatus, à Principibus denegata, quibus Comes Trautmansdorffius ſuam aperuit opinionem: Imperii Principes aulæ domeſticos, & quaſi Cæſareæ Majeſtatis membra honoris gratiâ externis & peregrinis Potentium legatis gratioſè poſſe cedere.

91. Cæterùm Ludovicus XIV. Rex Galliæ univerſalem ambiens monarchiam, jam tum prævidebat Britannos, Batavos & Suecos triplici invicem fœdere alligatos, prætereaque viribus, opibus & claſſibus admodùm potentes ſibi fore contrarios, & maximo impedimento, quare intimi ſtatûs ſecretarii Louvois conſilio Batavos imprimis armis & omni vi aggredi, & ſubjugare moliebatur, qui præteritis illum annis tot injuriis, tot damnis, tot arroganter contemptibus affecerant, ut nimiam eorum nunc vellet comprimere & caſtigare arrogantiam; Anglorum autem Regem à triplici liga in ſuam tracturus confœderationem, Ludovicus Rex cum uxore ſua, & Philippo fratre Duce Aurelianenſi, ejusque uxore Henrica menſe Majo in Flandriam profectus, prope Aveſnes in rivo opinione profundiore cum ſociis fuiſſet ſubmerſus, niſi ab Helvetis [quorum ſex ideo periêre] elevatâ rhedâ in terram fuiſſet traductus, ſpecie recentes Tornaci, aliarumque civitatum luſtrandi erectas fortificationes; revera autem ut propius adeſſet confœderationis cum Anglia nego-

Ludovicus R. penè ſubmerſus.

negotio, quo Henricam Aurelianenſem admirabilis pulchritudinis & facundiæ fœminam in Angliam ad Regem Carolum II. fratrem ſuum miſit, hoc negotium expedituram: ad cujus jaciendum fundamentum jam prius Colbertus præcipuis Regis Caroli miniſtris centum mille piſtolettas fuerat elargitus. Fratri igitur ſuo Carolo in hanc confœderationem condeſcendenti nomine Regis Ludovici abſolutam regiminis ſupra parlamentum poteſtatem appromiſit: fidem deinde & religionem Romano Catholicam in Angliam, Scotiam & Hiberniam inducendam, proinde totam occupandam Hollandiam cum annexis ſuis provinciis (cujus perpetuus eſſet Vicarius Princeps Auriacus, à Penſionarii Joannis à Witt Patre Jacobo de Witt ab hac Vicariatûs dignitate depoſitus, ideoque Jacobus in arce Lövenſteinienſi ab Auriaco Wilhelmo II. detentus, vatinianum inde odium & vindictam in filiis Joanne & Cornelio de Witt cauſavit, adeoque Joannes occultis cum Ludovico Rege literis colluſit) quod ſi, ut omninò ſperabatur, ſuccederet feliciter expeditio, Anglo Selandia, reliquum Hollandiæ Gallo cederet; pro præſtito autem Gallorum Anglis adjumento, Carolus prætenſo in Galliam juri renuntiabit, gallicumque dimittet inſigne nunquam uſurpandum. Hæ propoſitiones quidem placebant Carolo, ſed plura alia adverſabantur impedimenta, quæ ut Ludovicus removeret, Carolo pro claſſis expeditione non ſolùm ſex milliones, & ſingulis menſibus trecenta dalerorum millia, & gallicam 30. navium claſſem ſub Eſtreo ad-

Ejus facta Anglo promiſſa.

De Witt odium in Auriacum.

jungere, ſed etiam tractatum in factione Wittiana cum Batavis contra Angliam initum ad Carolum miſſum à ſe indubitatè adimpleturum adſtipulatus eſt. Quæ tandem Carolo placuerunt, & quaſi coëgerunt: confœderatio tamen necdum per Henricam Aurelianenſem, (quæ ſub hac negotiatione in Gallia paulo poſt non ſine veneni ſuſpicione obiit) ad finem eſt perducta; ſed poſtmodùm per domicellam Keroüel aliàs duciſſam Portſmouth nominatam, Henriricam ex Gallia in Angliam comitatam, Caroli deinceps proſtitutam Phrynem eſt perfecta & abſoluta: idque quod fraternus & naturalis amor non potuit, libidinoſus obtinuit.

Henricæ Aurelianenſis obitus.

De epiſcopo Monaſterienſi Bernardo à Galen minus Rex dubitabat in ſuas partes trahere, qui militari genio addictus ſua promptè obſequia auro offerebat; Maximilianus vero Henricus archiepiſcopus Colonienſis à fidelibus aliquot aulæ ſuæ miniſtris ab hac gallica confœderatione per Chamillum gallicum legatum propoſita dehortatus, utpote toti archidiœceſi exitioſè noxia; à binis tamen fratribus Franciſco Egone & Wilhelmo Fürſtenbergiis, à quorum ore & conſilio totus pendebat Maximilianus, perſuaſus, confœderationem admiſit, quæ in arce Brulenſi ſubſcripta & ſubſignata, ſpe & zelo catholicæ religionis augendæ, & recuperandarum urbium, à Batavis poſſeſſarum: Comites enim Fürſtenbergii à Cæſare abalienati, quòd defuncto archiduce Leopoldo vacantem Abbatiam Murbacenſem petenti Franciſco Egoni denegaverit, hinc omnia ſua ſtudia Galliarum Regi

Confœderatio Ludovici Elect. Colon. & Epiſc. Monaſt.

Furſtenbergii abalienatio à Cæſare.

Regi Fürſtenbergii auro locupletati continuo devoverunt, à quo devictâ Hollandiâ magna & pinguia eccleſiaſtica expectabant beneficia, à pontifice ad Regis Galliæ diſpoſitionem permiſſa. Ea autem maximè de cauſa Rex archidiœceſim Colonienſem & Monaſterienſem confœderatas ſibi deſiderabat, quod Hollandiæ vicinæ, facilior inde in illam daretur aditus & invaſio, ſimulque per has aliunde ſubmiſſa Batavis ſubſidia poſſent facilius impediri; ne verò Hollandiæ viciniores confœderatorum provinciæ paterent incurſionibus Hollandorum, 40. peditum, & decem equitum millia in defenſionem erat ſubmiſſurus. A Rege Sueciæ auro venali plus offerentis, haud difficulter confœderationem, vel neutralitatem Ludovicus obtinuit: aſt Electorem Brandenburgicum Fridericum Wilhelmum germanæ libertatis aſſertorem conſtantiſſimum nec ampliſſimis promiſſis, nec ullis rationibus aut artibus in ſuam potuit adducere confœderationem, vel neutralitatem, quòd is certò prævideret occupatâ à Gallis Hollandiâ, proximè ſubſecuturam Germaniæ ruinam; & ſuarum provinciarum devaſtationem; hinc miſſo Pariſios legato Crocou omnibus laborabat modis bellum iſtud avertere, ſuam componendi mediationem, injuriarum, damnorumque offerebat ſatisfactionem. Elector videns ſe Pariſiis lavare æthiopem, per ſuos Hagæ Comitis miniſtros Blaſpiel & Romſwinckel (quondam Coloniæ canonicum) Batavos ſerio admonuit & fideliter ſuaſit, ut graviter ſibi offenſum Ludovicum Regem, arma & vindictam probabiliter

Brandenburgus rejicit confœderationem.

Serio Batavos admonet periculi.

liter intentaturum, reconciliarent, damnaque reſarcirent, & ſi quid inter illos eſſet ſimultationis, non vi armorũ, ſed viâ juſtitiæ componerent. At Batavi nihil ſibi cum Rege diſſidii, aut illati damni aut injutiæ conſcii, bellum non ſibi, ſed Lotharingiæ, vel Comitatui libero, vel Belgio Hiſpanico imminere, ex ſententia fortè Penſionarii Joannis de Witt Statûs directoris exiſtimaverunt, qui Electoris dicta & acta male communiter interpretabatur, & omnia Hagæ Comitis acta paſſim prodebantur; hinc Elector & hic ſe fruſtra laborare ſentiens, manus à negotio abſtraxit, patriæ, provinciiſque ſuis proviſurus. Miſſo tamen Batavi ad Regem legato de Groot, omnem diſſidii & injuriæ, ſi quæ ſint, offerunt promptiſſime ſatisfactionem, indagantique Grooto quæ tandem eſſet regiæ offenſionis cauſa, ſibi plane ignotæ? reſponſum à Lionne intimo ſecretario, inſolitos eſſe Batavorum regendi modos, ſeu maximas, rationi, juſtitiæ, & Regis dignitati contrarias, quibus omni conatu & arte de hiſpanici jure Belgii, quomolibet regi competente ſtudent dejicere, eidemque & aliis etiam potentiis arroganter inſultare, ideoque cœlum terramque movent, omnes paſſim principes adverſus unam Galliam incitare, quæ omnia Regis mentem, futuræque expeditionis intentum ſatis aperiebant; & tamen cæcitatis fulmine icti, apertis oculis videre non voluerunt, ſibi ſolis imminere prædicta belli fulmina, quæ triplex illud Anglo-Suecio-Batavicum fœdus indubie credebant

Batavorum legatus de Groot Pariſiis.

Non timent

debant poſſe & debere avertere, nec Anglicum parlamentum illud bellum adverſum ſe permiſſurum; ideoque neque milites niſi ſegniter admodum auctorare, neque bellicum adornare apparatum, neq; ſocietatis ſollicitare fœdera, neque urbes & antemuralia neceſſario providere commeatu, apparatu, ſufficientique præſidio, adnitebantur; & quod peſſimum erat, tales conſtituebantur inexpertes urbium præfecti, qui non generoſam urbium & patriæ defenſionem vitâ & ſanguine, ſed magis vitæ & cutis ſuæ conſervationem maturâ nimis & pudenda quærebant urbium deditione, ut mox luculenter patuit; idque ex conſilio & directione ejus, qui reipub. clavum gerebat, Penſionarii Joannis de Witt, Hollandiæ præfecturam, ſeu Vicariatum à Ludovico aliquando ambientis; ſed hæc belli expeditio opinione longius eſt dilata. Gallorũ invaſionem.

Interea temporis Archiepiſcopus Elector Colonienſis Maximilianus Henricus profectus in Italiam, menſe Septembri Venetias attigit, inde luſtratis ibidem viſu dignis Loretum voti cauſâ domum B. Virginis, in qua Jeſus incarnatus, quæque tertio mirabiliter Angelorum miniſterio translata, viſitavit, eamque aureâ 22000. coronarum catenâ honoravit, ubi Pontificis juſſu & liberalibus impenſis per loci gubernatorem triduo cum toto ejus comitatu exceptus, inde rediit in Germaniam, aliquamdiu in patria ſua Monachii commoratus, violentam apud plures movit ſuſpicionem, aliis Imperii Electoribus eandem cum Gallo confœderationem Maximilianus Elect. Lauretum viſitat, cur?

nem contra Hollandos in religionis Romano-Catholicæ augmentum, eorumque arrogantiam omnibus temere inſultantem deprimendam perſuadendi; idque ex diuturniori Neoburgi ad Danubium mora præſumebant, ubi prædictus Elector, archiepiſcopus Salisburgenſis, & alii Principes convenerant: ut ut ſit, hoc certum, quod per ſuum Bonnæ miniſterium contra erectas urbis Colonienſis fortificationes & propugnacula ultra ſuæ jurisdictionis limites (ut ajebant) in archiepiſcopale territorium extenſa fuerit poteſtatus, quod tamen ad oculum falſum eſt repertum, & Colonienſes in vallis, & fortificationibus ſuis rus verſus perficiendis continuarunt: nam perſonantibus ubique grandibus Gallorum bellicis apparatibus, omnes paſſim invaſionis timor percuſſit; ideoque urbem illi terreis vallis & propugnaculis circummunierunt, absq; ullo ſacrarum fundationum ex agris inde occupatis ſolvendarum damno aut præjudico, quæ ex comuni annuè refunduntur ærario.

Colonia circummunitur novis propugnaculis

24. Maji obiit Magnus Dux Florentiæ, Ferdinandus II. de Medices, ætatis *66.* natus enim 1*6*10. filium Coſmum III. centum ſcutatorum millionum ſcripſit hæredem. Hoc eodem anno archiepiſcopus Elector Moguntinus Joannes Philippus de Schönborn, princeps 64. annorum, coadjutorem & ſucceſſorem ſuum elegit Lotharium Fridericum de Metternich, epiſcopum Spirenſem, qui duobus poſt annis fato primùm ceſſit.

Mors Ducis Florentiæ.

92. Rex Poloniæ Michaël miſſo Viennam Auſtriæ 15. Februarii Nobili aulæ ſuæ miniſtro, de-

Matrimonii

deſponſatam ſibi nuper per legatum ſponſam Eleonoram, Leopoldi Cæſaris ſororem in Poloniam petit deducendam, quæ etiam 18. Febr. iter aggreſſa, 26. Febr. Czenſtochovam palatinatûs Cracovienſis attingens, die alterâ à Nuntio Apoſtolico copulata eſt, quod matrimonium conſilio Cancellarii Patzii, abſque reipublicæ tamen conſenſu Rex iniit, ut majorem ſibi in regno auctoritatem, throni ſecuritatem, & tantæ Domus ſibi conciliaret confœderationem, quam etiam Cæſar ob hæreditariarum provinciarum ſuatum Poloniæ conterminarum ſecuritatem maxime intendebat, adeoque ſorori quingentorum millium florenorum dotem eſt elargitus. Sed pluribus Polonis tam hæc impetuoſa per nobilitatem absque Senatorum approbatione Regis electio, quàm ejus cum Auſtriaca deſponſatio multum diſplicebat, metuentes regnum hæreditarium, & libertatis privilegiorumque ſuorum jacturam, quæ & ſimilia plura adverſus Regem factiones ſpargebant gallicæ; imo & regem throno dejectum in monaſterium intrudere, & gallicum Comitem S. Pauli in regem eligere moliebantur, eidemque reginam Eleonoram ex invalido ob Michaëlis impotentiam matrimonio deſponſare. Quibus etiam conſiliis clam Eleonora Regina colluſiſſe, & Cæſar non diſſenſiſſe videbatur, dummodo non gallicum aut acatholicum regem aſſumerent, recommendabatque rurſus Ducem Lotharingiæ Carolum, quæ tamen omnia ab archiepiſcopo Primate, ut optimam Regis cum Domo Auſtriaca intercideret intelligentiam, Regi pate-

Michaelis Polon. R. cum Eleonora Auſtriaca.

In eum factiones.

Et Perduelliones.

patefacta ſunt prætermiſſa, gallica tamen factione omnia clam turbante, & majoribus indies viribus augeſcente, adeoque palatinus quidam publicè Regi oggerere auſus: nullam in regno fore quietem, niſi regnum & coronam dimittendo reſignaverit. Jamque Comes S. Pauli Hamburgi deliteſcens poſt finita mox comitia dicebatur Tartarorum & Coſaccorum, gallico auro corruptorum ſubſidio armatâ vi polonicum thronum involaturus; adeoque totum Regis Michaëlis regimen periculoſis ſemper revolutionibus & turbationibus fuit agitatum: tumultuatum quoque eſt, etiam cum aliquot Nobilium cæde in Dietis Polonicis, quas *Dietinas* vocant, quæque ad univerſi regni comitia præviæ ad eorum ſolenr haberi delectum, qui in Generali conſeſſu res publicas ſolent decernere, & directores, ſeu mareſchallos vocant. In indictis deinde menſe Septembri regni comitiis prælecti ſunt Regis exceſſus, quibus Regni Primas in variis illum dictis publicè inſimulaverat: verine an ficti eſſent, Ordines ſcire deſiderabant, ſed Vicecancellarius illos denegabat ut falſos, quorum veniam & deprecationem abs Rege graviter offenſo Primati archiepiſcopo ceteri præcipiebant Senatores; ſed Rex noluit dimittere, intercedentibus licet omnibus epiſcopis; deprecantibus verò ceteris ſenatoribus & univerſa fermè nobilitate accedentem ad thronum archiepiſcopum Primatem Rex in gratiam, & ad manus oſculum recepit. Finita denique 26. Octobris ſunt pacifice regni comitia, & ratihabitum Regis, annitentibus ſanioris mentis proceribus,

Ejus in Primatem offenſio

ceribus, matrimonium (quod non quæſito Ordinum conſenſu cum Eleonora Auſtriaca, ſtatuerat) quæ durantibus adhuc comitiis 19. Octobris ſolemniſſime eſt coronata Poloniæ Regina, & pax cum Moſcorum Duce ſancita. **Eleonora coronatur.**

Interna autem Polonorum gallicis fota factionibus diſſidia Turcam, Chriſtianorum odia in eorum perniciem convertere intentum excivere, ut inquietæ Coſaccorum genti adjutorem, & perduellionis defenſorem polliceretur. Iſti malo genio ſeducti Doroſenzco Duce in regem & rempub. moliuntur; acri tamen Joannis Sobieski, tum ſummi regni mareſchalli inſectatione ſemper utcunque retuſi, à turbis quieverunt. Aſt hæc præludia tantùm erant majoris perturbationis; quippe Vezirius à Doroſenzco evocatus, in Poloniam cum exercitu movet, reſque in proximo ingentis pugnæ periculo verſabatur, ſuſcepto à rege ipſo Michaële exercitûs imperio; cùm obortis in aula Ottomannica Sultanum inter & matrem diſſidiis, & adverſum ſe invidiæ inſidiis (citra ſanguinem tandem compoſitis) Vezirius ad domeſtica revocatus pericula, pedem retraxit. Deluſus ſpe ſuâ, non domitus Doroſenzcus cùm ab armis non abſtineret, à regiis deletur copiis, pace mox cum Coſaccis ſubſecutâ. Qui Moſchorum etiam Duci, authore Stephano Radzino ob ſuſpenſum fratrem ſuum rebellantes, Czaari fiſcum ſeu ærarium diripuerunt, cujus adjumento immenſum Radzinus ducentorum millium auxit exercitum, quo captâ ad Wolgam fl. Seringâ, & tractis in rebellionis ſocietatem ad- **Doroſenzcus à Polonis deletus.** **Radzini Moſci rebellio.**

jacentibus Tartaris præcipuam urbem & arcem Aſtracam ſtratagemate occupat, & diripit, omnesque in urbe tribunos, centuriones & alios officiales ferali crudelitate, demptis primùm manibus & pedibus ſuſpendit; & quod maximè Moſchum angebat, per occupatam Aſtracam aditum ſibi in Perſiam, unde victualia, ſalem, vina, piſces, aliaque neceſſaria adduci debebant, interclusit. Jamque ipſam regni metropolim, & magni Ducis reſidentiam Moſchiam (cujus communiter præſidium ſunt viginti armatorum millia) aggredi moliebatur; Czaarus cùm variis tentatis mediis & rationibus conciliare Radzinum ſibi non poſſet, auctorato & collecto tumultuariè ſub Generali Dolgorukio exercitu Radzinum invadit, cæſoque primo agmine perrumpit, confundit, & internecivè cæſis quindecim millibus delet, atque intra trimeſtre ultra tria rebellium millia ſecure aut fune peremit, rebellionemque ſuppreſſit.

Extinguitur.

93. In profeſto Corporis Chriſti reliqua Hebræorum gens Viennæ Auſtriæ proſcripta, eorum mille quadringenti in Turciam & Venetias abierunt, eorumque Sinagoga in templum Chriſtianum ab epiſcopo, poſito primo per ipſum Cæſarem fundamentali lapide conſecratum, & Divo Leopoldo dedicatum, ut in perpetuam rei memoriam aurea in templo erecta manifeſtat tabula. Variis quidem & ſupplicibus precibus hanc Hebræi deprecari proſcriptionem, nihil obtinere potuerunt, quia Imperatrici Margaretæ Hiſpanæ nimium odioſi, præ oculis eos ferre non poterat; tum quòd deſtru-

Judæi Vienna proſcripti, & cauſa.

ctis

ctis Proteſtantium templis fugatiſque miniſtris Hebræorum genti non ſolùm habitacula Viennæ; ſed ſordida etiam Synagoga permittuntur & tolerantur, in qua tot impiæ contumeliæ, maledicta & execrationes in Chriſtum, & Chriſtianorum odium effunduntur: tum quòd epiſcopus Neoſtadienſis in publica concione præſente Cæſare grandia eorum latrocinia, infantium tormenta, furta, aliaque flagitia deteſtatus extirpanda & punienda monuerit; quòd tot illegitimos & ſpurios pueros in ſuis clandeſtinè domibus occultaverint, in hebraica ſua ſecta clam educaverint, & ſuo hebraiſmo cum certo damnationis periculo imbuerint &c.

Exorta eſt in Occitania Galliæ popelli ſeditio ob graviora impoſita tributa; ſed immiſſis Rex Ludovicus copiis eam brevi compreſſit, ſeverâ punitis vindicta iis, qui tumultûs & inobedientiæ fuerant ſuaſores & coriphei. Seditio in Gallia

Tentata eſt ab aliquibus Nobilibus Alphonſi quondam Luſitaniæ regis, & in Terceram inſulam deportati libertas, quem Ulyſſiponem reducere, turbaſque ob id excitare ſatagebant: aſt Rex Petrus prudenti ſuo regimine populi amorem & favorem adeptus, facile molimen conjuratorum exitio ſuppreſſit, Alphonſuſque in cuſtodia remanere coactus eſt. In Luſitania.

Intenſum hoc anno frigus afflixit Europam, præſertim Hollandiam, Daniam, Sueciam, Poloniam, Angliam, imo & Italiam, ut pabula pecoribus & feris, ligna hominibus deficerent, ut homines, feræ & pecora plurima frigoris acerbitate fuerint enecta. Inſolita quoque aquarum Frigus, inundatio, terræ motus varii

eluvie Danubius, & aliquot per Noricum fluvii Auſtriam ita oppreſſerunt, ut non arbores, armenta & pagi ſolum in aquis ſepulti remanſerint, ſed hominum non exigua multitudo pari ruina miſerè interierit. Tyrolis item provincia & Germania hoc, & alio flagello attritæ ſunt, repetivis ſcilicet triduo terræ motibus, quibus XVI. Kalend. Auguſti Oeniponti, Hallæ; 17. Julii Norimbergæ, Auguſtæ, Ratiſponæ, Donawerdæ & alibi templa aliquot, & domus bene multæ corruerunt, & homines oppreſſerunt.

Friderici Daniæ reg. mors & laus.

Obiit hoc anno in Dania Fidericus III. Rex 19. Februarii, ætatis 61. regiminis glorioſi 22. princeps in utraque fortuna exercitus, nec ejusdem aut favoribus aut injuriis impar; quippe qui atrociſſimum bellum ſibi à Suecis illatum viriliter, fortiterque ſuſtinuit, ob idque hæreditariam familiæ ſuæ coronam à Regni ſtatibus fuerat conſecutus, & pacatus nullis ſe florentis fortunæ vitiis paſſus eſt labefactari. Homo mitis, humanus, erga omnes familiaris, & populi amor, ſeipſum radio nitrato Raquetten comparabat, qui accenſus in aërem elevatus velut clariſſima ſtella omnibus lucet & ſplendet; ſic ego dum eſſem in alto, fragore edito coram ſpectantium oculis evaneſcens & cadens in terram pulvis & cinis factus, mortem ſibi præviè ex viſu ominatus, quo tres vidit ipſe ſoles, uti etiam patris Chriſtiani IV. mortem tres in aëre ſoles prænuntiarunt. Hic Fridericus religioni ultra principum curas addictus, cujus rationes & momenta crebris lectionibus ſcrutabatur, ſæpius auditus dicere: ſi religionem ſuâ meliorem

liorem noviſſet, eam ſe regno etiam contempto ſecuturum; proinde licet evangelicæ eſſet religionis, ejectis tamen Gallis Calviniſtis Hafniæ, & Romano-Catholicis Gluckſtadii templum ædificandi dedit poteſtatem. Hoc uno princeps infelix, quòd dubiæ mentis ſcrupulos nemo catholicus abſterſerit, & lumen veritatis induxerit, quod primum anno 826. Daniæ illuxit, & anno 1536. per Bugenhagen extinctum eſt Lutheraniſmo: ſucceſſit Friderico filius Chriſtianus nomine V.

Fatis item in Anglia 24. Januarii conceſſit ſupremus olim armorum præfectus Munckius Dux de Albemarle, anno ætatis 62. hoc nomine famoſus, & benè de patria ſua meritus, quod regi Carolo & fratri Jacobo à cæde patris exulibus viam ad regnum & thronum reparavit. Contrarius quidem primùm Carolo, Cromwelo Protectori adhærebat, hoc mortuo, cernens omnia ubique in regno in exitioſam patriæ ruinam ſuſque deque inverti, omne impendit ſtudium, verum legitimumque regni hæredem circumſpectâ ſuâ prudentiâ throno reponere, quod omnium etiam admiratione feliciter effecit: hinc Carolus Rex in tanti beneficii gratiarum actionem regiis defunctum exequiis honoravit, & filium ejus Comitem Torringtonum periſcelidis equitem, comitatûsque Devon præfectum, & aulæ ſuæ cubicularium conſtituit, quem etiam pater in parata pecunia centum millium ſterlingarum, prætereaque cum annuo 20000. lib. ſterlingarum cenſu ſcripſit hæredem. Sed majus forſan, quàm quod ipſe Ca- Munckii mors & laudes.

rolus putaret, ex hac Munckii morte damnum eſt expertus, dum neglectis iis, quæ prius triplicis alligantiæ fœdera ejus conſilio inierat, & aliquamdiu ſervarat, vicinis Gallis, ut in Belgio proficerent, fomenta miniſtravit, unde gliſcente inter victorias ulteriorum acquiſitionum ambitione res ſenſim eò devenit, ut Europa univerſa bellis ſe maximis viderit implicatam.

Ferdinandi Mantuæ D. mors. Duxit hoc anno Ferdinandus Carolus Dux Mantuæ Mariam Vaſtallenſis Ducis ultimi filiam, unde ditionis hujus integræ inveſtituram (quamvis & alia defuncti Ducis filia ſupereſſet;) à Cæſare ſub quibusdam conditionibus impetravit, annitente præſertim Eleonora Auguſtâ, quæ Ducis amita erat. Grandi tamen fœnore ſecundogenita, & cui illa poſtea nupſit, Vincentius ex eadem Gonzaga familia princeps, jure ſuo ad tempus eſt privatus; nam decedente improli Ferdinando, ipſe tandem utrumque aliquando principatum eſt conſecutus.

Annus 1671.

94. In principio hujus anni 1671. duo potentiſſimorum Regum legati magna invicem contentione, in aula pontificia pro cardinalatu æmulabantur; gallus epiſcopum Laudunenſem, quem in nupera Cardinalium promotione pontifex non ſine Regis Ludovici offenſione prætentierat, & Hiſpanus Everhardum Nitardum Hiſpaniarum Reginæ quondam confeſſarium ad eam dignitatem promovendos contendebant: in utrumque pontifex utcunque difficilis, imprimisque in hoc aſſumendo, quod Reginæ regnum

pro

pro minorenni filio Carolo II. moderantis favore immodico uti viſus eſſet, aulæ magnatibus, ac imprimis, ut ſupra retuli, Joanni Auſtriaco exoſus factus, & Regno coactus excedere, Romam tandem annitente Reginâ ad legationem obeundam pervenerat. Res diu in ancipiti pontificis animo verſata eſt, tum quòd nullâ dignitate præter religioſum Societatis Jeſu ſtatum diſtinctus eſſet; tum quòd toti Hiſpanorum genti parùm acceptus eâ careret æſtimatione & affectu, qui apprimè legationi ritè obeundæ videbatur neceſſarius. Sed perſpecto conſtanti reginæ deſiderio, quæ eum recipi per Card. Protocarerum ardentius inſtabat, illum pontifex primò archiepiſcopum Edeſſanum, & non multò poſt eâdem reginâ ſupplicante Cardinalem, uti & epiſcopum Laudunenſem & P. Gravinnam renuntiavit, in locum defunctorum Cardinalium Marii Ginetti 86. annorum, Antonii Barbarini anno ætatis 63. Cardinalatûs 44. (cujus frater Card. Franciſcus Barbarinus hæres fuit unius millionis) Viruliani Viſconti, ætatis 40. Celſi & Borromæi. Qui idem Clemens X. quinque Beatorum apotheoſi ſuum inſignivit pontificatum, Romamque illâ ſacrorum pompâ recreavit, quæ & devotionem acueret, & veteris gloriæ memoriam ſanctioribus renovaret ſpectaculis. Hi fuêre Cajetanus Thianæus Clericorum Regularium arctioris paupertatis fundator: Philippus Benitius Ordinis Servorum Mariæ: Franciſcus Borgias Societatis Jeſu: Ludovicus Bertrandus, & Roſa virgo Limenſis, ambo Ordinis Prædicatorum, qui

Nitardus Romæ legatus Hiſpaniæ.

quinque Sanctorum canonizatio.

omnes præter communes univerſæ civitatis Romanæ plauſus ſingularibus ſuorum ordinum feſtisque pompis ſunt elati, quos fuſius *Gibellinus part.* 3. *c.* 2. §. 4. *pag.* 536. *& Ceremoniale Rom. pag.* 236. deſcribunt, quòd aliquot nimirum hanc apotheoſin, ſeu Sanctorum canoniſationem præcedant Romæ conſiſtoria ſeu examina, in quibus proponuntur imprimis magnorum Regum aut principum apotheoſim petentium interceſſiones, quorum ſcripta, acta, vitam & geſta ſtrictim & accuratè perſcrutanda examinandaque pontifex tribus rotæ auditoribus committit, quorum relationes & examina in altero conſiſtorio relata pontifex tribus cardinalibus exquiſitiſſimè indaganda tradit, qui ſuum judicium & ſententiam in tertio proponunt conſiſterio; tum in regio conclavi & publico auditorio canoniſandi advocatus illius vitam, merita & miracula publica oratione deprædicat & exornat: in quarto demum conſiſtorio pontifex ſingulorum Cardinalium opinionem audit & vota, quæ ſi conſentiant, certum canoniſationis diem determinat, & indicit, quo omnes Cardinales in anticamera albo in habitu mitris & luminibus comparentes ordine ad Vaticanum S. Petri procedunt, ubi magnum vexillum canoniſandi imagine inſignitum exponitur, & in periſtromatibus ejus affabrè geſta & miracula exprimuntur, tum inter preces & miſſæ ſolemnia pontifex ſanctum publicè pronuntiat. &c. In ſimili canoniſationis S. Ferdinandi III. Regis Caſtellæ plauſu celeberrimum illud Eſcuriale in Hiſpania 6. milliaribus Madrito diſſitum, 6. Junii à radio

Canoniſationis ritus.

Eſcurialis in

à radio nitrato Raquett dicitur incenſum, immenſo ædium damno, quibus in Hiſpania pares nullæ; quod ab artifice Ludovico de Foix 21. annis, viginti millionibus quadratum, & quodlibet latus 250. paſſibus longum, ædificatum fuit, illuſtre undecim feneſtrarum, & januarum quatuordecim millibus, quarum claves ſeptem librarum millia ponderant: non autem totum conſumptum eſt ædificium, nullo hominum labore, ſed imbre maximo de cœlo dilapſo fuit extinctum: conflagrarunt tamen regia domus, monaſterium, templum, & ingenti literatorum jacturâ bibliotheca, quibus periit confertiſſima cum omnigenæ literaturæ libris bibliotheca, & ingens manuſcriptorum, præſertim S. Auguſtini de Baptiſmo theſaurus; quorum librorum umbilicus totus erat inauratus, repoſitoria ex ligno Indico, quino alta ordine, pavimentum marmore ſtratum, & fornices affabrè depicti. Ibidem Madriti in publico foro minutus eſt capite Antonius de Cordua, ſimultatis & diſcordiæ Reginam inter, & Joannem Auſtriacum & P. Nitardum incentor. Hiſpania incendiũ.

Meſſanæ in Sicilia popularium adverſus nobiles exoritur ſeditio, quorum varias domos & palatia tumultuosè flammis conſecrant, quòd eos crederent avaris quæſtubus frumenta (quorum tunc carior erat annona) aliò divertere. Oblatâ hac uſus occaſione armorum præfectus, quem *Stratico* vocant, populares fovet adverſus ſenatum, quem in Regis Hiſpani auctoritatem variis attentare modis arguebat. Aſt inſurrectum eſt à Nobili- Meſſanæ ſeditio.

bus in præfectum, qui ſibi proinde fugâ conſulere coactus eſt. Aucta eſt annonæ caritas à Prorege Neapolitano, qui frumenta Meſſanam invehi prohibuit; unde Senatus armatis navibus claſſiarios aliquot prædatum mittit in Calabriam, & quocunq; poſſent: quorum, & integræ defectionis timore promiſſa eſt Siculis frumentorum copia. Hanc rurſum cum differrent expedire, iterum populus in Nobiles quaſi publicæ calamitatis auctores vel complices inſurgit, tentatque cædem *Juratorum*, quorum officio hujus copiæ cura incumbebat. Repulſi vi & armis à Nobilibus populares, aliquot eorum domos iterum ſuccendunt, freti maximo præfecti incitamento, qui præſentia ſua iis animos addebat, deleturus hunc Nobilium ſeu Senatorum ordinem, aut eos ſaltem à civitatis regimine prohibiturus, in quod Regiæ auctoritati adverſantes uſurpata ſeſe poteſtate intruſerant. Requies tandem pactis aliquot inter utroſque articulis eſt conciliata, quibus præſentes ab officio adminiſtri arcebantur, novaque inducta regiminis forma, & maximè ſperato novi Proregis Principis Lignii in civitatem ingreſſu, cujus prona ad clementiam indoles faciliorem & integrum animorum conſenſum promoveret. Sed ad breve compoſita tempus ſeditio conticuit; tertia namque Aprilis, in quam ſecunda ſanctioris hebdomadæ dies incidebat, oborto in urbe rumore, præfectum nova moliri, & maximè quòd Hiſpanos milites ad inſolitas excubias, murorumque cuſtodiam deſtinaret, tumultuari denuo

Compoſita.

Recrudeſcens.

No-

Nobiles libertatum, & juſtæ defenſionis prætextu cœperunt: unde & renovatum domorum incendium, quas populares præfecto, veluti plebis contra ſenatum defenſori audientes flammis addixere. Exilio & bonorum jactura plures mulctati Nobiles, quos præfectus ad preces popularium proſcripſit, inſignitis *Merlorum* nomine iis, qui regiis favebant partibus, & *Malviſorum* titulo reliquis, & maximè Nobilibus, qui pro urbis, ut ajebant, privilegiis & libertate nitebantur. Finem tandem tot diſcordiis, quarum horror nunquam hactenus ſedatâ fame creſcebat, attulit Proregis Lignii in urbem promiſſus, ſed dilatus adventus, qui larga frumentorum copia undecima Maji invecta, revocatis, quos præfectus in exilium abire coëgerat, immo eliminato ipſo præfecto, velut ſeditionum & tumultuum fomite, animos utriusque partis ſedavit, mulctatis ſolùm ex ordine Nobilium aliquibus, qui pertinaci inquietudine paci obſiſtere & moliri nova ſatagebant.

Pacata à Prorege Lignio.

95. Viennæ dum Nadasdus & Serinius cum Frangipano Neoſtadii ſeparato quiſque carceri includitur, ille, Serinius ſuffoſſa aliquot orgyis ſeu ulnis humo elapſus fuiſſe dicitur, niſi ancillæ indicio proditus, arctius vinculatur, cujus pertæſus & impatiens, pro cauſæ ſuæ inſtat expeditione. Cæſaris mandato tres illi Comites rei aliquoties Joannis Pauli Hocheri cancellarii aulici, & Chriſtophori Abelis conſiliarii & ſecretarii intimi ſubjecti examini, delicta ſua oſtenſis ſingillatim originalibus conjurationis literis conformia, liberè, & abſque ulla tortura candidè

Continuatio conjurationis Ungar.

aeorum confeſſio. dè interrogata confeſſi ſunt; quæ ultronea eorum confeſſio, & læſæ majeſtatis perduellio licet condemnationi ſufficerent: ea tamen acta Cæſar judicio commiſit delegato, quod formato exactè criminali proceſſu, lataque ſententia, eandem Cæſari clauſam obtulit, conſilio intimo examinandam: tum effluxo ſex hebdomadarum, & trium dierum termino ad defenſionem dari conſueto, Nadasdus tertio nonas Martii 1671. omnis defenſionis juri ſcripto renuntiavit; tantum tamen ejus datæ ad Cæſarem valuerunt literæ, & humillima liberorum obtinuit deprecatio, ut ex ſequeſtratis modò paternæ hæreditatis bonis pretium quatuor millionum aſcendentibus liberi alerentur. Serinius autem & Frangipanus ſuæ defenſionis articulos exhibuêre, qui ſummo examinati ſtudio & invicem collati, extrema demum Cameræ Spirenſis, & trium Univerſitatum Tubingenſis, Lipſienſis, & Ingolſtadienſis conformis emanavit ſententia: Tres, nempe, Comites læſæ majeſtatis & perduellionis reos omni cum filiis honore privandos, vitâ eliminandos, bona eorum confiſcanda, capite & dexterâ minuendos, Nadasdum Viennæ, reliquos Neoſtadii.

Trium Univerſitatum ſententia.

His actis Comes Ferdinandus Sprinzenſteinius Auſtriacæ provinciæ mareſchallus, publica criminalis judicii ſententia omnibus Nadasdum, ejusque filios dignitatibus & nobilitate exuit, & publicis eliminavit tabulis. Ad quæ illacrimans Nadasdus ait: Vitam, honores tolle, famam ſerva liberis. Et cùm ante degradationem Domini titulo veneraretur, poſt illam dicebatur: Talis fuiſti,

fuiſti, modò non es amplius, ſed proditor; tu es, & manebis privatus nomine, honore, dignitate, & bonis omnibus cum tota tua familia. Tum Mareſchallus ex equeſtri camera, miniſtrator è gradibus, apparitor demum è veſtibulo extruſere, & inter undecimam & duodecimam noctis ad vitandam populi multitudinem à ſupremo vigiliarum præfecto Comite Daunio inter 250. muſquetarios in curiam Viennenſem ductus eſt rhedâ, millenis populo vocibus vociferante: *Vivat CÆSAR, & pereat rebellis.* Diem alterum 28. Aprilis generalis confeſſionis præparationi impendit, nec quicquam niſi de rebus ſalutem animæ concernentibus audire & agere voluit, & filiorum neminem accerſiri petiit, nec voluit, ſed ſuo mandavit Confeſſario P. Raphaëli à S. Franciſco, Ord. S. Auguſtini diſcalceato, ut ſuo nomine paternam illis impertiret benedictionem cum hac ſeria admonitione, ut Cæſari Regique ſemper debitam præſtarent obedientiam. Cùm eodem, vel ut alii, ſubſequente die tertiam inter & quartam pomeridianam à duobus Commiſſariis Leopoldo & Grumbachio fatalis illi mortis ſententia 30. Aprilis indicaretur, repoſuit: *Omnis poteſtas à Deo, & qui poteſtati reſiſtit, ordinationi divinæ reſiſtit*, ſimulque Cæſari gratias pro clementis ſupplicii genere referens; tamen adhuc vitæ in monaſterio, aut perpetuo carcere conſummandæ, & graviſſima commiſſa ſcelera dignis pœnitentiis expiando, ſimulque teſtandi de decem florenorum millibus animæ ſaluti impendendis (uti ultimis ad Cæſarem literis ſupplicaverat) gravi nixus cle-

Nadasdi ematriculatio.

Condemnatur.

clementiâ alebatur, veruntamen dicebat: Sit nomen Domini benedictum, fiat, quod illi placuerit: hoc ad animæ ſalutem ex parte obtinuit tam Nadasdus quàm Serinius & Frangipanus, quamvis hi non petierint: nequaquam illud, quanquam Cæſaris inclinabat clementia Nadasdo & Frangipano vitam in perpetua donare captivitate, niſi cæterorum rebellium per hoc induraretur pertinacia & audacia, in quorum terrorem hæc facta eſt executio.

Pridie igitur generali confeſſione animæ noxas multis lacrymarum ſuſpiriis expiavit, & devotiſſimè ſacro animam viatico ad inſtantem æternitatis viam inter Miſſæ Sacrificia communivit, in cujus fine dum etiam ejus vitæ finem adeſſe illi indicaretur, ſiniſtra Crucifixum, dextra incenſum gerens cereum benedictum, ad ſacerdotis pedes provolutus inter ardentiſſimos doloris, & in Deũ amoris actus, generalem plenariæ indulgentiæ à Pontif. ipſi conceſſæ abſolutionem eſt conſecutus. Tum omnibus, & imprimis Cæſari ſubmiſiſſimè valedicens, ignoſci ſibi ab omnibus, ſeque omnibus paratiſſimè ignoſcere proteſtatus, è cuſtodia pullatus in civilem ductus cameram, ubi olim tribunus Kratzius capite minutus fuerat, detecto capite, Crucifixo & roſario piiſſimè inſtructus in pavimento & ſede æquè pullata ob virium debilitatem, in conſpectu pleni judicii reſedit, atque ita fatalem judicii ſecretarius ſententiam, & commiſſa ab eo delicta prælegit. Quod nimirum Franciſcus Nadasdus ex temeraria damnabilique ambitione

Mortis ſententia.

tot

tot tantarumque à Cæſare, ejusdemque prædeceſſoribus dignitatum, gratiarum & honorum adeptorum, & præſtiti in hanc rem juramenti fidelitatis immemor, ingratus & perjurus crimen læſæ majeſtatis & perduellionis commiſerit: illicita contra Cæſaream regiamque majeſtatem pacta fœderaque in Reipubl. Regnique perniciem inierit: Cæſaream item perſonam hoſtibus tradere, Regnumque Ungaricum hoſtili ſubjicere poteſtati fuerit cooperatus: & hæc fœdera juramento confirmaverit, ad eaque alios temerè ſeduxerit: clandeſtinis factionibus & conſpirationibus per ſe, & per alios præfuerit, & ad ſollicitandos alliciendosve comitatus & equeſtres ordines prædandi, captivandi, expilandique modos & conſilia ſuggeſſerit. Cæſareas ſpoliato veredario magnorum ſecretorum literas violando fuerit perſcrutatus: æs Cæſareum reditusque invaſerit: graviſſimum magni momenti ſecretum conjuratis ſuis in grande Cæſaris & Reipubl. detrimentum manifeſtarit, & aliis paſſim manifeſtari mandaverit: innocentis perſonæ condemnationem factioſa, & crudeli ad quatuor regni ordines oratione perſuaſerit, aliaque graviſſima in actis contenta delicta commiſerit; de quibus aut propriâ confeſſione, aut ſcriptis ab eo recognitis convictus, aut quòd ea negare vel excuſare non poſſet, aliquoties confeſſus fuerit. Juſtè itaque Nadasdus pœnâ mortis condemnatus, honoribus, dignitatibus & bonis confiſcatis exutus, lictori capite & manu dexterâ minuendus traditur. Sententiâ lectâ Judex Joan-

Joannes Moſerus ex Cæſaris clementia manûs abſciſſionem remiſit; Nadasdus verò abſolutis 3. Miſſis & precibus, Crucifixoque pectori aliquoties piè admoto inter ſeptenas Jeſus, Maria, Joſeph invocationes ſellæ inſidens capite plexus eſt, corpus in loculo publicè populo in area curiæ expoſitum, veſperi autem ad Auguſtinianos, inde amicorum interceſſione Sarwarium delatum fuit ac tumulatum. Nadasdi uxor paulò ante conjurationis manifeſtationem obierat in puerperio; famâ autem publicâ à marito interempta dicitur, quòd in Cæſaris hoſpitatione ejus vitæ parcens cupediam ſanam loco infectæ ſuppoſuerit, cujus lento Cæſar veneno deficeret, quam uxor in pœnam guſtare & ſumere crudeliter coacta miſerè periiſſe dicitur: veréne an falsò mihi incertum: indubitatum verò illud, Cæſarem ex innata ſua clementia potiſſimam bonorum immobilium partem, (exceptis arcibus & locis munitis, ne iis ad novam defectionem abuterentur) horum Comitum liberis eâ reſtituiſſe conditione, ut cum inſignibus commutarent & nomina, Nadasdi liberi de Monte Crucis Creutzberg / Serini filii Gade deinceps appellarentur: mobilia verò, cimelia, gemmæ, & ſplendidus domeſticus apparatus in commiſſum ceciderunt; & Nadasdi imprimis pretio quatuor millionum octo plauſtris ſeu curribus Viennam deducta ſunt: arx Pottendorffia cum annexis viridariis & topiariis ſuis Cæſar Monteculo dono dedit.

Capite plectitur

Pottendorff donatum Monteculo.

Neoſtadii quoque duo Cæſarei commiſſarii Abelus & Molitor dum ſupremam mortis ſententiam

tentiam quarto Calend. Maji Serinio & Frangi- pano ſignificarent pridie Calend. Maji exequendam; ille inter Turcarum acies aliàs imperterritus, impalleſcens exhorruit, innocentiâ quaſi migratâ emigraſſet etiam ab eo magnanimitas, nolletque generoſa perfido ulterius rebelli & perjuro immorari fortitudo, quem fidelem antea Cæſaris vaſallum in cunctis nunquam deſtituit periculis. Deducti itaque ambo ad armamentarium, ubi reſumpto Serinius animo, mori, & altero quidem die ob mœroris anguſtias promptior optabat, adjiciens: ex intimo corde ignoſco Frangepano, qui in hanc me infamiæ calamitatem adduxit: ſed quid agam cum ejusdem mortis comite? altero dein die confeſſione & viatico refectus, poſtquam urgente conſcientiâ quædam adhuc commiſſariis conjurationis ſecreta revelaſſet, fortiori mortem animo, miſeriarum metam, & felicioris vitæ principium expectavit; eam verò enixius deprecabatur Frangepanus ætate floridus, ſed ſtirpis ſuæ ultimus: cùm autem omnem gratiæ aditum audiret interclusum, Cæſaremque ſibi ignoſcentem, paratior mortis ſe decreto ſubmiſit, unicè juventutis ſuæ deplorans fervorem, Cæſarique commendans uxorem, ad Venetorum territorium elapſam, & nepotem ſuum Orpheum Frangepanum, conjurationis quidem ex factioſis ſuis literis complicem, ſpe tamen veniæ non excluſum; ac demum petens Serinio oretenus loqui ac valedicere, in Commiſſariorum & Confeſſarii præſentia in germanica illud lingua permiſſum fuit. Quo Frangepanus ad Serinium ductus, dimiſ-

Serinius & Frangipanus condemnantur.

Frangepanus ultimus ſtirpis.

Ambo ſibi valedicunt.

ſiſſimam ambo offenſionis invicem veniam petentes, & in terram provoluti, ora manusque oſculando ſibi mutuo ignoſcentes, ad generoſam Serinium mortem fortiter obeundam Frangepanus adhortans diſceſſit; deſiderantibus tamen ſcire, quo mortis genere eſſent plectendi [metuentes quadripartitò diſcerpendos] reſponſum, mitiori meritis pœnâ, capite & dexterâ ſolùm manu truncandos; hanc tandem deprecati ſunt.

Serinius capite plectitur

Pridie igitur Calend. Maji Serinius mane ex triduano jejunio, & mortis anguſtiis iteratò deliquium animi paſſus, balſamo, & grano cocci medicato, Alkermes, refectus, prælectis primùm ex equeſtri ordine ematriculatione (quam pro filio ſuo, ſed fruſtra deprecatus) & paulò pòſt fatalis ſententiæ, & delictorum ſerie, in pullatum ſupplicii locum ducitur, ubi genuflexus inter ardentia contritionis & precationum ſuſpiria, interque verba: *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, à lictore plectitur; paulò pòſt ne ſanguis reum ſubſequentem terreret, pullato locus obtectus, remotoque per honeſtos apparitores capite & trunco, eductus Frangepanus, auditâ delictorum ſuorum ſententiâ, ad eundem ſupplicii locum proceſſit, ibidemque prolixis abſolutis precibus, obvelatisque oculis, mox eisdem revelatis Crucifixum reſumit, & detractum ex digito annulum eidem imponens ajebat: Hic annulus, mi Chriſte, erit tuus, accipe donum hoc meum, & felicem redona æternitatem. Tum ad populum converſus: Vos qui adeſtis miſeræ calamitatis meæ ſpectatores, diſcite

Et Frangepanus

diſcite amare Deum, obedire fideliter Cæſari, & deteſtandam fugere ambitionem, quæ in hanc me præcipitavit ruinam, valete, & orate pro requie animæ meæ, mortem ſubeo, apud Deum pro vobis oraturus, valete, valete. Provolutus demum in genua continuò Jeſus, Maria inclamans, ictum præſtolatur, primum turpiter fallentem in dexterum excepit humerum, quo in terram proſtratus, dum ſe erigens repeteret Jeſus, ſecundus caput ictus reſecuit. Amborum capita populo exhibita, ſingula poſtmodùm cum truncis impoſita loculis in cœmiterio ſummi templi à Canonicis Neoſtadienſibus ibidem fuêre tumulata. Quibus poſtmodum hoc erectum eſt epitaphium: *Hoc in tumulo jacent Comes Petrus Serinius, Bannus Croatiæ, & Marchio Franciſcus Frangepan, ultimus familiæ*, qui, quia cœcus cœcum duxit, ambo in hanc foveam ceciderunt. In medio lictoris erat gladius, in quo duæ ſtabant calvariæ, & infra gladium hoc carmen: Horum Epitaphium.

Diſcite mortales, & caſu diſcite noſtro
Obſervare fidem Regibus, atque Deo.
Anno Domini M. DCLXXI. Die XXX. Aprilis, horâ IX. Ambitionis meta eſt tumba.

Nec multò pòſt Presburgi alius conſpirationis complex nobilis Ungarus de Bonis ex Reforma to Catholicus, mitiori ob hoc ſupplicio capitis percuſſus, publicè in loco ſupplicii profitebatur, unicum hujus conjurationis auctorem fuiſſe Nadasdum, & plusquam ſeptuaginta gravioribus digniores pœnis & ſuppliciis divagari Rebelles. *Vide infra num.* 115. Alius complex plectitur.

Joannis Eraſmi Comitis Tattenbach cauſa in ſeptimum captivitatis menſem varias ob cauſas dicitur dilata, quidam ajunt ob diverſorum prætenſionem dominii Rheinſtein, cujus hactenus poſſeſſor fuit Tattenbachius, poſt cujus mortem illud Cæſar, Principes Brandeburgicus & Luneburgicus ſuo quiſque jure prætendebat, intercedentibus multis Cæſareos inter & Brandeburgicos miniſtros litigiis & conteſtationibus, tandem Cæſar illud ad ſe ratione confiſcationis devolutum hæreditario Principi Brandeburgico donavit, cujus parens viciſſim Cæſari quatuor armatorum millia transmiſit. Alii ajunt propter opinionum varietatem eſſe dilatam; quatuor enim judices eodem quo cæteri mortis ſupplicio afficiendum decreverant, ſex alii perpetuo detinendum carcere, duo denique alii mitiori pœnâ caſtigandum judicarant; ſed cùm perfidam in Cæſarem conjurationem juramento ad ſacrum Evangelium depoſito confirmaſſe quædam docuerint acta, læſæque Majeſtatis & perduellionis convictus, eodem mortis genere condemnatus, confiſcatisque ejus bonis, equeſtris ordinis albo cum filio eſt ematriculatus: quod ille incredibili lamentatione, animi deliquio, & graviſſimâ impatientiâ per ſacra Chriſti vulnera deprecatus, dum immutabilem Abelus diceret ſententiam, filio ſuo valedicens, petensque veniam amiſſæ per ſe famæ & fortunarum, Græcii in curia, poſtquam quædam adhuc conjurationis ſecreta revelaſſet, 1. Decembris capite, bis ictu ob verſionem fallente, plexus eſt. Talis communiter omnium Rebellium, in hunc præ-

Rheinſtein cedit Brandeburgo

præſertim clementiſſimum omnium Principum, merces & præmium eſt meritiſſimum. Si igitur ſapis, audi Sapientem *Proverb.* 24. 1. Ne æmuleris viros malos, nec deſideres eſſe cum illis; quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur; ſed time Dominum & Regem, & cum detractoribus non commiſcearis; quoniam repente conſurget perditio eorum, & ruinam utriusque quis novit? *ibidem v.* 21. Deinde ut ajebat antiquus Timon: Superbia, ambitio & avaritia elementa ſunt malorum omnium, ut luculenter hic videre licet: Sera tandem tacitis venit pœna pedibus, inquit *Tibul. lib.* 1. *eleg.* 9. ut pœna ſcilicet unius, vel paucorum eſſet metus multorum. *L. unica. C. de emend. propinq.* Jure quidem conſtitutum, atque moribus receptum eſt, Nobiles delinquentes levius puniri. *text. gloſs. & doct. in cap. ult. X. de pæn.* Econtra verò duplici eos pœnâ dignos vult *Philo de creat. Princip.* Quia non ſolùm æquè malè agunt ut plebei; ſed & majores ſuos vitiis dedecorant, ſucceſſores infamant, & reliquis majus ſcandalum pariunt: Omne quippe vitium tantò conſpectius in ſe crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur. Reſciſſis hiſce primariis nequiſſimæ rebellionis hydræ capitibus, quo plura poſtmodùm renaſcebantur, eò majori Cæſarei extirpandæ conſpirationis commiſſarii ſeveritate perſequebantur.

96. Directus à Leopoldo Cæſare Pariſios Windiſgrätzius Comes, qui Regem Ludovicum cum ſuis eò officiis adduceret, ut occupatam reſtitueret Carolo Duci Lotharingiam, maximè quòd *Lotharingiam Rex reſtituere renuit.*

quòd exhibito nuper ſolemni Ratisponenſibus Imperii comitiis ſcripto teſtatus eſſet, ſe nihil ſibi hac invaſioue arrogaturum proprietatis & juris in provinciam; immo Cæſari ipſi priùs ſpopondiſſet,non ultra hebdomadas aliquot hancſe reſtitutionē dilaturum; dilatam vero aut non reſtituendam ob ſenioris Caroli inconſtantiam & mutabilitatem, & in digniorem, magisq; meritū transferendam, hinc Windisgrâtzius juſſu Cæſaris Carolum Joſephum unicè recommendabat ſucceſſorem; res tamen tota inter promiſſa & preces ſubſtitit; non enim Regi erat animus Lotharingiam Imperii Rom. membrum reſtituere, ſed plura & majora adhuc ſibi rapere, Comesque orator domum redire otioſus coactus eſt, Duce interim Coloniæ Agrippinæ vitam protrahente inter ea principis incommoda, quæ ejus tamen animum à novis deinceps molitionibus, in Crequium demum Treveris devolutis, non abſterrebant.

Diſſidia inter Electoré & urbem Colon.

Orta priori anno Electorem inter & civitatem Colonienſem diſſidia propter extenſam urbis fortificationem, & criminalem militis ſui ſtipendiarii executionem ſecundùm jus militare, contra Electoris jura [ut ajebat] adhuc continuarunt, & grande prope bellum in Germania excitarunt, Electore Regis Ludovici arma & patrocinium, civitate juris & libertatum ſuarum vindices Cæſarem & Ordines Imperii depoſcentibus; quare Cæſar hujus diſſidii compoſitionem, ac urbis & arcis Birſch, ad fines Germaniæ inter Palatinatum & Alſatiam in rupe ſitæ poſſeſſionem nomine Cæſaris & Rom. Imperii adi-

adipiſcendam Electori Moguntino committit, quâ etiam menſis Auguſti initio feliciter per ſubdelegatum occupatâ, hic etiam profectus eſt Coloniam, ubi magiſtratus & cives à vicinis principibus imminentis admoniti periculi, accerſitis ex Hollandia quatuor bellicis machinatoribus prædictas urbis fortificationes catenato per quinquaginta quatuor civium ſucceſſivè vexillationes labore promovere, novum urbis Cæſareum Præfectum Kielmanſeckum conſtituere, augere mille viris præſidium, cives & operarios bellicis excolere exercitiis non intermittebant: & quia Batavi prævidebant Coloniæ Agrippinæ occaſum ſuæ Reipublicæ fore interitum, ſuam nuper Coloniæ auctoratam 1500. armatorum legionem Pamphilienſem obtulerunt, eâ conditione admiſſam ad cæſaris vel magiſtratûs nutum quandocunque dimittendam; interim tamen fidem cæſari, Magiſtratui, & Imperio Rom. jurarent. cæſar præterea paternâ ſua providentiâ civitati ſubſidium inſtanter roganti Marchionem de Grana ad urbem & Electorem colon. diſſidii componendi causa ſubmiſit, promiſitque indubitatam in neceſſitate aſſiſtentiam, & ejus permiſſu Marchio ex ceſſo matriculæ cenſu novam auctoravit legionem urbi imponendam; ſimultatem denique pacifice utrimque componendam tribus Electoribus Moguntino, Trevirenſi & Brandeburgico committit, qui ſuos etiam ſubdelegatos Coloniam demittunt ſtrenuè offenſionis lapidem ſubmovere laborantes, quibus &

Colonia defenſionem parat.

March. de Grana illuc mittitur.

Tres Electores & Circulus Weſtph. tollere diſſidia conantur.

&c ſuos inferior circulus Rheno-Weſtphalicus [cui Bileſeldi hac de cauſa congregato ejusdem director Epiſcopus Monaſterienſis Bernardus de Galen præerat] adjunxit deputatos, ut eò faciliùs imminentem ab adventantibus paſſim immenſis Gallorum copiis ruinam patriæ averterent. Rumorum auctor Wilhelmus Furſtenbergus, publicâ [quod rariùs in Germano Principe] fide Gallis devotus, traducebatur, & per has turbationes Electoratûs ſucceſſionem tandem aucupari, quod à propenſa Electoris Maximiliani voluntate, ſibi abundè promittebat. Aſt utrumque Cæſaris operâ eſt interceptum; immiſſis enim ſub Marchione Granenſi copiis &c. vetitus tunc eſt Elector libertate civitatis abuti, indeque prohibitus ipſe Furſtenbergus à conſequenda dignitate, quamvis & Electoris expreſſo conſenſu, & acrioribus ipſius molitionibus res jam quaſi acta videretur. Intereà Marchio Granenſis abſentibus tunc Wilhelmo Furſtenbergo, & ejuſdem farinæ miniſtris credentiales ſuas Electori porrigit, in quibus hic mox intelligit rem alium, quam conceperat, exitum habituram, culpam rejicit in civitatem, doletque ſe apud Cæſarem, Romanique Imperii Principes adeo infamari, quaſi Coloniam alienis armis infeſtaturus, &, quod abſit, Romano Imperio abſtracturus, jugoque Gallico ſubjecturus; illud vero permaximè deteſtabatur, quòd urbs Batavicum præſidium conceptui ſuo contrarium, Eccleſiæque Romano-Catholicæ periculoſum admiſerit: attamen in reſpectum & honorem Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, ad

Quæ Furſtenbergus augebat, Electoratum ambiens

March. Granenſis Coloniam venit.

Cir-

Circuli Rheno-Weſtphalici, ejusdemque Electorum & principum inſtantiam, ac capituli denique metropolitani petitionem fide electorali promittit urbem nec ſuis, nec alienis infeſtare armis, ſed eam contra quoſcunque in ſua hucusque libertate defendere; urbs econtra archiepiſcopalia jura ſarta tecta conſervet, & alti ſecularis judicii criminalem contra duos fratres Sultzer, & Notarium Heſſelman prolatam 6. Martii ſententiam exequatur &c. Reverſus Bonnam Wilhelmus Furſtenbergus, audiens utrimque pacificè acta, irâ in fratrem Franciſcum excanduit, quòd ſe abſente ea ſuo conceptui & molitionibus admodùm contraria, & maximè impedientia non interverterit; & quamvis omnia ad eorum immutationem & everſionem tentaverit, fruſtra laborando nequicquam contra Cæſaream commiſſionem, & inferioris Rheno-Weſtphalici circuli deputationem effecit, qui ſingulari ſtudio 18. Novembris formatum interims ſecuritatis tractatum ad utramque diſceptantem partem transmittentes, tandem 3. Januarii anni ſequentis in has pactum eſt conditiones. 1. Elector cum conſenſu capituli Metropolitani verbo, ſcripto & ſigillo promittit urbem Coloniam nullis, neque propriis neque alienis copiis invadere, neque cives aut eorum bona ullo modo arreſtare, nec eorum jura violare: econtra. 2. Magiſtratus & Cives Colonienſes adſtipulantur alienas copias demittere, neque per ſe, neque per circularem militem archiepiſcopale territorium, clerum aut eorũ miniſtros directè vel indirectè incommodare, neque eorum jura turbare. 3 Le-

Maximil. Elect. indemnitatem urbi promittit, contranitente Furſtenbergo.

Tractatûs conditiones

gione Pamphilienſi urbe ejectâ mille ducentos, & urgente neceſſitate plures, circulares milites, circuli ſtipendiis poterunt admittere, & 4. Urbis fortificationem continuare, donec per ſententiam evincatur fundum eſſe archiepiſcopalem, &c. &c. In alio præterea Receſſu transactum, ut cauſa notarii Heſſelman & fratrum Sultzer ſpatio quatuor menſium in Spirenſi Camera civiliter aut criminaliter finiatur, eousque ſub magiſtratûs cura & cautione detineantur: res utrimque transacta fideliter etiam eſt executa, & extructa tunc urbis propugnacula hoc adhuc anno 1721. dum hæc ſcribo, denſis ſenticetis & ſepibus militaribus ſunt circumcincta, inque ejusdem defenſionem fœdere Cæſareo Brandeburgico urbs eſt incluſa. Transactione ſubſcriptâ & ſignatâ jam videbatur Colonia ſecuritate gaudere, cùm ecce paucis pòſt diebus ingenti percutitur terrore, audiens mareſchallum Crequium & marchionem de Louvois Bonnam, & decem gallicas vexillationes Noveſium ingreſſas, qui illud tumultuariè communirent, & domum annonariam inſtituerent, ſimulque indigenæ territi publicato electoris ſui manifeſto, quomodo tam archiepiſcopalis quam gallicus miles ſit gerendus, tractandusve; quâ auditâ Gallorum expeditione Cæſar arcem & munimentum Homburgum à Lotharingo exulante in Cæſaris & Imperii Romani poteſtatem ſeu ſecuritatem per modũ ſequeſtri conſignatum, ne in gallicam cederet poteſtatem, archiepiſcopo Trevirenſi committit, ſufficienti illud roborandum præſidio, & adimpleto contractûs Receſſu ſtatim indubitanter Comiti Naſſovio Sarbruck reſtituendum.

Galli Noveſium occupant.

Idem

Idem Ludovicus Rex in Flandriam 24. Aprilis profectus cum regina, fratre Duce Aurelianenſi, Condeo, Longuevillo &c. fortificationes ibidem per Vaubanum Dunques quæ in extruendo novo aggere ducentis ulnis in mare extenſo inſpecturus, & finitimum militem luſtraturus; quo viſo Dunquerquâ 25. Maji abiit Inſulas, Audenardam, & 30. appulit Tornacum; Athi 15. Junii ſpectato triginta millium exercitu contendit Carolo-regium, & ſpectatis utrobique urbium fortificationibus reverſus Athum audit filium ſuum Ducem Andegavenſem, ſimulque miniſtros Tellierum & Lionne graviter decumbere, quare Pariſios reverſus eſt, ubi 20. Julii Philippus filius ad ſuperos ſemigratus in plumbeo loculo primùm, tum argenteo tumulatus & inſcriptus: Hic jacet potentiſſimus Princeps Philippus, filius Ludovici XIV. & Mariæ Thereſiæ, trium annorum, minus 25. diebus; paucis pòſt diebus obiit Hugo de Lionne, quadrageſimo ſui miniſterii anno, in cujus locum aſſumptus Pomponus.

Ludovicus R. Flandriã luſtrat.

Ejus filius Philippus obit.

97. Hoc anno geminâ aula Palatina gaviſa eſt matrimonii lætitiâ: Carolus hæreditarius electoris Palatini filius Wilhelminæ Erneſtinæ Regis Daniæ filiæ deſponſatus, eam 30. Septembris in amœniſſimis Ladenburgi campis, dimidio Heidelbergâ milliari diſſitis (ante cujus extructionem Ladenburgum olim Palatinatûs erat metropolis) regio exceptam ſplendore parens Elector conduxit Heidelbergam: cujus filia Charlotta Eliſabeth Duci Aurelianenſi Ludovici XIV. Regis fratri Philippo eſt juncta matri-

Carolus Palat. filiæ Daniæ & Charlotta Aurelianenſi nubit.

trimonio, operâ potiſſimum & ſtudio Duciſſæ Mantuanæ viduæ Palatinæ, relictâ Calvinianâ Romano-Catholicam induit Metis religionem, cujus internum jam pridem attactum ſenſerat & inſtinctum, à Benedictino Abbate ab Ibou probè inſtructa, 15. Novembris publicam ejuſdem catholicæ religionis profeſſionem ſecundum Concilium Tridentinum in metropolitana Metenſi, coram archiepiſcopo emiſit; die 16. ibidem Sacramento confirmationis munita, & ſub miſſæ ſacrificio ſacro euchariſtiæ pabulo eſt refecta, non ſine ingenti totius Palatinatûs admiratione. Pactis ſponſaliis Philippus mox ſponſæ ſuæ donum 40. millium imperialium ſubmiſit, & Ludovicus Rex Philippo fratri ducatum Nemoſienſem donavit: copulâ 21. Novembris Cabillonii peractâ, ambo ad S. Germanum & Pariſios abeuntes, magnificâ in aula excepti pompâ Rex Neoſponſæ in donum nuptiale dedit triginta piſtolettorum millia, & Regina roſam adamantinam 50. millium imperialium: quod matrimonium ideo Rex promoviſſe dicitur, ut jus aliquando & allodialem ſucceſſionem in Palatinatum, firmamque in Germaniæ viſceribus ſedem (quod pridem optaverat) acquireret, quem palatinatum iniquiſſimis poſtea bellis, devaſtationibus, latrociniis, & tot hominum innocentium ſanguine crudeliſſime rapere fruſtra tamen tentavit, de quo latius infra. 376.

Charlottæ converſio.

Hoc etiam tempore ibidem in Gallia in lucem prodiit tam ſecularis quàm regularis in Galliæ regno cleri numerus copioſiſſimus, regi quandoque exigenti dono gratuito acceptiſſimi: nu-

Gallici cleri numerus & reditus.

numerat enim 14. alii ajunt 18. archiepiſcopatus, epiſcopatus 95. alii 120. parœciarum centum quadraginta millia: 1356. abbatias, credo ſeculares, & 869. regulares ſeu monachales, 12400. Prioratus, 206. commendatarias ordinis S. Joannis & Melitenſis, 152000. Capellanias, 700. Franciſcanorum monaſteria; monaſteriorum vero Carthuſianorum, Dominicanorum, Minoritarum, Carmelitarum, Auguſtinianorum, Jeſuitarum, aliorumque Ordinum 16057. qui clerus 249000. villas, 170. juralium vinearum millia ab ipſiſmet culta, & 3000. aliis elocata poſſident, eorumque annui reditus excurrunt ad 104. milliones, & 50000. coronatorum, unde non mirum, ſi clerus Gallicanus Regi adeo promptè aliquot coronatorum milliones ad Regni Galliæ dilatationem, & catholicæ religionis, ut prætexebat, propagationem, bonorumque eccleſiaſticorum recuperationem jam in Batavos decreto imminentique bello promittant & offerant.

98. Batavi belli jam certi præliminaria ex interdictis à rege ſuis in Gallia mercibus prævidentes, ad arma ſe tandem cogi, & centum viginti armatorum millia auctoranda cenſebant omnes ſeptem provinciarum ordines; ſed quo celeriter modo, quibus mediis, quo archiſtratego in proximo hæc fierent periculo, variis animorum paſſionibus, & adverſis diverſarum factionum ſententiis per quadrimeſtre adeo pertinaciter de uno diſceptabatur archiſtratego eligendo, ut communis hactenus & laudata ſeptem provinciarum concordia (quâ inclytâ hucuſque feli-

Batavorum diſcordes factiones.

felicitate creverant) rumpi & diſſolvi videretur: triplici namque magis interiùs quàm exteriùs ardebant factione, prima erat principis Auriſionenſis, altera Wittenſis, & tertia neutralis: plures provinciæ Auriacum eligebant Principem Majorum meritis & fortitudine, principis etiam generoſitate, maturo judicio, prudentiâ, aliisque principalibus & militaribus virtutibus inclytum, ac præcipuè communis populi amore acceptiſſimum: Wittenſis altera mordicus rejiciebat Auriacum, tum ob juvenilem ejus minorennitatem, tum quòd libertatis tenaces, principis imperio ſubeſſe metuentes omninò recuſabant, adeoque penſionarius de Witt publicè ſe potius gallum quam auriacum fore proteſtabatur: neutralis vero factio neque auriaci auxilium & fortitudinem, neque de Witt fortunam admittebat, ſed in præſenti admodùm periculo Regis Angliæ ſperabat tentabatque ſubſidium, quod Wittenſes etiam permittere videbantur, quia impedire nequibant, aut ne proditionis ſuſpicioniſve præberent anſam, præviderentque fruſtra illos apud Anglum laboraturos.

Angli & Sueci Gallo adhærent.

Miſſo igitur ad aulam Britannicam legato Boreelio, omnes regii miniſtri triplicis hucuſque fœderis continuationem confirmant, regiumque ſubſidium liberaliter appromittunt; quæ etiam veridica & indubitata ſuis Boreelius Batavis ſcripſit; ſed aulicis policismis deceptus & nimium credulus, vel ut alii ſcribunt, ignarus adhuc aulæ diſcipulus, penitiùs regis conſilium inveſtigare neglexit: Rex nempe copioſam centum & ſeptem navium claſſem gallicæ ad debel-

lan-

landos conjunctim Batavos adornari jubet adjungendam, fictâ causâ (quam nullam habebat) quòd Anglicæ vela non dimiſerint liburnicæ: hancque claſſem in tres diviſit partes, ſeu phalanges, cujus architalaſſus regis frater princeps Eboracenſis, ejus vicarius ſeu legatus Comes de Sandwich, & navarchus Georgius Aſcu ſunt conſtituti. Idem omnino contigit apud tertium triplicis ligæ confœderatum Suecum, quem cum Elector Brandeburgicus in tanto ubique armorum adverſus Batavos delectu per legatum interrogaſſet, cujus ipſe ſequeretur partes, pacemque omnibus ſuadens viribus, bellum hoc impediturus, hoc à Sueco accepit reſponſi, ſe pacis tranquillitatisque germanicæ fore conſervatorem & propagatorem intentiſſimum, dum Rex Galliæ per legatum ſuum Pomponum, & Rex Angliæ per ſuum Coventrium à triplici illum fœdere, & Batavorum ſocietate urgentibus argumentis & rationibus conarentur divellere, regni etiam cancellarium Comitem de la Gardie haberent in hoc ſibi faventem; contradicente vero factione Biornklavianâ nihil ambo potuerunt hoc anno impetrare, prælatâ potiſſimorum conſiliariorum votis pace, & Germanorum amicitiâ, quorum adminiculo ad tantam excreviſſent potentiam, ut ſcribunt *Puffendorff.* & *Valckenier.* Sequente autem anno mortuo Mathiâ Biornklavio aureis Suecos globis Gallus expugnavit. Ubi Stockholmiæ miſſionarius P. Joannes Starck Societatis Jeſu capitis fuit condemnatus ob fidei catholicæ prædicationem, ægrotorum viſitationem

Sueci catholicos regno expellunt.

nem & conſolationem, ac heterodoxorum converſionem; legati tamen hiſpanici interceſſione demum dimiſſus; ſed renovato regio edicto omnes religionis catholicæ miſſionarii, & cujusvis ordinis ſacerdotes, ac imprimis Patres Societatis Jeſu ſub pœna capitis publicè in perpetuum toto Sueciæ regno ſunt proſcripti & expulſi. Sed ad priora revertendo, idem Ludovicus Rex per ſuum Viennæ reſidentem legatum Gremonvillum propagandæ religionis catholicæ ſpecie, & juſtâ ablatorum Catholicis bonorum reſtitutione Cæſarem expeditionis ſuæ forte interemtorem metuens, tentavit ad neutralitatem allicere; at Leopoldus gallici policiſmi & doli admodùm gnarus, Ludovicum non religionis ſed regionis appetentem non admiſit, ſed rejecit.

Motus in Dalmatia ob limites compoſiti.

Sancita inter Venetorum rempublicam & Mahumetem nuper pax non levi collidi periculo eſt viſa, ob fines Dalmatiæ & Boſniæ inter Morlacos & Turcas, in quibus cùm varia loca incertis dominis vigente bello paruiſſent, difficili judicio veris attribui dominis poſſe videbantur. Aſt tanto ſanguine parta quies & tranquillitas mutuâ aliquamdiu patientiâ, & vigilanti demum Veneti ad Portam Ottomannicam legati Molini ſtudio mutua compoſitione ſolidari viſa eſt, ſi Morlaci civitates & loca iniquè poſſeſſa reſtituerent, & per deſignatos utrimque commiſſarios controverſos locorum limites diſtinguerentur: placuit reipublicæ conſilium, miſſoque Baptiſtâ Nano S. Marci procuratore, & Turcæ baſsâ Budenſi

denſi Mamat, poſtea Boſniæ gubernatore, conveniunt in planitie Iſſande, Saram inter & Sebenicum, ſub baſſæ tentorio, ubi 27. Julii Turcæ initio admodùm difficiles ob occupatum per ſuos armatâ manu Obrovazzum & Denim; ab impugnata autem Scardona & Riſſano inſigni clade rejecti, poſt graves tandem iteratò contentiones ob irreperibiles antiquos limites, eorumque ſcriptas deſignationes aut deperditas, aut laceratas, aut obliteratas, accedentibus autem Veneto Nobili Loranzo, & turcico Agâ Ferat, agrorum à Zara Dalmatiæ urbe limites ab iis conſtituti ſunt approbati, & admiſſi à Sebenico Scardonam uſque, atque à monte Tartaro ductâ lineâ Sebenicum uſque per totum territorium; arcem Verpogli, & amœniſſimam fertilemque S. Danielis Vallem Turcæ quidem prætendentes, Venetis tamen juſte cedere debuerunt: limitanea demum linea Eliſsâ uſque ad mare deducta eſt, ceterique regionum antiqui termini definiti permanſerunt; ſicque ventilatis iterato examine juribus deciſum & reciſum eſt, quidquid novis litibus materiam poſſet miniſtrare, & 20. Octobris utrimque ſubſcriptum, atque apud veterem arcem Conieſchum ratificatum, & mutuo eſt extraditum.

Annus 1672.

99. Annum ſeptuageſimum ſecundum ſupra milleſimum ſexcenteſimum Batavi ſibi fatalem, quod diu vix ſibi ob triplex fœdus perſuadere poterant, perſenſerunt, eoque quo ab Hiſpanis bellum averterunt, & Gallum à ſubigendo *Ludovicus triplici exercitu in Batavos procedit.*

gendo Belgio abſtrahentes, deque probroſo Beuningens numiſmate: *Sol contra Gabaon ne movearis.* Joſue 10. regi illudentes ad pacem coëgerunt, bellum in ſe graviſſimum contraxerunt; iratus namque eo Rex Ludovicus, meditatum ſecreto apparatu bellum iis 7. Aprilis indicit; incipitque quatuor agere exercitibus centum viginti millium hominum, 30000. equitum, & 90000. peditum, quorum primum & præcipuum Rex ipſe ducebat, & commendabat cum fratre Philippo Duce Aurelianenſi; alterum dirigebat Princeps Condeus, tertium mareſchallus Turennius, & quartum Luxemburgicus: quos Rex 27. Aprilis diſcedens Pariſiis ſecutus & 5. Maj. Carolo-regium, ubi totus ad Sabim exercitus aliquamdiu conſiſtens, poſt diviſus die undecimâ M.ji inde ulterius eſt progreſſus, rege interim per ducatum Juliacenſem contendente Noveſium, ubi haud procul illum Holtzemii Elector Colonienſis Maximilianus Henricus gratulabundus excepit, regali omnino convivio in aperto campo honoraturus, quod Rex excuſans & declinans, ad deſtinatam 1. Junii Rhenobergæ properabat obſidionem; quam antehac Batavi Colonienſi archiepiſcopatui injuſtè ſubtraxerant, præ omnibus illam reſtituturus: diſceſſit igitur Rex ab Electore poſt dimidiæ horæ colloquium, in quo electorem illacrimaſſe dicitur, ex magna ſine dubio indigenarum ſuarum commiſeratione, quòd Rex cum tot pauperum viduarumque lacrimis tam difficiles & cruentas conſequi vellet victorias, & tot innocentum ſanguine terram inundare: an ut illum

Excipitur ab electore Colon.

illum forſitan juſtitiam quærere crederemus? qui contra rationem & æquitatem univerſam tyrannide Europam opprimit. An pacem? qui quotquot eum ſuſcipiunt, tributarios facit, & ſibi reſiſtentes hoſtiliter tractat: an clementiam? qui fragilitatis humanæ carnifex eſt, vultque ut indomitas cupiditates ſuas dii probent, & mundi univerſi voluntatem ſententiamque condemnent: an divitias? cui neque in vivis opes propriæ, nec ea quæ à victis accipit, nec quæ à victoribus offeruntur, ſufficiunt, & mortuus tot centenorum millionum debitor voluit fieri. O veſania! ideo terrarum imperium abs eo credo affectari, ne quem in mundo dominum agnoſcat; ſimulque vitâ ſpoliare tam multos cupere, ut immortalem illorum morte famam & gloriam conſequatur, ô immanitas! Crudelis ejus expeditio.

Dum interim Rex ad rhenum ac Rhenobergam properat, Turennius 26. Maji Maſeicum haud procul Trajecto violenter aggreſſus, unius diei, alii trium horarum ſpatio ſubjugat, impoſitoque ſub marchione Chamillo mille & ducentorum præſidio, domum inſtituit annonariam, & locum tumultuariè communit, ſicque Chamillus cum viginti armatorum millibus ope Franckenburgenſi arce Trajectum ad Moſam circumcingit, ut liberum ſemper Moſæ aditum & tranſitum haberet; ideoque Rex omnium primò Trajectum adoriri meditatus, diſſuadente autem ob validum urbis & præſidii robur Turennio, diſtulit, & rhenum verſus progreditur; utque majorem Batavis incuteret terrorem (qui potentiſſimum ſæpius telum eſt vincentium) qua- Occupat Maſeicum.

quatuor ſimul urbes cingit. quatuor ſimul illos urbium irruit circumvallationibus, pariterque epiſcopi Colonienſis & Monaſterienſis expeditionis ſocii illos in Trente ſuperioris Iſſelæ provincia invadunt. Galli ut paulò antè Hiſpanum Belgium, ita nunc Cliviam pertranſeuntes, barbarâ & immani vaſtatione diripientes, potiſſima occupabant loca; imo ſe Rex Cliviæ Ducem ac Regem publicari mandabat, talemque haberi nominarique Electorem Brandeburgum gravioribus ſub pœnis interdicebat. Prima igitur die Junii Rex obſidione cingit ad ripam rheni Orſovum, & Rhenobergam, Condeus eodem die Weſaliam in Clivia ad os lippæ, & Turennus Buricum ad rhenum: Orſovum poſt triduanam defenſionem captivas dedit manus, retento à Gallis præſidio, quòd bellicis non niſi tormentis ſe voluit ſubmittere; Rhenoberga ſine ulla reſiſtentia Duci de Duras ſpontaneam eodem die obtulit deditionem, cum præſidio & vice præfecto Oſſeryo, Trajectum deducto; Buricum ſimiliter triduo pòſt eſt devictum, præſidiumque fallaciter contra fidem captivatum: ceſſit denique etiam 5. Junii non exigui roboris Weſalia cum ſuis præſidiariis in Condei poteſtatem, occupatâ prius 2. Junii armatâ manu ad Lippam munitione: cauſa maturæ adeo deditionis erat exiguum anſeaticæ urbs præſidium, equeſtris unica vexillatio, & mille ducenti pedites, plures alios Batavi inde ad tractum Iſſelæ defendendum eduxerant: tum etiam inſolens urbis confuſio & proditio; tum denique quòd Galli in urbis jurarint perniciem, ſi armatâ illam manu interciperent, nulli

Capit Orſovū, Rhenobergam, Buricū, Weſaliā

nulli, nec infanti in matris utero parcituros; hinc tam miles quàm cives ingenti perculſi metu urgebant deditionem. Similem expertum eſt fortunam non exigui roboris Reeſum, 9. Junii ſpontaneâ ſe traditione, & præſidii captivitate Turennio ſubmittens, præſidiarii autem Emmericenſes relictâ 8. Junii urbe aufugerunt ad inſulam Rheni Schenckenſchantz, munimentum omnium, ut putabant, ſecuriſſimum; quare Condeus Emmericum ſic inſperato derelictum cum filio ſuo ingreſſus, ſeptem dimacharum vexillationibus illud communit, & in regis eò appropinquantis defert poteſtatem. Tantam tot fortiſſimarum urbium jacturam exitiabilis regentium diſcordia, & militaris imperitia præfectorum & ignavia, intulit, qua ubique bellici apparatûs fuerat defectus, collapſa fortificationum ruina, & neglecta earundem reparatio, probatæ militiæ inopia, & ſupremus denique belli deerat imperator; ducem quidem Auriacum plures deſiderabant ſtatus; ſed vatinianum penſionarii Joannis de Witt odium ſemper rejiciebat.

Reeſum.

Emmericum.

Cauſa fuit diſcordia & imperitia.

100. Hiſce feliciter glorioſeque peractis, ſimul & de rheni tractu jam Rex ſecurus, in alteram Geldriæ partem, Betaviam, quæ duobus fluviis Waal & Rheno includitur, belli convertit conſilia, rhenus namque haud procul Schencken-ſchantz in duo diviſus brachia, ſiniſtrum Waal, dexterum retento nomine rhenus Ultrajectum & Lugdunum Batavorum præterfluens in Mare ſe exonerat; qui quid igitur terrarum intra hos fluvios & mare concluditur, Ba-

Odium Witt in Auriacū

Rheni diviſio effecit Betaviā.

Batavo durum olim, nunc communiter indigitatur Betavia, quam Ludovicus neutiquam niſi tranſito rheno aut Iſſelâ poterat invadere; Iſſelam vero quia Batavi juſto firmaverant exercitu & aggere, ideoque ejus tranſitum periculoſum Turennius diſſuaderet, Rex rheni tranſitum ratus tentandum, pontis illud navalis defectus prohibebat; ſed ecce commodam rheni tranvadationem ruſticus, vel nobilis quidam ſe Condeo à rege imperatam oſtenſurum promittit; ruſtico è regione domûs telonariæ præeunte ſubſecutus Comes de Guiche commodum ibidem rheni tranſitum invenit, regi mox indicatum, qui per Condeum ſine mora duo equitum millia, totidemque cataphractos Guicho attribuens transvadationem jubet, & additis aliquot tormentis 11. & 12. Junii Rex ipſe media nocte inter 200. tædas eò properans ſpectator, alacriores ſuâ præſentiâ milites in re admodùm temeraria excitavit. Guichum præcedentem plures comitati ſunt voluntarii duces de Vivonne & Coaslinus, comites de Sauls, de Lionne, Chauvillus, & de Nogent, qui tamen ultimus aquis miſerè ſubmerſus eſt; Condeus verò cum filio duce Angienſi parvâ transfretavit naviculâ, & generoſior Dux Longuevilleus equo. Vix Galli ac ne vix quidem Rhenum transmeati, Batavorum Generalis Mombas, qui eos arcere, & telonium debebat defendere, auro corruptus proditoriè ſe cum ſuis inde fugâ proripuit, imo transfuga Gallorum poſtmodum caſtra ſecutus eſt, dum maturioris fugæ accuſaretur. Hoc audiens Auriacus, illicò Generalem Würtzium illùc

Galli rhenum transvadant ad teloniū.

Mombas proditor fugit à telonio.

illuc cum duabus ſubmittit legionibus, aliquamdiu reſiſtentibus, ut inter alios Comes Revelus lethiferè vulneratus fuerit; ſed cùm plurimùm Gallorum copiis impar eſſet, eorum viribus coactus eſt cedere; Duces autem Longuevilleus & Angienſis furiosè telonium aggreſſi dum præſidiarii vitæ ſalutem expoſtulantes, ſeque ſubmittentes ob tumultum fortè non exauditi, paſſim trucidarentur, ſuam reliqui deſperatè mortem & ſanguinem ulturi, præcipuos Gallorum Duces Longuevilleum, marchionem de Guitry, & duos alios plumbo trajecerant; Ducem Coaslinum, Comites Saulx, Vivonne, marchionem Beringhenum, principem Marſillacum & plures alios vulnerarunt, & multos gregarios occiderunt læſeruntque: Condeus etiam confuſionis tumultum impediturus accedens, in ſiniſtro periculosè brachio vulneratur. Galli acerbè ferentes à tam exiguo militum manipulo tot generoſos Duces & comites fuiſſe læſos & interfectos, deploransque maximè Condeus nepotem ſuum Longuevilleum in tam vili conflictu amiſſum, qui in Liberi Comitatûs ſeu Burgundiæ invaſione, & in celeberrima Candiæ contra Turcas propugnatione non minus fortiter quàm generosè ſemper pugnavit, ut candidatus in regis Poloniæ electionem proponi meruerit, hinc dolore in iram & vindictam mutato, Condeus telonium, ejusque optimi roboris munitionem, quo ſua plures accolæ conſervationis causâ tumultuariè depoſuerant, armatâ capi manu, cuncta mactari & expilari mandavit cum inſignibus rerum omnium ſpoliis; atque

Conflictus ad teloniū.

Telonium capitur.

ita Batavis à tractu rheni per Guichium depulſis, navalis rheno pons ſecurè inſtratus totum deportavit gallicum in Betaviam exercitum, & Batavi deſertâ Iſelâ copias ſuas contrahunt, quam præ rheno trajiciendam primò exiſtimabant: & quo rheni transvadatio videbatur difficilior, eo glorioſior gallorum de illa erat jactantia, quam absque omni dubio Batavi impedire debuiſſent, & potuiſſent, niſi corruptus, & à Penſionario de Witt probè inſtructus Mombas aufugiendo prodidiſſet, ſimulque rhenus tum temporis ob intenſum aëris calorem admodùm vadoſus fuiſſet.

101. Cùm itaque Rex tam levi manu ſibi aperuiſſet Betaviam, totius uniti Belgii januam, Turennius 14. Junii Arnheimium divitiis, pulchritudine, potentiâ & fortitudine in Geldria ad rhenum præſtans ſpontaneâ capit cum præſidio deditione, quod alterâ eodem modo die 15. Junii Knodſenburgum, dein paulò poſt Thielum, Vooren, & fanum S. Andreæ, loca aliàs non facilè vincibilia ſunt ſubſecuta: & ut nequidquam relinqueret à tergo intactum, robuſtiſſimam Schenkenſchantz munitionem, à Martino Schenckio anno 1586. in rheni inſula Gravenwert extructam circumcingit, & 17. Junii deditione, ſimul & præfecti proditione quinquaginta millium imperialium pretio ſuæ facit poteſtatis, & indubitatâ clavi ad ceteras Batavorum provincias portam aperit; quare ſine ulla reſiſtentia Amersfortium & Nardenum tribus Amſtelodamo leucis diſſitum ſe ſubmittunt. Hinc Rex

Ludovicus Betaviam obtinet, Arnheimium & plura alia.

Schenckenſcantz.

Amersfort. Narden.

Rex cum exercitu deſerens Emmericum movet in Zutphaniæ Comitatum, & 17. Junii antiquiſſimam urbem Duisburgum circumvallat, apertisque 20. Junii caſtrenſibus vallis Brandeburgicum cum civibus præſidium generosè ſe quidem defendit: at cùm 21. Junii è quatuor tormentorum ſuggeſtibus viginti murariis quateretur tormentis; ſubmiſiſſimè Regis ſuſcepit imperium: quemadmodum Zutphania Geldriæ civitas à Regis fratre Aurelianenſi 22. Junii cincta, dum obtentâ 24. die cataractâ octo orgyarum latæ foveæ aquis evacuaretur; victas ultro dedit manus, quamvis urbs novem propugnaculis, duobus cornutis, & quatuor ſemilunis probè roborata, fortiterque à præſidiariis fuiſſet propugnata; captivum attamen præſidium fuit abductum. Reliquas ad Iſelæ tractum civitates, Epiſcopis Colonienſi & Monaſterienſi aſſignatas, illi, ut jam dicam, occuparunt.

Duisburg.

Zutphen.

102. Maximilianus Henricus poſt habitum cum Rege Galliæ Ludvico prope Noveſium, de inſtante bellica expeditione colloquium, Archidiœceſis Colonienſis civitatibus Bonnæ, Noveſio & Cæſaris-Inſulæ, auctoratum ſuum in Bavaria militem impoſuit, & reliquum in Comitatum Benthemienſem ad armiluſtrium in erice Brandlicht prope Nordhorn ad Monaſterienſes dimiſit, paulò pòſt ipſe ſubſecutus, ubi Epiſcopus Monaſterienſis Gallico milite, belliducibus, & nervo bellico optimè proviſus, conjunctatum copiarum exercitu 1. Junii inde moto Grollam Zutphaniæ urbem, exiguæ magnitudinis, ſed

Maximilian. Elector conjungit ſe Monaſterienſi.

magni roboris aggreditur; in itinere autem miſſis aliquot in Twenten equitum agminibus obvias urbeculas & oppida Oldenſeel, Otmarſen, Enſcheden, Almelo, Delden, Goor, & urbem cum toto dominio Borkelo intercipit, & abſque præſidio ſalvæ tantùm fidei tutores imponit; Grollam verò eodem adhuc die circumcingens continuis ita vexat pyrobolis & ſphæris incendiariis, ut certis nonâ die conditionibus ultro ſe tradiderit; cauſam tam maturæ deditionis, quamvis à Carolo V. 6. propugnaculis, ſex defixis caſtellis, & 6. ſemilunis egregiè communita eſſet, adſcribit Valckeiner exiguo ſexcentorum præſidiariorum numero, & præfecti Tongelii imperitiæ. Inde miſſis Brevoortum duobus armatorum millibus, illud 18. Junii expugnat; ipſe cum exercitu Borkulum adortus ſine reſiſtentia occupat. Tum Epiſcopus ſic marte ſibi favente ut audivit Velaviam à Batavis derelictam, & Arnheimium à Gallis captum, impetit Daventriam, duobus milliaribus Zutphaniâ, & 4. Swollâ diſſitam, ſuperioris Iſelæ metropolim, auguſtam, populoſam, 4500. militum præſidio, civium ſupra bis mille, pluribusque accolis illuc profugis, & muris admodùm firmis communitam, & tam bellico apparatu quàm commeatu ſufficienter inſtructam; hanc 20. Junii continuis totâ die ignibus, pyrobolis & tormentis ita verberavit, ut Camerarius, ſeu theſaurarius Henricus Niland cum reliquo magiſtratu & urbis præfecto Stecke æquis urbem conditionibus extradendam exiſtimaverint, cui acerbiſſimis omninò verbis & argumentis pro-

ditio-

Varia oppida & Grollam occupant.

Et Brevoortũ, Borkulum.

Daventriam.

ditionem ſuſpicantibus Conſul Buchholtz cum majori civium parte contradicens ſe mordicus opponebat. His tamen, & vetere conſule Burg licet obſtantibus, & poſt graviſſimas utrimque altercationes duo alii conſules cum Nilando & aliis tribunis in hoſtium caſtris deditionis pangunt conditiones, ut Reformatis ſcilicet permitteretur conſcientiæ libertas, & duæ urbis Eccleſiæ; urbs deinde Romano Imperio ſub poteſtate Electoris Colonienſis & Principis Monaſterienſis incorporaretur: Senatores ad novam uſque magiſtratûs electionem in ſuo permanebunt regimine: civibus & incolis libera manendi vel exeundi dabitur poteſtas; præſidium denique captum (exceptis 12. tribunis cum ſuis impedimentis liberè laxatis) duobus incluſum Eccleſiis nonniſi ſoluto lytro dimittetur, nec alio immoderato militari præſidio nonniſi germanico urbs firmabitur.

Durante hac Daventriæ circumvallatione plura inſuper oppida Hattem, Elburg, Hader wick, Swol & alia intercepit, atque ita felicem victoriæ curſum continuaturus, invincibile hactenus naturâ & arte munimentum & urbem Coverdum, latis undique paludibus inſitam, & tribus nonniſi aditibus acceſſibilem, ideoque Friſiæ, Groningæ & Ommelandiæ januam aggreditur, tum quòd imbecillum & enervem urbis ſtatum & apparatum abs priori ejus præfecto Brôrſma, proditionis ſuſpecto, ideo depoſito & ad Epiſcopum transfugo, intellexiſſet; vel quòd ignibus & globis ſuis punicis brevi domandam ſperaret. 30. igitur Junii 1100. equitibus

Et varia oppida, Haderwick, Swol, Coverdum.

tibus Gallis urbem cingit, & 4. Julii decem equitum & ſex peditum millibus totam circumvallans, à die 5. uſque 10. Julii innumeris pyrobolis & fœtentibus ignibus incredibiliter coangustavit, plures domos incendit, & 7. Julii plusquam ſexaginta pyrobolis urbis granarium, & pòſt alterum devaſtavit, omnique deſtituit commeatu; mediâ autem nocte decimum inter & undecimum Julii facto impetu exteriorem urbis murum & ſemilunam ſine valida reſiſtentia occupat, quo præſidiarii perterriti, die alterâ pactis tabulis ſe Epiſcopo ſubmiſerunt, quia nimiis crebriſque ejaculationibus ſclopeta & tormenta bellica corrupta, defectu fabri & balliſtarii reparari non poterant; deficiebat etiam pulvis nitratus & globi, aliaque multa ad defenſionem neceſſaria; & abſque ulla ſuccursûs ſpe miles nec volebat, nec poterat pugnare. Hem quanta Batavorum negligentia lucro potius inhians, quàm reipublicæ ſaluti & defenſioni proſpiciens! Plus ultra, plura inſuper oppida Monaſterienſe admiſerunt ultrò præſidium, Alte und newe ſchantz, Winſchotter-Zyls, Wedder-Schantz, & Byler-forts, munimenti Bourtangi præfectum ducentis francorum millibus, & quemlibet capitaneum quinquaginta millibus ad traditionem proditoriè ſollicitans, rejectus eſt, & generalis Martelus re infectâ coactus eſt abſcedere.

Batavorum negligentia.

Captis aliis oppidis Bourtange reſiſtit.

103. Convocato igitur bellico conſilio an Friſia necdum inundata, omni apparatu bellico vacua, terrore & confuſione repleta, & ſine omni reſiſtentia facilè obtinenda, eſſet aggredienda,

enda, quâ captâ Groningam navibus facilè occludendam; alii Delfziel irruptionem ſuadebant, omni apparatu commeatuque deſtitutam, anglicæ claſſis ſubſidio utramque ſimul provinciam Friſiæ & Groningæ haud difficulter ſubigendam: Epiſcopus Monaſt. militarem præ cæteris vim Groningæ applicandam cenſebat, idemque ſuadebant ob urbis diſcordias Schulenburgus & Brôrſma, (quos Valckenier patriæ vocat proditores) & duo balliſtarii General. Krohn, & tribunus Speckhan, incendiarias ſuas ſphæras & pyrobolorum virtutes jactantes, vix tolerandas: accedens demum Colon. Elector Grôningam arietandam perſuadet; intra quinque enim dies, ajebat, erit mea, creaturarum ibidem mearum fide certus. Decreta igitur Grôningæ impugnatio, urbs ampla & auguſta, 17. propugnaculis, & latâ profundâque foveâ circumdata, quæ circum circa apertis cataractis inundari poteſt, & tunc temporis 1200. armatorum præſidio, civium & operariorum viginti duabus; ſtudioſorum verò unâ vexillatione communita, apparatuque bellico & commeatu providè inſtructa, quam ſingulari induſtriâ urbis præfectus Carolus Rabenhaupt ad vegetam generoſamque diſpoſuerat defenſionem; prævidens enim ſe proximè impetendum, omnia extra urbem domicilia, hortos & ſuburbia igne deſtruxit: cumque Epiſcopus 22. Julii cum 24000. exercitu urbi appropinquaret, apertis cataractis omnia circumquaque inundavit; ille vero eodem adhuc die caſtrenſia valla aperire, tormentorum ſuggeſtus erigere, mœnia terribiliter

Groninga cingitur.

à Rabenhaupt defenditur.

liter flagellare, & fœtentibus horribiliter ignibus furere: nec feriabantur obſeſſi; ſed continuis ejaculationibus hoſtium ſuggeſtus evertere, valla deſtruere, mortaria & tormenta eorum muraria diſrumpere, pyrobolos injectos ocius extinguere vigilanter laborabant; quælibet enim domus ad januam infra, & in ſuperiori tecti tabulato paratam & aquis plenam, juſſu Rabenhaupt, cupam habebat, quibus Anabaptiſtæ in diverſas tres partes diviſi, incendiarios globos & ignes ſolerter extinguebant. Trigeſima demum Julii Monaſterienſes decretoriam nocte in propugnaculum Adewater-Syl tentantes impreſſionem, inſigni clade ſunt repulſi, adeoque eâdem die Elector Colon. & Epiſcopus Monaſt. datis ad urbem literis ſpontaneam poſtulant deditionem, promittentes Groningam ad Imperii Romani matriculam, germanamque libertatem reducendam; ſin minus, ferrum & ignem, omniaque minantur peſſima. His illi minimè territi, juratæ defenſionis conſtantes, die tertiâ Auguſti in caſtrenſes Colonienſium foſſas erumpentes plures mactarunt, & multos in urbem reduxerunt captivos: quo inſano impugnatores furore frendent, & frequentiores ſolitò ſphæras, majoresque 500. libr. pyrobolos injiciunt, & domicilia incendunt; urbani vero tot incendiis & ruinis contumaciores iteratis excurſionibus inferunt damna graviſſima, continuo præſertim ſubſidio, munitione, commeatu, recentique milite ex Friſia & Hollandia confirmati. Demum tentato fruſtra ponte Hoger & Ruyſſer, die 27. Auguſti obſidionem tantis laboribus

boribus & ſumptibus impenſam non ſine dedecore ſolvunt, deſideratis ſeptem ſuorum millibus, in urbe vix centum deficientibus; cauſam maturioris diſceſsûs exiſtimant alii Cæſareô-Brandeburgicorum adventum, apparatûsq; bellici & commeatûs penuriam: alii militum conſumptorum defectum, tormentorumque & mortariorum inopiam, quæ extremò Epiſcopus triplici nimiùm nitrato farcire pulvere juſſerat, ideoque inutilia effecta & diſrupta ſunt; potiſſima vero cauſa videtur, quod urbs fortiſſimis roborata muris & propugnaculis, latis undique inſerta paludibus inacceſſibilis, adventu gallici legati Verjus caſtra inde ſubmoverit. Taliter quoq; irrita fuit Embdenſis civitatis ab Epiſcopo ad ſe provocatio, qua abs ejus deputatis exegit, ut ad pacem ſecuritatemque ſuam ſtabiliendam ejecto Batavico Monaſterienſe 2000. admitterent præſidium; ſed abſurdam & iniquam ejus poſtulationem recuſabant Embdenſes, Batavorum ſocietatem & amicitiam nunquam dimisſuri.

Deſeritur.

Irrita Embdē provocatio.

104. Tertius hujus belli ſocius & confœderatus Rex Angliæ Carolus militarem ſuam in Batavos expeditionem hactenus nervi bellici inopiâ (nam decretam illi à parlamento ſummam jam modò deliciis & voluptatibus conſumpſerat) diſſimulaverat, pacto demum 12. Februarii cum Gallo offenſivo fœdere (in quo vix tamen alter alteri fidebat) cùm opportunè audiret Smirnenſem Batavorum claſſem 180. orcis auri divitem in via brevi adfuturam, conſilio & ſuaſu gallici legati Colberti claſſem ſubitò,

Carolus R. Angliæ Gallo confœderatur.

tò, piſcatûs prætextu, adornari jubet, Batavorum claſſem argenteam aggreſſurus, quo commodius bellum ſine parlamenti aſſiſtentia poſſet gerere. Miſſo igitur 23. Martii cum 38. militaribus, ſeu dicam prædatoriis, navibus Capitaneo Holmes, octo primùm militaribus, Batavorum 5. præſidiariarum ſeu militarium, & 61. onerariarum, ſeu vectoriarum navium claſſem ad Inſulam Wicht hoſtiliter aggreſſus, eo die contra egregiè paratos & diſpoſitos nihil potuit efficere; die altera 4. adauctus navibus illos rurſus adortus; unam illorum militarem, & tres aut quatuor onerarias intercepit, quod graviſſimè populus & inferius tulit parlamenrum, eò quòd Rex ſine ulla belli indictione, contra jus gentium & Bredana pacta, absque parlamenti utriusque ſcitu tam perfidè Batavicam liberam, hactenus amicam & ſociam nationem ita deprædaverit.

Batavorum claſſem aggreditur.

Hæc omnia Rex deſpiciens 7. die Aprilis (eodem quo Pariſiis die) publicato manifeſto bellum Batavis indicit, pariterque per totum Angliæ regnum Regis Galliæ conſilio plenam conſcientiæ & religionis proclamat libertatem, ſpe fretus, quod ſic aliquando Regis Galliæ conſilio & ſubſidio, ſicut ipſe, merum & abſolutum regni Angliæ adipiſceretur imperium: quemadmodum etiam inter hos Reges fuerat conventum, ut quidquid hoc bello maritimarum urbium & portuum ambo obtinerent id Angliæ, & quidquid terrarum, illud Galliæ Regi obtingeret: ideoque hic triginta naves militares ad Anglicam claſſem, ille aliquot armatorum millia ad galli cum dimittit exercitum, ſicque conjunctis

Et bellum indicit.

Ambit deſpoticum regni imperium.

junctis invicem navibus Anglicis 20. ſub Architalaſſo Duce Eboracenſi, & Com. Montagu, cum 30. gallicis ſub Architalaſſo Comite d'Eſtrees, ſimul 50. militaribus navibus, 7. Junii prope Sulsbey Batavicam 71. navium militarium claſſem ſub Architalaſſo Ruyter, & vice-talaſſis Banquert, & von Gent, in tria utrimque agmina diviſos, ingenti alacritate invadunt; Eſtreeus in primum Batavorum agmen Banquertum incurrens incredibili fortitudine confligit; nec minus generoſe Ruyterus medium ſuum agmen in Ducem Eboracenſem ducit, ut ex ſola ſua prætoriana navi centum quinquaginta pulveris nitrati centenarios ejaculando conſumpſerit, ultimo verò agmine vice-admiralis de Gent adeo pertinaciter Comitem Montagu quaſi ex vindicta prioris cujusdam conflictûs irruit, ut mortem ipſam ſubierit, tantus itaque erat utrimque naumachiæ ardor, ut mane horâ octava incepta ad veſperum uſque perſeveraverit: at meridie reſiſtentibus urgentibusque acriter Gallos Friſonibus & Mattiacis ſeu Selandis, fugam Galli deſertis Anglis capiunt, qui ſoli ad veſperum uſque Batavorum vim ſuſtinentes, & ipſi demum ad ſua revertuntur, à Batavis ob maris tranquillitatem non ultra perſecuti; ſex tamen militares amiſerunt naves, quarum tres ſubmerſæ, duæ incenſæ, & una capta; Galli duas 80. & 70. tormentorum naves, & Batavi die alterâ extra pugnam unam, fortuito caſu in aërem evibratam; claſſiariorum denique Anglicorum 2330. cum 18. capitaneis & nobilibus ſunt cæſa, & 19. vulnerati, plurimum de Gallorum fuga queſti,

Naumachia gallo-anglo-Batavica.

Gallorum fuga.

ulteriorisne cædis metu & periculo, an autem ſtudio, ut maritima ambarum nationum potentia ſeipſam contereret, eviſceraret, & omninò exinaniret eſt ambiguum. Hoc certum tam in Gallia & Anglia quàm Hollandia de hac dubia triumphatum eſſe victoria.

105. Ludovicus interea Rex obtentâ ſic levi manu Betaviâ, Velaviâ & comitatu Zutphaniæ, dum Auriacus à GeneralibusStatibus cum exercitu Ultrajecto ad defenſionem Hollandiæ revocaretur, Ultrajectini miſſis ſuis Duisburgum ad Regem deputatis, certis ſub conditionibus eidem ſe ultroneè ſubmittunt, qui mox urbi Marchionem de Rochefort 23. Junii cum præſidio centum bombardariorum imponens, eò ipſe cum exercitu ſubſecutus, duabus ab urbe horis ad pagum Seyſt conſedit, ubi multi Regem legati Hiſpaniæ, Angliæ, Sueciæ, Trevirenſis, Heidelbergenſis, Neoburgicus & Hanoveranus congratulantes ſalutarunt, indeque inter fratrem Ducem Aurelianenſem, & Ducem Monmuth eques Ultrajectum ingreſſus, civibus ſe ſpectandum admirandumque præbuit, ſed mox egreſſus ſuum repetit in Seyſt hoſpitium; ubi inter regales epulas oblata & prædicata Regi ſunt hæc encomia:

Ultrajectum ſe Gallo tradit.

Ludovico multi congratulantur legati.

Ludo viciſti gentes Ludovice potentes,
Sic Ludovice tibi nomen & omen habes.
Si ludo fortes didiciſti vincere gentes,
Quid facies, quando ſeria bella geres?

Alius:

Una dies Lotharos, Burgundos hebdomas una,
Una tulit Batavos luna, quid anne feres?

Felicior Julio Cæſare: venit, vidit, vicit. Hol-

Hollandiam quidem Rex, cui proximus erat, unicè ambigebat; ſed quibus modis? hìc opus, hìc labor; ſi tentaſſet, univerſali facilè Batavi inundatione ſolutis cataractis totum Regis exercitum poterant ſubmergere & delere, aut frendentis vulgi furorem vix Rex ipſe ſubterfugere potuiſſet; pacificam verò utrimque tranſactionem Duisburgi jam modò 23. Junii tentatam ambitioſa Regis non permittebat cupiditas; quæ nihil omnino de jam occupatis & occupandis interea provinciis & urbibus reſtituere cogitabat, niſi æquivalens illi extraderetur, unica frigoris tempeſtas, & aquarum congelatio ſpem aliquam promittebat; ſed & hæc varia ſemper eſt & inconſtans. Alias veriſimiles Hollandiæ non devictæ cauſas gallicus allegat ſcriptor *Marchio de la Fare pag.* 52. quòd Rex March. Rochefortum cum 500. tantùm equitibus Muidenam, duabus & dimidiâ horâ Amſtelodamo diſtantem dimiſiſſet; quòd ſi Rex eum toto, aut majori parte exercitûs eo progreſſus obtinuiſſet cataractas, tota ſine ulla reſiſtentia illi ceſſiſſet Hollandia; & cùm Rochefortus tardius eò procederet, ſufficiente Batavi Muidenam munierunt præſidio, cautè ſtudioſéque cataractis illis invigilante, easque poſtmodùm opportunè aperiente totam inundavit Hollandiam. Deinde tardius ad Iſelæ tractûs occupationem Rex moratus potius Hollandiæ viſcera penetraſſet, aquis necdum tunc inundata. Præterea viginti ſeptem captivorum millia ſoluto pro quolibet duorum dalerorum lytro Batavis remiſit, quibus ipſi paulatim potentiores Gallis fiebant

Hollandiam fruſtra ambit.

Hujus cauſæ.

fiebant reſiſtendo, Rege præſertim menſe Auguſto in Galliam revertente, poſteaquam pacis cum Batavis tractatus nimiùm à Gallis extenſi planè eſſent diſrupti; prætereaque Rex Angliæ gallicæ fortunæ invidus miſſis Duisburgum ad caſtra legatis Duce Buckingham, Arlington & Hallifax Com. non ulteriores ſolùm Ludovici progreſſus minacibus verbis prohibere, ſed occupata modò Nardenum, tribus Amſtelodamo leucis diſtans, Worden & Oudewart, tria ſeptentrionalis Hollandiæ oppida coactus eſt reſtituere, & addicta promiſſaque Regi Angliæ in Selandia oppida occupare. Ille tamen confirmato rurſus prolongatoque cum Anglis fœdere, exercitum ſuum à vico Seiſt promovet Boxtelum, duabus Sylva-Ducis horis diſſitum: inde 26. Julii cum fratre Aurelianenſi diſcedens die 1. Auguſti ad S. Germanum appulit, præpoſito priùs ſupremo totius exercitûs præfecto Turennio, qui appropinquantibus Cæſareo-Brandeburgicis copiis invigilaret; Luxemburgicus verò volatico obſervaret exercitu Auriacum.

Ei invidus Anglus.

Redit in Galliam Turennius exercitui præfectus.

106. Interea Marchio Nancreus Athenſis præfectus oppidum Artenburgum 25. Junii octo Gallorum millibus tumultuariè invadit, & ſecundo impetu ſemilunam omni milite deſtitutam facile, ſed à ducentis ſolùm præſidiariis, & ducentis civibus [plures non aderant] imperterrito mulierum adjuvamine adeo ſunt debellati & ejecti, ut 576. gregarios milites, & 39. officiales captivos Gallos in urbem duxerint oppidani, & 32. fauciorum currus Galli ad ſua caſtra reduxerint, amiſſis ſuorum univerſim & vul-

Artenburgum irrito tentatum.

vulneratis mille quingentis, re infectâ turpiter abſcedentes. Turennius pariter 3. Julii octodecim armatorum millibus cingit Noviomagū, præſidiariis civibusque probè munitum, exemplo Artenburgenſium egregiè fortiterque aliquamdiu ſe defendit; ſed brevi deſpondentes animo, 9. Julii ultroneâ ſe deditione & captivitate tradiderunt, gravibus admodùm conditionibus, intolerabilibus deinde contributionibus & direptionibus oppreſſi, quòd generoſitate ſuâ Gallorum mille trecentos proſtraverint, mille & centum vulneraverint. Cùm deinde Turrennius audiret Graviam 4. milliaribus Silvâ Ducis remotam à Batavis metu deſertam, illicò per Mareſchallum du Pleſſis occupari jubet. Mox munimentum Crevecur 13. Julii adoritur, & 19. ſuæ facit poteſtatis, uti & 20. Julii Bommelum ſpontaneâ deditione ultimò Turennius intercipit, finem hujus anni expeditioni imponens; Silvam-Ducis quidem adhuc tentaturus, niſi pluvioſa impediviſſet tempeſtas, & Electoris Brandeburgi approximatio, cui quia necdum ſe conjunxerat ſupremus Cæſaris legatus Montecuculus, Turennius tranſito ad Weſaliam rheno, in Weſtphaliam Electori obviam procedit, Marchiam crudeliſſimâ & inhumanâ direptione & vaſtatione expilans; ubi vero audit exercitum Cæſareo-Brandeburgicum ad ſuperioris rheni tractum divertiſſe, ſine morâ per Montenſem, Colonienſem & Trevirenſem provincias in Palatinatum ſuum traducit exercitum, illos ibidem obſervaturus: unde Batavi paulisper reſpitabant, ſed majora Dux Luxemburgicus meditabatur molimina.

Noviomagum Turennius capit.

Graviam occupat, Crevecur, Bommel.

Marchiam diripit, & in Palatinatum tendit contra Cæſareo-Brandeburg.

Annus jam ad finem devolutus intenſam frigoris acerbitatem, gallicæ ad invadendam Hollandiam expeditioni neceſſariam, attulerat; quare Dux Luxemburgicus Ultrajectenſis tunc præfectus, die poſt nativitatem Domini tumultuariè duodecim millium exercitu per duratam inundationis glaciem jam fines Hollandiæ tranſierat, & indubitatè ſperabat ſe mox Hagam Comitis die alterâ perventurum; ſed leni & roſcidâ ſequentis noctis aurâ glacies diſſoluta, inter medias aquas concluſus, quo ſe verteret, neſciebat, inter has anguſtias miles ſuo deſtitutus conſilio, inſano frendens furore, Deum horribiliter blaſphemat, in cœlum ejaculatur, minaturque eidem, quòd ſuo eos privaverit molimine; foramen tandem ſeu exitum ad Novum pontem, quem tribunus Moyſes Pain & Vin metu turpiter deſeruerat, [ideoque poſtmodùm capite diminutus] & ſine tormentis occupari non poterat, Galli invenientes, ad uſque Schuammerdam & Bodegrave penetrant, binaque hæc oppida omni exutâ humanitate flammis funditùs deleverunt, homines flammis vivos injecerunt, & abſciſſis priùs naribus, auribus, brachiis interfecerunt; fœminas in conſpectu maritorum, & virgines in conſpectu parentum plures ad mortem uſque violarunt, pluribus reſciſſis mammis ſal & piper inſperſerunt, alias nudas, crinibus vel aliter ſuſpenſas in arboribus miſerrimè interemerunt, & alias nefandas & diabolicas exercuerunt etiam in pueros crudelitates, incarnati quaſi dœmones: nec id mirum; nam Dux Luxemburgus, ut ſcribit Valckenierus & alii, gra-

Dux Luxemburg periculosè tentat Hollandiam.

Ejus crudelitas.

gratias Deo referebat, quòd nullam ei in proximum impertitus fuerit miſericordiam & compaſſionem, ut eò crudeliùs, omni, inquam, exutâ humanitate, Regis ſui Ludovici gloriam ad extremos uſque terræ fines ambientis conſilia & molimina valeret propagare; ideo militibus ſuis inculcare ſolebat: ite filii mei, prædamini, latrocinamini, diripite, vaſtate, violate, & ſi quid pejus eſt, facite, ut oſtendatis vos eſſe ejus Regis & Ducis milites, qui taliter nominis ſui gloriam ad ultimos orbis fines cupit dilatare. Sed iſta, ait *Guevarra Horolog. princ. cap.* 33. *num.* 124. non ſunt creaturæ inter homines mortales natæ; ſed furiæ inter Eumenidas tartareas generatæ & edacatæ opera. Maledictus eſt, niſi jam fuit, & maledictus erit, niſi jam eſt, qui vitam, quam vivit, in perniciem convertit omnium hanc unam ob cauſam, ut ſeculis futuris viri fortis gloriam conſequatur: nonne extremæ eſt amentiæ, cum pauperum viduarumque lacrimis tam cruentas velle conſequi victorias? nonne nefanda & inſana crudelitas, innocentum ſanguine terram inundare? ut famam inter homines futilem parias? nonne ſumma videtur fatuitas, cùm partitus inter tam multos mundum ſit Deus, velle te ſoli tibi illum vendicare & rapere? Quid fit? dum Luxemburgicus incenſo oppido Simonwertha inde per Novum pontem cum exercitu diſcederet, latius graſſata ignis vehementia pontem corripit, inflammatque, ut ultimum marchionis de Sourches 5000. agmen eum ſequi nequiverit, ſed in ſepimento ab Hollandis deſerto delitescens, à quatuor Hollandorum in

canali navibus bellicis impetitum eſt tormentis, quo ſe verteret neſciens, ne totum internecivè deleretur, per ardentem pontem non ſine gravi damno coactum fuerit tranſire. *Pro menſura delicti, erit & plagarum modus. Apocal.* 18. & *Cap. Felicis. verſ. Ceterum. de pœn. lib.* 6.

Joan. de Witt odium in Auriacū

107. Fetalis hujus tragœdiæ, ut dixi, cauſa fuit Batavorum diſcordia, & vatinianum penſionarii Joannis de Witt in Principem Auriacum odium, mallentis Batavicæ reip. interitum, quàm Auriacum in parentis, avorumq; ſuorum dignitate & officiis videre; qui tamen erat cōmunis populi amor & deliciæ, unicè in hac turbulēta belli tempeſtate illum archiſtrategum, & provinciarum præfectum deſiderantis, & publicè paſſim, non ſine tumultûs metu poſtulantis: quod idem non minùs impensè ſex aliæ deſiderabant provinciæ; una refragabatur Hollandia, quæ à penſionarii ore (præterquam Beverning & Beuningen Auriaco faventes) pendebat; at cùm tertia Neutralis factio ad Auriaci declinaret partes, inſtaretque populi tumultus, omnium ſimul provinciarum, & penſionarii etiam voto in unius anni Generalem Ordinum Capitaneum, adjunctis illis octo ſociis, ſeu Conſiliariis, electus eſt Wilhelmus Auriacus, ſine quorum tamen conſenſu & conſilio per ſe nihil agere poterat; quo penſionarius & principis auctoritatem minuere, & novas ei cadendi inſidias ſtruere videbatur: quid mirum? gloriæ comes eſt invidia, quæ alieno torquetur honore. Princeps præſtito Ordinibus fidelitatis juramento omnes Hollandiæ & Friſiæ

Auriacus fit ſtatuum archiſtrategus.

Friſiæ ſtatus cum Joanne de Witt, Fagel, & centum aliis regalibus epulis inter joviales ignes, & tormentorum boatus feſtiviſſimè recreat, mox cum deputatis conſiliariis ad batavica octodecim armatorum milliuni caſtra properat hoſtem obſervaturus. Sed quid puſillus hic grex, quid 18000. copiæ contra innumerabilem hoſtium exercitum, tot provinciarum & urbium victorem efficiet? qui unius menſis tempore à 12. Junii uſque ad decimum menſis Julii tres Batavorum provincias, Geldriam, Superiorem Iſſelam & Ultrajectum cum 68. alii 80. civitatibus & munimentis occupavit, & Auriacum in fugam ubique Amſtelodamum uſque adeo conjecit, ut ibidem jam tum de Hollandiæ & ejusdem Amſtelodami traditione, ſuadente penſionario de Witt, ageretur, & per ſuos apud Ludovicum Regem legatos provincia Geldria per de Gent, Hollandia per de Groot, Selandia per ab Odyck, Groninga per ab Eckrad, regem vero Angliæ Hollandia per Meermannum, Ultrajectum per de Wee, de honeſtis conditionibus tractarent; ſed cùm tractu temporis intercederet animorum ſententiarumque varietas, & Ludovicus Rex abſurda nimis poſtularet, abſurdiora verò exigeret Rex Angliæ Carolus, ſenior Amſtelodamenſis conſul Nicolaus Tulp, & alter conſul Ægidius Valckenier gravi & expeditâ oratione patriæ libertatem tot laboribus, periculis, moleſtiis, & tanto ſanguine à prædeceſſoribus partam, & hucusque conſervatam omni modo, æris etiam & ſanguinis profuſione præ intolerabili Gallorum ſervitute

Quot Batavorum urbes Gallus occuparit.

Batavi non pacem ſed libertatem volunt.

vitute eſſe defendendam ſuadebant : dumque alii cum Virgilio, & Penſionario de Witt occlamitarent :

Nulla ſalus bello, pacem depoſcimus omnes :
Pax enim agricolam vel inter ſexeta benè nutrit, bellum autem in campis malum eſt, &c. ſupremus urbis adminiſtrator Haſſelaer & Penſionarius Hop contra illos inſurgentes, niſi mutatâ ſententiâ, libertatis forent aſſertores, populi pro hac ad arma parati fore mox victimas; quo illi conſternati, reſolverunt abruptis pacis cum Gallo & Anglo tractatibus, libertatis defenſioni immobiliter ad ſanguinis uſque profuſionem eſſe inſiſtendum : qua de re etiam Auriaci in ſenatu ſententiam poſtulantes, noluit ob de Groot præſentiam (qui ultra ſenatûs & Statuum commiſſionem cum Gallo tranſegiſſe dicebatur) ſuam proferre; quo idcirco ſenatu exeunte, Princeps mentis ſuæ proferens ſententiam, ait, malle ſe potius omnia, vitam & ſanguinem perdere quam libertatem (bonum inæſtimabile) quum hac dexterâ meâ ad ultimum uſque ſpiritum vindicabo. Et quia princeps de Grott (quamvis ipſo regis teſtimonio innocentem) de pace urgenda ineunda habebat ſuſpectum, ne ideo furentis populi caderet victima, amicorum hortatu cum familia ſua confugit Antwerpiam : hic quia illum Belgii Gubernator Monterejus tolerare nolebat, inde Leodium, & hinc ſe contulit Coloniam Agrippinam.

Idem vult Auriacus.

De Groot ex Hollandia fuga.

108. Confirmatâ jam in Hollandia libertatis defendendæ reſolutione, Wittiana tamen adhuc factio pacem omnibus adeo urgebat modis,

dis, ut fæx populi libertatis vindex erga illos, præſertim Joannem & Cornelium de Witt furore inſaniens, in illorum mortem conſpiravit, quam Petrus & Jacobus fratres de Graaf, filii Jacobi de Graaf Senatoris, Cornelius de Bruyn, & Veredariorum magiſter Adolphus Borrebach jam pridem fuerant meditati, alii quatuor incogniti ipſo facto Dordraci veſperi horâ undecimâ domum Cornelii de Witt, è claſſe (cujus ipſe ſupremus erat moderator) male diſpoſiti reverſi importunè irruentes, ipſum interfeciſſent, niſi vigiles à domeſtico per poſticum tempeſtive advocati, in fugam illos abegiſſent: 21. autem Junii dum priores quatuor ex convivio & domo de Graaf ſero redeuntes domum in platea Vivenberg ſplendens adhuc in curia cernunt lumen, & penſionarium ibidem adhuc circa medium undecimæ morari præſumerent, eum domum cum duobus famulis & judicii curſore redeuntem extincto lumine aggrediuntur ad locum ſupplicii, ubi ambo poſtea ſunt excarnificati: penſionarius egregie ſe defendens Petrum de Graff in terram dejicit, cui frater Jacobus nominatim vocatus ſuccurrens in penſionarium inſurgunt, qui tribus ſaucius vulneribus, non tamen mortiferis, quaſi jam moriturus in terram decidit: aggreſſoribus ſic aufugientibus reſumptis ipſe viribus domum rediit, & magno ſtudio in aggreſſores inquiri jubet, qui omnes fugâ elapſi, ſolus Jacobus de Graaf ex vocato nomine notus, & ſuſpectus crimen faſſus & condemnatus, capite minutus eſt: quo populus in pluribus Hollandiæ & Selandiæ civitatibus in

Conſpiratio in mortem de Witt.

in majorem actus rabiem, publicè de Witt patriæ proditores & hoſtes ubique tumultuoſe divulgabant, ſub quorum, ceterorumque adhærentium regimine deteriorem brevi ſecuturam patriæ ruinam & interitum, niſi peſſimis eorum moliminibus tempeſtive obvietur, proteſtantur; proinde Auriaci principis ſpe & aſſiſtentiâ freti, motis ubique periculoſis in magiſtratus ſeditionibus eos minaciter cogebant, ut prædictum Auriacum in ſupremam provinciarum præfecturam, dignitates omnes & officia parentum & prædeceſſorum ſuorũ reſtituerent.

Populus tumultuoſus vult Auriacum reſtitui.

Magiſtratus quidem ſibi metuentes exitioſum prævidebant harum ſeditionum exitum, ſed obſtabat & impediebat perpetui edicti juramentum, quo anno 1667. factione & odioſa paſſione potiſſimum de Witt hæc ſuprema præfectura omnino eſt ſublata, & omnium non ſolùm provinciarum, ſed & ipſius Principis juramento in perpetuum eliminata eſt, nunquam reducenda: hoc inquam perpetuo edicto magiſtratus aſtricti & impediti, motus & ſeditiones populi nequibant componere; nodum tamen hunc Gordium impetuoſa populi diſcidit inſolentia: principium fecerunt Dordracenſes, qui etiam ante centum & aliquot annos hiſpanicam primi obedientiam & fidem abjicientes Auriaco principi adhæſerunt, ideoque omnium civitatum adhuc gaudent præeminentiâ & præcedentiâ: hi inquam, primi in magiſtratum ſuum tumultuoſi, conſulis ſui Cornelii de Witt effigiem in curia diſcindentes, fruſta ejus ad prætorianam ſtationem, & depictum

Obſtat edictum perpetuum.

Dordracum Auriaco reſtituit præfecturam ejus præeminentia.

ca-

caput in patibulo affixerunt, & conſulis Halling domum diripuerunt & deſtruxerunt. Cumque jam cuncta hic & ubique per Hollandiam in vegetam præpararentur libertatis ergo defenſionem, & cives granarii claves à magiſtratu peterent, de ſufficienti commeatu ſolliciti, Senatus vero claves deperditas, nondum reperibiles aſſereret, cives granarium minus proviſum, hujusque defectu urbem hoſti ſicut aliæ brevi tradendam ſuſpicarentur, grandiori in magiſtratum inſurgentes tumultu & furore, cujusdam civis conſilio & ſuaſu perpetuum illud edictum abrogandum, & Auriacum principem in priſtinam præfecturam, dignitates & officia reſtituendum, & urbium regentes tanquam proditores deponendos eſſe, ſi vellent ſui ſtatûs integritatem, libertatis conſervationem, & reipub. tranquillitatem, proſperitatemque obtinere. Placuit conſilium, & concitatâ mox totâ civitate armati cives ad conſulum domos convolantes, urgent, adeoque cogunt mortis interminatione Auriaci in præfecturam reſtitutionem, ut illum è caſtris ad Bodegrave metatis in urbem magiſtratus vocare debuerit, ibidemque illum in taberna vinaria zum Pfaum in provinciarum præfectum conſtituerint, in omnes dignitates & officia ſuorum prædeceſſorum reſtituerint, & à perpetui edicti juramento per ſuos miniſtros Debits ac Verchem abſolverint: quæ acta à Secretario Muys ab Holi ſcripto ſunt confirmata, & à conſulibus Naelwicket, Halling, Frutſchaffien & Octoviris,

Auriacus actualiter reſtituitur.

ris, aliisque Officialibus ſubſcripta. Ea ipſa deinde ab abſente ob infirmitatem ſeniore conſule Cornelio de Witt ſubſcribi & ſubſignari volebant; ſed ille prorſus abnegabat, ne illa omnia, in quibus cum fratre novemdecim laboraverat annis, uno deſtrueret everteretque momento; neque ullis minis quamvis graviſſimis à frementе, & ejus ædes circumcingente populi fæce intentatis adduci potuit, ut ſubſcriberet, & non niſi ejulantibus precibus & lacrimis uxoris & liberorum commotus ſubſcripſit, additis his binis literis V. C. id eſt, vi coactus, quas tamen etiam delere compulſus eſt; tum ubique per urbem applauſus, Vivat Orange, & citria ubique turribus vexilla Orangiæ familiæ propria cum hac inſcriptione: Orange boven, en Witt onder, Die't anders meent sla de donder, exponebantur, ſicque princeps per mille congratulationes circa quartam pomeridianam Dordraco Bodegravem ad caſtra plenus honoribus eſt reverſus. Dordracum die 29. Junii (quo Hagæ Comitis Jacobus de Graaf capite plexus eſt;) ſecutæ ſunt urgente populi utrobique ſeditione civitates Retorodamum, & ſequentibus diebus Harlem, Delſt, Leida, Gouda, & aliæ non modò Hollandiæ, ſed etiam Selandiæ civitates omnes, Wilhelmum Henricum à perpetui edicti juramento abſolutum, in præfectum provinciarum, generalem militiæ terrâ marique capitaneum admiralem eligunt & conſtituunt, idque per miſſos Hagam-Comitis deputatos à Generalibus Ordinum Statibus provincialiter petunt confirmari; quod & ſolemniter, & ineffabili to-

Adverſatur Corn. de Witt.

Confirmant Status Ordinum.

totius Hollandiæ & Selandiæ gaudio, de Witten autem dolore eſt peractum: Auriacus viciſſim omnem probè Statui fidelitatem, ſimulque patriæ tranquillitatem, libertatem & defenſionem promittebat, militiam reformabat & augebat, bellicum apparatum, commeatum & granaria replebat, urbium munimentorumque fortificationes dirutas reficiebat, novas & neceſſarias extruebat, & terram aquis inundabat.

109. His latè evulgatis Rex Angliæ & Elector Brandeburgicus de honore Auriaco ſunt congratulati, Rex vero Ludovicus ſuum ab Hollandiæ finibus reduxit militem, & ternas civitates Nardenam, irrito ab Auriaco obſeſſam, Wœrdenam & Oudewatter poſtea deſeruit, ſive Anglicorum legatorum proteſtatione, ſive Auriaci reſtitutione. Quâ populus necdum contentus in De Witt fratres, & eorundem ſocerum de Grott, maximè in penſionarium irâ & odio adeo fremebat, ut officium penſionarii per novemdecim annos perfunctum ſponte dimiſerit; & de captivitate fratris ſui Cornelii maximo angebatur dolore, qui per Chirurgum Wilhelmum Tichelär ſponſione triginta millium florenorum, & actuali ſex ducatonum arrhâ Auriacum è medio quæſierat tollere. Tichelär conſcientiâ tactus rem aperit Albranswaaro, Auriaci aulæ præfecto, & Suileſteino, qui illud principi, hic aulæ ſeu curiæ Hollandicæ indicat, ideoque Dortdraco ductus Hagam-Comitis 24. Julii ejusdem aulæ caſtello eſt incluſus, aliquoties examinatus, cum Tichelär confrontatus, imo tortus fateri nihil voluit, negare omnia

De Witt officium penſionarii dimittit.

Corn. de Witt vitæ Auriaci inſidiatur.

con-

conſtanter perſeverat. Frater quidem omnia illum liberandi media adhibebat, ejusdemque uxor humillimâ liberationem ſupplicatione precabatur, ſed fruſtra; nam vigeſima auguſti lata ſententia condemnatus in ſumptus, ab omnibus officiis & dignitatibus depoſitus, & totâ Hollandiâ & Friſiâ perpetuò eſt proſcriptus; Tichelär verò ab omnibus abſolutus & dimiſſus, qui ex captivitate deſcendens, & invigilantibus ibidem civibus Cornelii de Witt ſententiam, patriæ ſolummodò referens proſcriptionem ait; invigilate, mox deſcendet, quo tantam inter cives commovit ſeditionem, ut intra pauculas horas ſex civium armatorum vexillationes ibidem comparentes ipſum deſcendentem expectarent; petierant jam antè ab Auriaco, ut ſuæ illum committeret civium cuſtodiæ, quod negavit, ſuo, inquiens, tradidi illum judicio, id violenter nunc intentabant: cùm itaque frater ejus Joannes de Witt per ancillam vocatus illum rhedâ accederet (quod amici ei impenſe diſſuaſerant) quâ illum honeſtè ex captivitate educeret Coosduynen; ſed deſcendentes ambo violenter à civibus repelluntur in carcerem, mox irâ & odio fuerentes diffractis vi januis carcerem certatim irruunt, amboſque fratres ſummâ violentiâ inter continuas contumelias, maledictiones, verbera & vulnera gladiis perfoſſos ad patibulum rapiunt, & bombardâ in terram proſtratos globo trajiciunt, & patibulo affigunt, ſicque peractâ tragœdiâ cives vexillatim relictis corporibus ad ſua redierunt; vulgaris tamen fax Japonicam Cornelii talarem tunicam, & holoſeri-

Capitur proſcribitur.

Fratres ambo carnificantur.

cum

cum penſionarii pallium in mille partes diſcindit, corpora denudat, detruncat, carnificat, eviſcetata inteſtina devorat, abſciſſos digitos, naſos, aures, carnes, & corda pretio divendit; quæ carnificina in conſpectu ordinum, dum in novum eligunt penſionarium Fagelum ſtatuum ſecretarium eſt peracta; circa autem undecimam noctis horam dilapsâ plebe quinque famuli bonâ civium licentiâ detruncata corpora rhedâ in penſionarii de Witt domum deferunt, & die alterâ ſepeliunt. Plurium Valckenierus Penſionarium inſimulat criminum, Politicum aliàs capaciſſimum; ſed impietas felix periculoſiſſima eſt, ait *Chryſoſtomus*; & omnis malus primò ſibi quiſque nocet, ait *Auguſtinus in pſal.* 34.

110. Quamprimùm lapides offenſionis remoti fuerant, Generales Ordinum Status impensè laborabant proſcriptam animorum inter magiſtratus & cives concordiam reducere, quâ concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordiâ dilabuntur; ideoque abſolutum Auriaco Principi conferunt Imperium & poteſtatem magiſtratus & ſenatores, factionis imprimis Wittianæ, & perpetui adhuc edicti tenaces deponendi, & alios ſubſtituendi; quod & non ſine diſcretione Princeps fecit, quamvis plures regentes populo inviſi, metu hujuſmodi carnificinæ officia ſua ſponte deponebant. Hanc principis auctoritatem, ſimulque ſtatûs mutationem Reges Galliæ & Angliæ perſpicientes, eidem principi, illiusque familiæ ſupremum ſeptem provinciarum imperium, ſub illorum tamen protectione offerunt: ſed ille generosâ magnanimitate obla-

Auriacus magiſtratus renovat.

Gall. & Angl. Reges eidem Hollandiam offerunt

tum repudians dicebat : nolle ſe eorum, qui in ſe confiderent, eſſe proditorem, neque patriæ ſuæ libertatem, quam tanto tempore parentes, majoresque ſui tam ſollicitè fortiterque huc uſque defenderant, inſatiabili Gallorum cupiditati vendere. Interea Hiſpanorum auctus ſubſidio aliquot tentavit, quamvis irritò, urbes; arcem tamen Valckenburg per Comitem Waldeckum 7. Decembris deditione capit & evertit. Carloregium invaſurus quod crederet illud abſente præfecto Montalto deſtitutum præſidio, primo obſidionis die eruptione ab obſeſſis incredibili ardore in eum factâ exturbatus, frigoris acerbitas caſtrenſia aperire valla impediebat; relictò igitur Carloregio militem ad hiberna dimittit. Felicior in occupando Coverdo fuit Rabenhaupt, quem accedens æditūus, vel ut alii, ludimagiſter antehac Coverdi, in ejus occupatione Groningam diſcedens Meyndert Thinen, machinalis ſcientiæ utcunque peritus, eidem aperit tumultuariam in illa frigoris acerbitate Coverdi tranſcenſionem & occupationem, quam primò incredibilem & impoſſibilem Rabenhaupt exiſtimabat, ſed cùm accuratā ejusdem ichnographiam, & locum aggreſſionis per nexos arundineos pontes demonſtraret, placuit conſilium, & tentata eſt Statuum Friſiæ conſenſu expeditio. Præparatis igitur à Thinen neceſſariis, nongenti ſexaginta octo armati ſub imperio protribuni Eibergeni in tres phalanges diviſi, 20. Decembris ſummo mane hora tertiâ urbem præeunte & præmonſtrante Thineno aggreſſi, propugnaculum Geldriam Eibergenus cum

Coverdum Batavi recuperāt.

cum ſuccenturionibus Chiton & Kônders invadit, alterum propugnaculum Hollandiam Major Wiler cum ſuccenturione Rengers & vexillifero Munter, tertium denique propugnaculum, Superiorem Iſelam, Major Sickinga cum ſignifero Rutgero de Kamp adoriuntur, & foveas vallaque audacter tranſcendunt: pugnatur & cæditur utrimque ſtrenuè, Thineno huc illucque diſcurrente, diſponente, adhortante: & quod notabile eſt, centurio quidam tympaniſtam ſuum parvum quidem, ſed audaculum translatum ultra ſenticetum jubet vallum aſcendere, & ſpe præmii centum dalerorum tympanum more & ſonitu batavorum pulſare, quo territi præſidiarii monaſterienſes exiſtimantes jam modò Batavos tranſcendiſſe ex hac parte, & urbem occupaſſe, tympaniſtâ præſertim ad forum uſque procedente, fugiunt ſe occultantes, quod & ipſi exiſtimantes Batavi pugnant animoſiores, ne in direptione & prædatione eſſent poſteriores. Interea violenter apertâ per capitaneum Kling portâ Friſiâ equitatus urbem ingreditur & fit ubique cæſio & urbis vaſtatio. Epiſcopus monaſterienſis hanc audiens urbis occupationem, nuntio referenti iratus credere noluit; certior autem factus expaveſcit, dicens: ſi hæc Candia mea devicta, vereor ne ſequantur brevi reliqua; quod etiam eſt ſubſecutum; etenim Swolla, Deventria & aliæ ſuperioris Iſelæ civitates pavefactæ, & præſidiarii munimenti Ommer-ſchantz fugâ ſibi conſulentes, vacuum illud reliquerunt: imo ipſi Hollandi credere non potuerunt tam facili negotio Coverdum eſſe recuperatum, ubi in-

ingens apparatus bellicus, commeatus & præda ditiſſima auri & argenti undequaque rapta eſt inventa. Quare in ſignum gratitudinis & præmii Rabenhaupt conſtitutus eſt Drentenſis provinciæ ſatrapa, & Coverdi gubernator, Eibergenus urbis præfectus, & Meyndert Thynenus granariorum inſpector & proviſor. Sic nihil eſt tam humile, quin vel excellentiſſimis ſæpe ſit periculo, quis de vili ludimagiſtro hoc expectasſet? ipſi militum tribuni obſtupefacti non credidiſſent, niſi ipſi opere effeciſſent.

Cæſaris cum variis principibus fœdera. 111. Germaniæ & Imperii Rom. Principes apertis oculis jam videbant, quo tam ſubitaneus victoriarum curſus Gallorum tenderet, in præſentiſſimum ſine dubio Imperii periculum, quod tam directè quam indirectè contra Monaſterienſis pacis pacta conturbaverat, & violaverat, ideoque Cæſar comitiis Ratisbonenſibus bellum Gallo indicendum proponebat, & jam tum cum Electore Brandeburgico, periculo proximo, 23. Junii fœdus defenſivum Berlini contraxerat, ut quælibet pars duodecim armatorum millia in campum educeret, & præcipuè in ſubſidium & defenſionem Coloniæ Agrippinæ, in præſentiſſimo verſantis periculo. Aliud deinde Cæſar 22. Septembris defenſivum fœdus cum Rege Daniæ, Elect. Brandeburgo, Ducibus Luneburgenſi & Brundſchwicenſi, ac vidua Haſſo-Caſſelenſi pepigit, ac demum 10. Octobris fœdus tertium cum Elect. Moguntino, Trevirenſi, Saxone, Epiſ. Monaſterienſi, & Marggravio Bareutenſi pro patriæ iniit defenſione. Contra hanc Cæſaris & Imperii armaturam

Lu-

Ludovicus Rex per ſuum Viennæ legatum Gremonvillum admodùm eſt proteſtatus, quòd Cæſar illum in tam ſancta religionem Catholicam promovendi, & exitioſæ hæreſis in Hollandia nidum evertendi intentione conetur impedire, Batavosque non ſine conſcientiæ læſione defendere, cùm nihil ſe Imperio detracturum aut læſurum, ſed omnia reſtituturum appromittat. Quas Cæſar ineptias explodens reſpondit, Regem Galliæ religionem prætendere, & regionem quærere: cur ille Batavos non ſine gravi conſcientiæ læſione defendit, cùm legitimus eorum Rex Hiſpaniæ illos tanquam rebelles jure merito caſtigare, eorumque hæreſim voluit ſupprimere, Rex Galliæ id impedivit? ille Imperio reſtituet, quæ Rex contra pacta rapuit & retinet? qui Rom. imperii urbes & provincias jam nunc contra Monaſterio-Oſnabrugenſia pacta occupat, diripit, & devaſtat? cùm Trajectum tam ardenter Rex ambivit, non certè religionem (quia major urbis pars eſt Romano-Catholica) ſed regionem quæſivit. Elector Bavariæ quoque per ſuum Viennæ miniſtrum à Kleiſt rogavit Cæſarem, ne ſe bello Gallo-Batavico immiſceret; regem enim velle pro impoſitis in Imperii Rom. urbibus & locis militibus ſatisfactionem præſtare. Cui Cæſar repoſuit, ſe non alio fine ſuum in Imperium emittere exercitum, niſi in ejusdem, juxta Aquisgranenſem & Clivenſem pacem & tranſactionem, juſtam ſecuritatem, & non adverſus Galliæ Regem, ejusdemque confœderatos. Octodecim igitur armatorum millia ſub ſuo ſupremo legato Mon- tecu-

Contra quæ per bavarű proteſtatur Gallus.

Cæſar Montecuculű

cum exercitu mittit in Germaniam.

tecuculo dimiſit Egram, inde Halberſtadium ad Brandeburgicorum conjunctionem: quâ factâ juxta Brandenburgi & Batavorum 26. Aprilis initum contractum in Weſtphaliam contra epiſcopum Monaſterienſem exercitum traducendum Brandeburgus exiſtimabat; Montecuculus vero Rhenum & Moſellam potius trajiciendam ſuadebat, ut Colonia ſecuritatis certa Gallorum cum Batavia communicationem, & commeatûs transvectionem intercideret, dein ut trajecto oportunius Moguntiæ rheno, & Confluentiæ Moſellâ, Hiſpanis Batavisque ſe conjungerent: quare combinatus exercitus per ſolum Hildesheimenſe, Hannoveranum, Haſſo-Caſſelenſe ad principium Octobris venit Francofurtum ad mœnum, Rhenum Moguntiæ tranſiturus; quod Elector Moguntinus & Trevirenſis non ſine ſuſpicione gallicæ factionis non ſolùm recuſarunt, ſed pontes navales etiam diſſolverunt, ne in Gallorum inciderent direptionem, qui in altera rheni parte, dum novum Cæſareo-Brandeburgici pontem Florsheimii & Nierſteinii ædificarent, vallis & ſepimentis ſua muniendo caſtra Cæſareo-Brandiburgicorum tranſitum vigilanter obſervarent. Pontibus paratis urgebat Brandeburgus rheni tranſitum, diſſuadebat Montecuculus, quia Turennii copiis interim per Condeum admodùm auctis multo inferior & impar, decretoriam cum Gallis pugnam mandato Cæſaris declinabat. Et quia metuebant Galli, ne Cæſareani tranſito Argentorati ponte Alſatiam & Lotharingiam invaderent hyemando, Briſacenſes ſeptingenti præſidiarii

Moguntinus & Trevirenſis Cæſareis rheni tranſitũ negant.

Galli pontem argent. incendunt.

13. na-

13. navibus ad finem Novembris noctu, octo pontis argentoratenſis juga incenderunt : quod Ratisbonenſis Imperii conventus publicam pacis violationem contra tam ſancta Regis promiſſa & nihil violandi fidem, interpretatus, ejusdem ibidem miniſtro Gravel objiciens ſatisfactionem poſtulavit : quam quidem à Rege præſtandam ſpondebat ; ſed inanibus & fallacibus Gallorum promiſſis fidem Imperium adhibere noluit, nec potuit, graviter præſertim Brandeburgo queritante de barbara Cliviæ ſuæ per Gallos devaſtatione ; ideoque etiam Cæſar iterato omnes Imperii ſtatus & ordines ad capienda arma pro ejusdem defenſione hortabatur incitabatque, dum ipſe ad intentatas Turcarum invaſiones avertendas avocaretur. Quia verò exercitum in alteram rheni partem transferre non expediebat, reductus eſt 15. Decembris ſummâ celeritate in Weſtphaliam tum ad coërcendos epiſcopos Colonienſem & Monaſterienſem, tum ad diſponenda ibidem militi hybernacula. Montecuculus tendit in Weſtphal.

In Saxonia ceſſit 14. Aprilis è vivis Fridericus Willh. Dux Altenburg- & Coburgenſis, Anno ætatis ſuæ 15. ultimus familiæ ſurculus, ſimulque finiit 50. annis inter Altenburgenſ. & Weimarienſem principes continuata præcedentiæ controverſia, multis literis & ſcriptis Viennæ agitata, defunctique principis dominia & territoria inter principes Weimarienſem & Gothæ 6. Maji pacificè ſunt diviſa. Mors Friderici D. Altenb.

112. Romæ Clemens X. pontifex die 22. Februarii in Cardinalium collegium & dignitatem Clemēs X. creat Cardinales.

tatem evexit Guſtavum Adolphum marchionem Badenſem Durlacenſem Abbatem Fuldenſem, deinde Petrum Bonzium archiepiſcopum Tholoſanum, & tertium P. Vincentium Mariam Orſinum de Gravina Neapolitanum ordinis Prædicatorum, & duos in pectore reſervans: Gravina quamprimùm Bononiæ audivit ſe Cardinalem renuntiatum, ſe occultans ita latuit, ut nuſquam inveniri potuerit, nec ullo modo nec pontificis, nec ſui Generalis mandato ad eam potuerit cogi dignitatem; at cùm illi pontifex officium pœnitentiariæ perpetuò cum tribus coronatorum millibus, & Abbatiam cum duobus coronatorum millibus annui reditus conferret, ſimulque annuè ex congregatione conſilii mille ducenta coronata poſſet colligere, ut ſuo convenienter ſtatui poſſet vivere, dignitatem aſſumpſit: duos alios in pectora, ut ajunt, ſervatos, P. Nitardum Archiepiſcopum Edeſſenſem Soc. Jeſu, & Epiſcopum Laudunenſem in menſe Junio ad eandem Cardinalatûs dignitatem promovit. Qui etiam 12. Maji Pium V. Pontificem, Ordinis Prædicatorum ex nobili Ghiſleriorum familia, ob famoſam illam contra Turcarum tyrannum, ad Echinadas inſulas non tam armis quàm fuſis Pii precibus obtentam victoriam celebrem, in Sanctorum numerum retulit. Similem victoriarum curſum ſui Regis in Hollandia Legatus Gallicus Eſtreus Pontifici referens, magnum ſe allaturum gaudium exiſtimabat; ſed ſapiens & pacificus Clemens exitiale inde inter Domum Auſtriacam & Bour-

Gravinam, Nitardum, Pium V. in ſanctos refert.

Bourbonicam bellum Catholicæ religioni magis noxium quàm proficuum prævidebat, non ignorans Regem Galliæ prætendere religionem, & quærere regionem cum religionis catholicæ detrimento, proinde non gavіſus, ſed ſubtriſtis apparuit, legatoque Colonienſi proſperos Electoris ſui contra Batavos ſucceſſus glorioſè narranti exprobravit bellicam ſuam expeditionem, eccleſiaſticum potiùs ſuum ritè expediret archiepiſcopatûs officiũ.

Averſatur bellũ Galli & Colonienſ. Epiſcopi.

Ibidem Romæ ſolemni execratione 3. Octobris deliria ſua Joſephus Borti Mediolanenſis Inſuber ejuravit, qui anno præterito captus, ut ſupra retuli, in Germania, ubi hæreſes ſuas diſſeminabat, & à Cæſare Leopoldo traditus Pontifici, poſt ſalutares pœnitentias & exhortationes ad ſanam tandem mentem reſipiſcens, demum ut varios ſuos errores abjuraret adductus eſt; idque factum eſt publicè in templo Patrum Prædicatorum ad Minervam in præſentia totius collegii Cardinalium, Clericorum & aliquot millium hominum, ubi in alba veſte ante & retro rubrâ cruce ſignata, in manibus candelam gerens in publicum ductus theatrum, genuflectens ſuam à Patre Inquiſitore prælectam excepit ſententiam, quòd ſcil. ad perpetuos damnatus eſſet carceres, quotidie Credo, & hebdomadatim ſeptem pſalmos pœnitentiales oraret, & ſingulis menſibus confeſſus ſacrâ reficeretur Communione; pœnæ tamen diminutionem vel in toto, vel in parte ſacrum ſibi tribunal reſervabat. Cæſaris Leopoldi in eum

Borti hæreſiarchæ abjuratio.

pietas à Pontifice obtinuerat, ut ejus vitæ, multorum quamvis ſcelerum noxiæ parceretur, ſervatus ideo, quòd meliora multò ad corporum ſalutem medicus miniſtraret, quàm quæ ad animarum ſanctitatem ſtolidâ ſibi apotheoſi Paraclitus propinarat.

Bellum Sabaudo-Genuenſe.

113. In Genuenſium rempublicam conſpiraſſe dicitur Raphael à Torre, ejusdem Nobilium unus, vano ductus prætextu, novam (quam antiquam vocabant) regiminis formam in eam inducendi: alii vindicandi cauſam aſſerunt, ideo Torrum urbe & Genuenſi ſtatu proſcriptum, quòd raptâ cum ingenti pecuniæ ſumma navi, inde profugerit ad carolum Emmanuelem Allobrogum Ducem, qui tunc ob finium ſæpius agitatam controverſiam in Genuenſes movebat, eidemque conſilium & modum Savonam terra marique occupandi ſuggeſſerit, cujus certior facta Genua, Torri percuſſori 4000. coronatorum, traditori verò 6000. promiſerunt, ejusque familiam ſenatu ejecerunt, tum auctorato repentè milite duodecim armatorum millium exercitum prope Savonam caſtra metari jubent. Aſt Dux carolus 28. Junii occupato Pievo mox Zuccarellum & caſtellum Vechium per Catallanum intercipit, quod Genuenſes ægerrimè ferentes, ſine mora novem armatorum millibus Vechium rurſus circumcingunt, in quo adhuc Catallanus Sabaudorum archiſtrategus duorum aut trium ſolummodò dierum commeatu proviſus cum ultra 1000. militibus morabatur incluſus, ideoque Ge-

Genuenſes alacriores adeo urbem flagellant, ut Catallanus hoſtium quidem caſtra ſtricto gladio perrumpens ſalvus ipſe evaſerit, ſed non ſine exigua ſuorum militum & officialium cæde, & præſidiarii ſe, & caſtellum Genuenſium poteſtati tradere ſint coacti; Major dein Riſtorius cum 200. Corſis duobus tumultuariè occupatis ante Pievum aggeribus, Sabaudi deſerto Pievo fugâ ſibi conſuluerunt, quo recuperato Riſtorius duo Sabaudorum agmina prope Albengam (quam obruere moliebantur) tumultuariè invadit, & in fugam compellit; quam generoſitatem Genuenſis Reſpub. generoſâ etiam compenſavit liberalitate; auream catenam pretio 150. piſtolettarum donando Reſtorio, ſingulis officialibus 50. piſtolettas, ſingulis militibus unius menſis ſtipendium, & calceos largiendo. Onegliæ Sabaudi metuentes, copioſiori bellico apparatu communiunt, ſed inde redeuntes 200. equos & mulos cum ſuis 50. cuſtodibus Franciſcus Centurio opprimit, & captivos in prædam ducit. Crenſolam deinde Genuenſes capiunt, Zezzium & alia duo Sabaudica oppida igne conſumunt; initio Auguſti Onegliam circumvallant, & quia in obtenta arce panem & vinum veneno infecta duo Corſi avidè guſtantes ſubitâ morte conciderunt, arcem igne deſtruxerunt, urbem verò & vallem totam cum 40. oppidis in ſuam redigunt poteſtatem, & 900. præſidiarios in captivitatem. Tum Rigam ſubjugant, diripiunt, & incendunt; Reſtorius demum impugnaturus Tondam, legato gallico Gaumontò pro componen-

Genuenſes Sabaudos vincunt.

ponendis inimicitiis adveniente, indictum eſt u-trimque armiſtitium, ſub quo quia minus con-grua & placentia Genuenſibus, Duci verò favo-rabiliora proponebat, Genuenſes hactenus ubi-que victores reſumptis armis Sabaudos rurſum cædunt. Hæc belli flamma ne totam corripe-ret Italiam, Pontifex ſe etiam offert mediato-rem, pactiſque aliquot pacis articulis Carolus Dux tamen hucuſque ſemper victus noluit con-ſentire, ambiens prius honoris ſui per aliqualem victoriam reſtitutionem: quare irâ & vindictâ fremens Dolce Aquam & Rochetam occupat, Fateſci & alibi inſanam in Genuenſes exercet crudelitatem, Nave, Ormeam, Zeriſſolam, Ca-ſtelucciam, Gioglum, & Gioſſenece furioſè im-petit, ſed ubique turpiter rejicitur; hinc furio-ſior majoribus auctus copiis Onegliam capit, hacque victoriolâ triumphans pacem tandem redintegrare compulſus eſt, jubente potiùs quàm ſuadente Ludovico Rege, qui contentio-nis arbiter à Genuenſibus quæſitus abſolutâ au-ctoritate pacis articulos, eoſque utrique parti ſub indignationis ſuæ pœna obſervandos præ-ſcripſit, mancipatis dein ſibi copiis 15000. quæ utrique militaverant.

Sabaudus ubique victus Onegliam capit.

Pacem Gallus utrique imperat

18. Kalendas Maji ingenti terræ motu Ari-minenſis in Æmilia civitas nutavit, multæque in ea domus aut ſubrutæ, aut labefactatæ ſunt. Sub fatiſcentium domorum ruinis periere ho-mines prope centum, totidemque ſauciati; ſed occultâ infectione putidus aër multo plures cor-rupit, qui contractis proin ægritudinibus miſerè perierunt.

Terræ motus Arimini

114. Ex Italia diſceſſurus occurrit adhuc memoranda ingens Pontificis Clementis in Regem Regnumque Poloniæ paterna vere ſollicitudo; audiens enim à Cardinale Orſino magnatum molimina Regem ſuum throno deturbandi, quòd contra leges regni indigenam Polonum, non vero externum, ut patriæ leges jubent, elegiſſent, indoluit, gallicâ præſertim factione quotidie increbreſcente: magis autem ingemuit Pontifex, cùm percepiſſet Turcarum tyrannum totam poſtulare, vel armorum potentiâ rapiendam Ukraniam, quam Coſacci inhabitantes ob intolerabile Polonorum magnatum jugum cum Doroſensko ſuo Turcarum ſe poteſtati ſubjecerunt: Poloni ne totam amitterent Ukraniam, in ejus defenſionem exiguum ei immittunt exercitum, quod Turcæ pacis violationem reputantes, ingenti 150000. exercitu invadunt Podoliam, ejusdem metropolim Caminiecum impugnaturi, Rex quidem Michael omnia reſiſtendi adhibet media, binos imperii conventus indicit, monet, rogatque, ut depoſitis animorum diſcordiis & rixis, & factionibus, cuncta exitiosè depaſcentibus, unanimi fortitudine Chriſtianam religionem, patriam libertatem, uxores & liberos, aras & focos defendant, & à fœdiſſima imminente Turcarum ſervitute liberent; ſed perverſa & irradicata magnatum diſcordia, quam gallica artificiosè fovebat malitia, cuncta evertit & diſſipat, Turcæque conſuetâ crudelitate omnia devaſtant, diripiunt, & ultra trecenta hominum millia vel in deplorandam abducunt ſervitutem, vel crudeliſſimâ morte

Poloniæ R. periculum.

Polonorum diſcordia Turca invaleſcit.

Quam Gallus fovet.

morte trucidant. In hac Rex ingemiſcens calamitate ad diverſos pro ſuppetiis procurandis reges & principes, præterquam Gallum, dimittit nuntios; hic quidem ſponte quindecim Gallorum millia offerebat, ſed majoris mali metu & periculo ſunt repudiata: Pontifex pecuniæ ſummam, Brandeburgus vi pactorum initio anni ſequentis ſex armatorum millia transmiſerunt, reliqui principes bello gallico implicati nequiverunt. Interea temporis Turcæ 7. Auguſti Caminiecum circumvallant, è quinque tormentorum ſuggeſtibus continuò obſidionalibus tormentis flagellant, & iteratis pyrobolis adeo vexant & mœnia diruunt, ut præſidiarii ſpe ſuccurſus fraudati,& ſufficienti bellico apparatu commeatuque deſtituti ad deditionem cogerentur, præſertim cùm novum caſtellum 26. die Auguſti cum 200. pyrii pulveris vaſis in aërem fuerit evibratum, 27. igitur Aug. Caminiecum ſpontanee ſe Turcarum tradidit poteſtati,præſidiumque liberè more militari cum armis & impedimentis eſt demiſſum. Quo occupato liber turcico tyranno apertus eſt aditus in Poloniam, timore & tremore ubique contremiſcentem; utpote ad reſiſtendum exercitus ſupereſt nullus, aut exiguus, externarum ſuppetiarum ſpes nulla, totumque regnum factionibus, diſcordiis, & ſimultatibus labefactatum proximum eſt ruinæ, aut ſpolium hoſtium irrecuperabile: adeoque primarii nobiles alii in minorem Poloniam, alii in Boruſſiam, alii in Sileſiam confugiunt, quo etiam Reginæ pretioſiora, corona regia & cætera regalia, archivia, Cracovienſis cancellaria &c.

Caminiecum Turcæ capiunt cum Podolia.

&c. comportant: cæteros vulgares indigenas defectu curruum manebat aut acerbiſſima omni momento mors, aut turpiſſima morte crudelior ſervitus, Clemens Pontifex cum audiſſet, tremefactus in morbum incidit. Rex quidem omni poſſibili ſtudio laborabat labeſcenti patriæ ſuccurrere; ſed gallicæ impediebant factiones, donec proditoriæ archiepiſcopi literæ eſſent interceptæ, hæc verba continentes: *Turcica expeditionis novella magna apud me ſunt conſiderationis; quia, meo judicio, noſtra favent & conducunt factioni*, quibus magnates admodùm exacerbati, in Regni Regiſque conſervationem conſpirantes in pacis turbatores inquirunt, quorum aliqui fugâ ſublati, alii capite ſunt damnati. Quia verò exercitus non tam ſubitò, quam calamitoſus regni poſcebat ſtatus, augeri & comparari non poterat: Turcæ interim longè latéque ferro & flammâ per regnum cuncta devaſtarent, Tartari quoque Lembergam ſeu Leopolim obſidione premerent (quam tamen numeratis illis 75. dalerorum millibus mox ſolverunt) tandem Deo ſic diſponente (quem Rex inſtitutis publicis precibus ſuppliciter oraverat pro ſubſidio) deventum eſt ad armiſtitium & pacem, cujus ſe Tartarorum Chamus offerebat mediatorem, Rexque ne in ultimum præcipitaretur regnum exitium, in has 18. Octobris condeſcendit conditiones. 1.mò Polonia Turcis annuè ſolvat 22000. ducatorum tributum, à quo eo anno libera erit, quo à Turcarum Tartarorumve excurſionibus & direptionibus vexaretur. 2. Caminieckum cum tota Podolia Turcis

Poloniæ & Clementis X. terror

Pax Polono-Turcica

cis relinquatur. 3. Coſacci ut libera Ukraniæ natio ſub turcica permaneat protectione. 4. E-contra Turcæ & Coſacci omnia in Ruſſia occupata loca reſtituant. Tranſactum pariter cum Tartaris, quibus Polonia annuè loco 16. millium imperialium, impoſterum 22000. contribuet, eodem autem anno libera erit, quo eam Tartari vaſtationibus infeſtarent: quas ambas tranſactiones Rex Michael 2. Novembris juramento firmavit. Pax planè propudioſa.

115. In Hungaria reſectis, ut ſupra num. 95. memini, primariis nequiſſimæ rebellionis hydræ capitibus, quo plura poſtmodum renaſcebantur, eo majori Cæſarei extirpandæ conſpirationis commiſſarii ſeveritate perſequebantur: quorum enim aut ſubſcripta in conjurantium catalogo nomina, aut factioſæ ſuſpectos conventionis, aut quovis modo complices comprehendebant, eos vel capitis condemnatione, aut bonorum confiſcatione caſtigabant; ſuis urbes & communitates privabant privilegiis, heterodoxæ religionis interdicebant exercitia, uſum iis templorum interdicebant, magiſtratu publico, aliiſque officiis removebant acatholicos, & ſubſtituebant catholicos, quòd religionis diſcordiâ uberrimæ diſſenſionis matre omnigenæ hactenus in regni comitiis turbæ, & Reipub. enata ruina compertum nimis jam ſæpius fuiſſet. Heterodoxi autem religionis ſuæ zelo accenſi convolare, tumultuoſas ubique ciere factiones, omnem contra movere lapidem, & vatiniano Germanos odio opprimere: Caſchoviæ namque cives clandeſtinâ conjuratione omnes unâ

Hungarica.

Rebelles heterodoxi puniuntur.

Ungarorum conjuratio recrudeſcit.

Caſchovia rebellis.

unâ nocte Germanos Cæſareos mactaſſent præſidiarios, niſi miles quidam ab ancilla cautè præmonitus ad arma ſigno commilitones convocaſſet, magnoque eadem nocte tumultu & contentione non abſque mutua cæde diu pugnatum, donec repreſſi tandem cives meritâ conjurationis pœnâ ſunt mulctati.

Sed dum Cæſar Batavis confœderatus (quos Gallus opprimere moliebatur) ſuum è Pannonia militem reduceret in Germaniam, effrenes & inſolentiores conjurati Hungari Petrozius, Sepeſius, Tendeus, Gabor, Sutreyus, multique primarii è latebris ſuas educentes copias in Cæſareos ſæpius arma infeliciter moviſſent, rejectique fuiſſent, Ottomannicam in ſubſidium Portam, quæ opportunam nunc quidem reliquum Hungariæ ſubjugandi occaſionem perſpiciens; obfirmato tamen decretum in Polonos bellum proſecutura conatu, ſubſidium rebellibus denegat, eoſque in Tranſylvaniam, turcicumque profugos territorium excludens ad Cæſarem remittit. At Gallo contra Batavos ubique prævalente, ſubmotiſque cum Ottomannica Porta controverſiis, dum antiqua pacta novis Rex Galliæ confirmaſſet per Noitellum legatum ſuû conditionibus, verſis Soldanus velis, omnem Rebellibus in turcico ſuo permittit non tantùm ſecuritatem; ſed ſuis quoque mandat Baſſis, ut quantum ſine aperta pacis ruptura fieri poſſet, armorum illis ſubſidio nunquam deeſſent. Quid? quòd Rebelles amplis Gallus pollicitationibus ſollicitabat, fovebat, incitabatque æris ſuppetiis, quibus adeo animati Abaſſium quo-

Rebelles Turcam & Abaſſium implorant.

que Tranſylvaniæ principem ſuæ prætextu Religionis tuendæ in armorum ſollicitabant ſocietatem; ſed Princeps hic ſive reformatæ pertæſus religionis, ſive quòd periculoſis bellorum motibus ſe ſuosque ſubditos nollet hoc temporis ſtatu implicari, ad legitimi Regis ſui obedientiam remiſit. Cæſar autem ut Hungarorum ſibi conciliaret animos, generalem amneſtiam, univerſarumque culparum publicari jubet condonationem, quam illi frivolam reſpuentes temerè obganniebant: Nos univerſaliter in Regem non deliquimus; majeſtatis rei ſe purgent & excuſent. Ferro igitur mederi vulnus dum eſſet neceſſe, ſeveriorem rebellium inquiſitionem, & religionis reformationem Cæſar imperat, atque ita evangelici præcones aut factioſæ concionis rei, aut conjurationis convicti, uti Nicolaus Drobitius, vir 85. annorum, mortis pœnâ condemnabantur, plures ad tribunalia Presburgi citati, abjuratis erroribus ad catholicam ſe converterunt eccleſiam, alii ſponte officia ſua & eccleſias dimittentes exulare mallebant; refractarii verò & pertinaces aut carceri mancipabantur; aut ad triremes condemnabantur: Generalis quoque Spanckavius ablatas Evangelicis Jaurini, Presburgi, Caſſoviæ, aliisque paſſim in locis eccleſias reſtituebat Catholicis, quos ubique etiam ejectis Evangelicis ſubſtituebat magiſtratibus; cives verò ſe opponentes grandi æris mulctâ caſtigabat. Hæc res nimium conjuratorum affligens animos, in tumultuoſum tandem acti furorem, triginta armatorum millibus erumpentes, Kalum intercipiunt, trucidato non ſolùm Ger-

Severius in eos actum.

Catholicos illi occidunt,

Germano præſidio, ſed etiam Catholicis omnibus in urbe repertis ; deinde Eperieſum invadunt, & inſano impetu occupant, latéque comitatus & provincias pervagantes, tantum ubique terrorem circumferunt & vaſtitatem, ut mitiora Viennenſis aula conſilia adhibenda eſſe cenſeret: quia verò inquietos tumultuantium animos nullo adhibito clementiæ pacificandos remedio prævidebat, vim vi repellere & ſubjicere tentatum fuit, non ſine magna ſæpius partis utriusque cæde, Germanis plerumque prævalentibus. Multum verò inopinata Rebelles terruit Abaffii Principis Tranſylvaniæ converſio, qui quòd zeloſus ac potens reformatæ fuiſſet religionis ſectator & patronus, haud exiguâ conſequendi ſpe ſubſidii alebantur, quam nunc omninò abjiciebant, dum eundem Romano-Catholicam hoc anno amplexum fidem audiebant. **Abaffius fit Catholicus**

In menſe Octobri Carolus IX. Rex Suecorum in comitiis majorennis declaratus à Regni Statibus, 18. Decembris magnâ celebritate Rex coronatur ; Exrex autem Poloniæ Joanes Caſimirus 6. Decembr. Nivernis in Gallia fatis conceſſit, qui abdicato jam ab annis quinque regno fuit apud Gallos in S. Germano hoſpes ; his ultimis annis, quòd æqua illi ſervandæ dignitatis ſubſidia deeſſe viderentur, Pariſiis in minoris nominis locum ſecedens, in hac urbe, ſuæ quondam uxoris patrimonio, 63. ætatis anno oppetiit, viginti annis Rex Poloniæ, & quatuor ſolitarius eremita. **Obitus Jo. Caſimiri R. Polon.**

Annus 1673.

Mors Imperatricis Margaretæ. 116. Anno ſequenti 1673. die duodecimâ Mart. extremum clauſit diem Viennæ in Auſtria Margareta Thereſia Auguſta, Leopoldi Cæſaris conjux, nata anno 1651. filia Philippi IV. Regis Hiſpaniarum, de Cæſare & Imperio bene merita, quòd Ferdinandum Wenceslaum pepeperiſſet, quem ſi fata in virum evadere tuliſſent, præciſa forſan tot bellorum forent ſemina, quæ inde emersêre. Reliquit tamen Mariam Antoniam filiam, quæ anno 1685. Maximiliano Emmanueli utriusque Bavariæ Duci & Electori nupta, eidem genuit principem Joſephum Leopoldum; quem Carolus II. Rex Hiſpaniarum monarchiæ ſuæ ſcripſerat ſucceſſorem, niſi Deus ipſum in ſexto ætatis ſuæ anno ad æternam cœleſtis gloriæ evocaſſet coronam. Eandem videbatur viam voluiſſe ingredi Clementem Pontificem, gravi morbo langueſcentem, cui Chymicus Borri per P. Commiſſarium S. officii occultè pulverem quendam chymicum ſubmiſit, quo ſumpto Pontifex ſubitò ita convaluit, ut altero die ſacro interfuerit officio, menſæ ſanus accubuerit, omnibusque Prælatis & miniſtris alloquium & audientiam præbuerit. Similier Sluſio apoſtolicorum Brevium ſecretario periculoſâ febri laboranti tincturâ auri loquelam reſtituit, cujus amici ſpe revaleſcentiæ à Cardinalium inquiſitionis congregatione Borro petierunt infirmum adeundi licentiam, quâ à Card. Patrono negatâ, ſed à Pontifice benignè conceſsâ plenæ Sluſium reſtituit ſanitati, cum ſumma

Borri curat Papam,

Et Sluſium,

pon-

pontificiæ aulæ laude, & æſtimatione chymici expertiſſimi. Idem Pontifex 18. Jan. Abbatem Felicem Roſpiglioſum creavit Cardinalem, & mox quatuor alios, Petrum Baſſadum Venetum, Prælatum Nerlum Florentinum, Prælatum Gaſtaldum Genuenſem, & Prælatum Caſanattum Neapolitanum. Neo-Cardinales.

117. Quia anno præcedente Electores Moguntinus, Trevirenſis & Palatinus Cæſareo-Brandenburgico exercitui rheni tranſitum denegaverant, in Weſtphaliam regredi fuit coactus, quem in altera rheni parte inſecutus Turennius, novis Condei & Duraſi auctus copiis, Weſaliæ rhenum tranſiens Weſtphaliam irruit, & in principio hujus anni Unnam, Ham, Soeſt, Ravensberg, Hôxteram, Altenaviam, Bilefeld, & Lipſtadium occupat, omniaque paſſim devaſtat & depopulatur, ut Elector ſe Parthenopolim, & Cæſarei Hildeſium recipere cogerentur. Cùm Brandeburgicus igitur Elector diutius in proprio non poſſet ſubſiſtere territorio, & ſubſidiaria quinque menſium æra Batavi non ſolverent, nec ſpes ulla ſubſidii aliunde ſupereſſet, neve ſuæ omnino provinciæ in Gallorum prædam & ruinam cederent, ad pacem Elector inclinabat, ſuadentibus etiam eam Epiſcopo Oſnabrugenſi, legato Suecico Wangelino, & Palatino Cancellariæ directore Straetman, qui Pariſiis ſcribebat Regem Galliæ admodum inclinare cum Brandeburgo paciſci. Miſſo igitur ad gallica prope Lovanium caſtra intimo ſuo conſiliario Minders, pax cum gallico miniſtro Pompone 18. Junii in oppido Voſſem his pacta eſt conditio- Turennius irruit Weſtphaliam. Pax Gallo-Brandeburgica.

ditionibus: omnia non ſolùm Marchiæ, ſed etiam Cliviæ intercepta loca Electori reſtituantur, videlicet Orſovium, Buricum, Emmericum, Huiſtum, & Ravenſtein; Weſalia verò & Reeſum in Regis uſque ad hujus belli finem manebunt poteſtate additæ quoque ſunt promiſſiones à Rege largiſſimæ, & à Rege Angliæ confirmata ſunt hæc omnia, Cæſari denique, Regi Suecorum & Batavis notificata; addunt aliqui etiam Electori redditum munimentum Schenckeſchantz.

Galliæ R. Trajectum obſidet. Tum Ludovicus Rex auctis exercitûs ſui copiis ſex peditum & duobus equitum millibus, 1. Maji è S. Germano diſcedens in Belgium, Trajectum ad Moſam impetiturus, dum audit copioſo roboratum præſidio haud facilè obtinendum [Batavi namque ſeptuaginta ſex peditum, & ſexdecim equitum millibus tunc valebant] variis exercitûs ſui motibus hoſtem fallendo quaſi jam Brugas, jam Bruxellas tentaturus, Montereum Belgii gubernatorem eò adegit, ut aliquot è Trajecto copias in Bruxellenſem acceſſiverit defenſionem; quo felici Stratagematis ſucceſſu 6. Junii Comes de Lorges tribus equitum millibus Trajectum ex una parte, & Montaltus inſtrato Moſæ ponte ex altera parte totidem equitum millibus cinxerunt: urbis autem

Farjaux præfecti generoſitas. Præfectus Generalis Farjaux quinque præſidiariorum ſolùm millibus, pro loci amplitudine non ſufficientibus defendebat; qui ut animi ſui oſtenderet generoſitatem, Rege cum fratre ſuo 10. Junii caſtra ingrediente, jubet omnia circa urbem bellica diſplodi tormenta & bombardas,

in-

inflari tubas & tympana, & ſanguinea in vallis exponere vexilla, quaſi gauderet, quòd ſuæ generoſitatis & defenſionis magnum & potentiſſimum Regem haberet ſpectatorem & impugnatorem. Pugnatur itaque utrimque ſtrenuè, nam eodem 10. Junii die eruptione in ſtationem Aurelianenſem factâ,quo etiam mille quingenti Hiſpani per caſtra urbem petentes Gallos à tergo invadunt, & præter ſexcentos neci datos quadringentos etiam captivos cum prætoriano Aurelianenſi ſigno, & quinque aliis vexillis in urbem retulerunt. Erectis jam tormentorum ſuggeſtibus, & perforato, dejectoque latè muro cùm exteriorem etiam foſſæ murum occupaſſent, Rex primum impetum in caſtellum defixum per bis mille ſclopetarios largo potatos vino fieri jubet, quos urbani tantâ excipiunt fortitudine, ut Gallorum mille quingenti ſint proſtrati, & centurioni vix ſeptem, ac tribuno Helveto vix ſuæ legionis ſuperfuerint viginti. 22. Junii in altera impreſſione cum 9000. multo Galli ſanguine obtinent revelinum; ſed generoſus Fariaux incenſo mox cuniculo nongentos in aërem emiſit, unde reliqui fugâ ſibi conſuluerunt. Nec ideo terrefacti deſiſtunt Galli, ſed inter 25. & 26. noctu dimidiatam aggrediuntur lunam, unde tertiò vi incredibili ejecti, mediam nonniſi partem vix ſervare poterant. Die altera 27. die Junii quartum repetunt magno cum furore, & octo armatorum millibus inſultum, cum ingenti utrimque cæde& ſanguine, Rege ipſomet in loco edito ſecurè ſpectante, & foſſas caſtrenſes ſæpius viſitante. Urbis præ- **Primus inſultus.**

ſidiarii quamvis continuis inſultibus, tormentis, pyrobolis, & ignibus undique feſſi & exhauſti, acerrimam tamen mille virorum excurſionem tentantes, cæſis ſexcentis Gallis bellica eorum tormenta clavis configunt, & aggeres tormentarios deſtruunt, paucis ſuorum amiſſis. Demum inter 28 & 29. nocte ultimo & horribili Rex aſſultu urbem aggreſſus, octodecim omnino horis inſanâ pertinaciâ & deſperatione utrimque adeo pugnatum eſt, ut ignavos & tardos fuſtibus equites aut pugnare, aut mori compellerent, & Rex ipſe ſtricto ſuos gladio adurgeret: in quà horribili aſſultûs pugnâ Gallorum quinque periêre millia, & præſidiariorum haud exiguus ſine dubio erit numerus cæſus. Occupatis ſic omnibus inter Tongrenſem & Bruxellenſem portas operibus, murorumque ruinâ latè ubique patefactâ antequam extremam & decretoriam Rex imperaret impreſſionem, miſſo ad urbem tubicine exigit deditionem honeſtis ſub conditionibus, quam præfectus Fariaux abſolutè repudiat, clerus autem & cives illam deprecabantur, decretorio aſſultui longè impares. Cùm Rex iteratò traditionem poſtularet, comminando nulli ſe hominum parciturum, ſi armatâ urbem manu obtineret, bellicum itaque conſilium emanente ſubſidio, & cives pro conſervatione vitæ eam urgerent, Fariaux non ſolùm pertinaciter recuſavit, ſed ſuper magiſtratûs & bellici conſilii timiditatem ita excanduit ira, ut phlebotomiâ curari debuerit, populumque ad curiam ſenatoriam conſularium domorum direptionem mi-

Ultimus cruentus inſultus.

minitantem 50. equitibus diſſipaverit & repulerit. Cùm verò magiſtratus & clerus graviſſimis moventibusque argumentis & rationibus deditionem ſuaderent, 30. Junii miſſis utrimque obſidibus ſub honeſtis primò conventum conditionibus; rege poſtea præſidium nolente dimittere, abrupti ſunt tractatus, & Fariaux gaudens Comitem Montbrun & gallicos regios obſides ad caſtra remittendo, repetit viciſſim ſuos Trajectenſes; Montbrunus abiens promittit ſe regem, ut abitum permitteret, diſpoſiturum, quod etiam poſt horam reverſus effecit. Traditâ igitur 30. Junii civitate, dimiſſum eſt præſidium 3300. & Sylvamducis deductum: numerus autem Gallorum in hac obſidione cæſorum cenſentur decem millia fuiſſe, quos inter 70. principes, marchiones, comites, & 150. tribuni, centuriones ſimileſque belli officiales perierunt; impoſitoque urbi ſub gubernatore Comite Eſtrade, & præfecto Morliere in Wick 6000. peditum & 1500. equitum, Rex 8. Julii à relicto exercitu abiit in Lotharingiam, vix aliud quicquam aggreſſurus, priusquam proximè inſtantis inter Gallo - Anglos & Batavos naumachiæ exitum, & in Selandiam excenſionis ſucceſſum audiviſſet, præſertim cùm perciperet Hiſpanorum ad Batavos aceeſſum, unde ea in parte tutus & ſecurus eſſe non poſſet: tum denique quòd Cæſareanum metueret deſcendentem exercitum, quem in Lotharingia voluit obſervare: & quòd Lotharingi ob novam Imperii declarationem ſibi priſtinam libertatem pollicentes, tumultuarentur.

Trajecti deditio.

118. Miſit tamen cum 13000. marchionem Rochefortium ad occupandam archidiœceſim Trevirenſem, quòd Elector Confluentiæ & Ehrenbreitſteinii Cæſareum admiſerit præſidium, ne in Gallorum hoſtium manus, non ſine maximo Imperii Rom. detrimento, inciderent, quare non ſolùm Schönekum, Schönberg, Holdſtein, Baldenau, & Bern-Caſſel aliaque occupant loca, varia diripiunt oppida, intolerabiles extorquent contributiones, & inſanè omnia devaſtant; ſed ipſam etiam Treverim adorti 8. Septembris capiunt, & valido robore urbem fortificando & extendendo proxima loca ſacra & monaſteria diruunt, de quo monitus urbis præfectus Comes Vignorius, quòd Deus non irrideatur, ſed graviſſimè talia punire ſoleat, reſpondit Vignorius: Videat Rex, cujus imperio facio: & cùm etiam extra urbem monaſterium & eccleſiam S. Mathiæ (qui in eadem requieſcit, & frequenti undequaque populi hodiedum veneratur concurſu) per milites ſuos juſſiſſet incendere; illi autem rei ſacræ gravitate, & monachorum aliorumque fidelium enixis precibus & lacrimis commoti abſtinuiſſent, ille furore actus more militari, Diabolus me auferat, inquit, ſi non hodie adhuc illud monaſterium in cineres redigam. Mox conſcenſo equo per pontem illuc properans, fulgurante cælo equus pavidus ſe & equitem ſuum in foveam præcipitat, mortis, utinam non & dæmonis victimam, quem invocaverat. Nulli principi, qui ſacrarum ædium adjuvat ruinam, ait *Guevarra horol. princ. num.* 84. Vitæ proro-

Galli Treverim capiunt.

Deus eccleſiarum deſtructores punit.

gatio

gatio à Deo ſperanda eſt ; ſi enim Oza tantam meruit pœnam, quòd arcam Dei ſine reverentia, diligenti tamen manu ne corrueret, tenuit labantem, tam ſubitò in conſpectu omnium exanimis concidit, quod ſupplicii genus maximè profectò eſt horrendum, quæ vos manebit pœna, qui per malitiam potius, quàm per ignorantiam ruinam eccleſiæ conceditis, adjuvatis & imperatis? Similes graves exactiones, vexationes, direptiones & vaſtationes à Turennio paſſa eſt archidiœceſis Moguntina, quarum liberationem ſæpius à Rege Vir prudentiæ incomparabilis deprecatus Elector Joannes Philippus à Schönborn, qui hoc anno 12. Februarii, 70. ætatis, regiminis Moguntini 25. & Herbipolenſis 30. annis eſt defunctus, in cujus Herbipolenſem epiſcopatum ſucceſſit Joannes Hartman à Roſenbach, & in electoratum Moguntinum epiſcopus Spirenſis Lotharius Fridericus à Metternich: hunc non minus quàm Joannem Philippum ad gallicas invitare, quid dico invitare, attrahere partes laborabant Marchio d'Angeau, Ratisponenſis Reſidens Gravec, & Princeps Wilhelmus Furſtenbergus; ſed lavabant æthiopem; germana quippe libertas gallicæ longe prævalet ſervituti. Hunc, Furſtenbergum, etiam Patres Carthuſiani Moguntiæ cum Electore, & aliquot nobilibus Canonicis ad ſuam invitaverant menſam, in qua cùm omnes hilares Cæſaris biberent ſanitatem, Furſtenbergus vinum in terram effundens noluit bibere; quem ideo offenſus nobilis Harzfelt ad ſingulare provocat duellum, fortè ſecuturum, niſi

Mors Moguntini Joannis Philippi.

Succedit Metternich.

Furſtenbergii temeritas.

Ele-

Elector impediviſſet; dum autem Galliarum Regis Sanitas bibebatur, nobilis ille vitrum vini in faciem Fürſtenbergi conjiciens magnum excitavit tumultum, quo ſine dubio Electoris interpoſitione ſopito, cùm gallici miniſtri Electoris animum pervertere non poſſent, Aſchaffenburgum cum arce occupant, & Electoris miniſtros ejiciunt, uti & Selingenſtadium, aliaque loca violenter capiunt. Queſtus de hac violentia apud Regem Elector, reſponſum accepit eſſe Raiſon de Guerre, quod omnes militares exceſſus, nequitias & vaſtationes excuſare videtur. Palatinatum quoque quamvis neutralem Turennius miſerè non ſolùm vexat, ſed etiam Germersheimium ut Alſatiæ annexum & dependens occupat, de quo maximè dolebat Elector; ſed felicior, quòd ſine liberis defuncto Ludovico Henrico Duce Simmerenſi in ejus ducatum Simmerenſem, comitatum Sponheimenſem, & Strombergum jure ſucceſſionis obtinuerit; quod ultimum tamen Moguntinus tanquam à ſuo archiepiſcopatu dependens prætendebat, neve res armis decidenda foret, Cæſar Baronem de Landsberg, & Comitem Ludovicum Guſtavum Hohenloe uſque ad Cameræ ſententiam conſtituit ſequeſtros.

Gallorū direptiones Moguntiæ.

In Palatinatu.

Ducatus Simmeron cedit Palatino.

119. Jam etiam utraque pars ad maritimam ſe expeditionem ſtrenuè præparaverat, quia aquis totâ inundatâ Hollandiâ nihil, aut parum Gallo-Angli efficere poterant, excenſionem in Selandiam moliebantur; quare Michaël Adrianus de Ruyter Batavorum Claſſis admirabilis 9. Maji Anglorum cum Gallis conjunctionem impe-

Naumachia Gallo-Anglo-Batavica prima.

pediturus, ſexdecim militaribus Tameſim ingreſſus, eam ne Angli exirent, occluſurus: ſed eorum quinquaginta navium claſſem à longe videns, cui ille longè erat impar, levatis ſubitò anchoris contendit Schonfeldiam, ubi vice Admiralem Trompium cum reliqua claſſe Amſtelodamo expectat, quâ 28. Maji accedente mox in aciem eſt diſpoſita, cujus primum agmen Trompius, ſecundum ſeu ultimum Banckert, medium ſeu corpus Ruyterus ducebat, claſſisque tota centum & novem navibus valebat; Gallo-Anglica verò claſſis 140. navibus, cujus primum agmen moderabatur Angliæ Princeps Robertus, medium Comes d'Eſtrees, & ultimum Vice-Admiralis Spraag. Septimo igitur Junii prope Schonfeldiam utrimque horâ ſecundâ pomeridianâ congreſſi pugnant accerrimè, Batavi Eſtreum brevi in fugam conjiciunt, econtra fortiter certans Trompius à Gallo-Anglis tamen adeo adigitur, ut niſi à Ruytero auxiliatus, aut captus aut cæſus fuiſſet; Ruyterus adverſo, Gallo-Angli ſecundo fruebantur vento, quem deinde Ruyter feliciter captando ſuam ſalvavit batavicam claſſem: nox interemit naumachiam, utrâque parte ſibi victoriam adſcribente, Anglisque oras ſuas repetentibus Batavi totâ nocte in alto permanſerunt, id obtinentes, quod hoſtium in Hollandiam aut Selandiam impediverint excenſionem, & quamvis multum in navibus paſſi, non tantum tamen, quantum Gallo-Angli, quorum multæ naves incendiariæ (Ruyteri diligentiâ repulſæ) & duodecim militares perierunt, 14. Junii Ruyterus Secunda.
hoſtes

hoſtes iterum aggreſſus in fugam compellit non ſine cauſa meditatam, quos Ruyterus inſecutus circa quartam ad ſecundum adigit certamen, priori æque cruentum; Trompius namq; Eduardum Spraag, Ruyterus Robertum Principem, & Banckert Eſtreum tanta irruunt generoſitate, ut Robertus in fugam ſit actus, tum quòd à ſuis derelictus, tum quòd Eſtreum in eandem magis inclinare fugam quàm pugnam audiret, ne tota ſimul Batavica claſſis illum obrueret. Nox iteratò pugnam diremit, die altera Batavi certamen repetituri, nullum invenientes hoſtem, Tameſim modò ingreſſum, Schonfeldiam cum claſſe ſunt reverſi, victoriâ triumphantes, quam & Gallo-Angli ſibi arrogabant, licet ex hac pugna tria cæſorum & ſex læſorum millia numeraturent, navesque ſex militares amiſerint, Batavi tantùm unicam in brevia illiſam & quaſſatam.

Batavi victores

Quæ inopinatæ fœderatarum claſſium clades magnam inter ambos reges cauſarunt diffidentiam, & apud Anglum pacis cogitationes, & apud Gallum expeditionis in Hollandiam mutationem, & aliorum principum adverſus Gallo-Anglos fœdera confirmabant. Et quia Angli ubique garriendo diffamabant Hollandorum claſſem internecivè cæſam, pluresque naves eorum aquis ſubmerſas, Ruyterus militaris conſilii conſenſu cum tota claſſe Anglicanas tam propè oberrat oras, ut Harwicenſes & finitimi omnes numerare poſſent naves, falſamque cladis famam dignoſcere; quod adeo fœderatos pupugit reges, ut majori claſſe 150. navium

Ruyterus ad Angl. oras ivagatur.

Bata-

Batavos aggreſſuri primâ Auguſti in mare prodierint. Ruyterus viribus & navibus longe impar ſpe & ſubſidio ſecundi venti ſe parem ſperans Oſtendam petit, favorabilem ibidem expectaturus: Robertus autem Princeps in altum conabatur Ruyterum elicere, ut Schombergus interea opportunius in Selandiam cum 24. armatorum millibus poſſet excendere: hoc Ruyterus advertens relictâ Oſtendâ ſubito Schonfeldiam repetit, quem ſubſecutus Robertus in certamen provocat; Ruytero id declinante, velificat die altera Schevelingam. Tandem Ruyterus favente ſibi vento 21. Auguſti fœderatam claſſem adortus Robertum Principem medium, Vice-AdmiralisBenckert primum Eſtrei agmen, & Trompius Admiralis Spraag ſecundum agmen irruit; qui ultimi tam furioſè, tamque pertinaciter utrimque colliduntur, ut vix unica ad pugnandum navis eſſet apta, adeoque ambo in alteram tranſcendere navem cogerentur, & cùm admiralis Spraag horiolâ in tertiam vellet tranſcendere, tormenti globo petitus cum horiola & comitibus ſubmergitur: nec minus colliſus eſt Trompius, cujus etiam Vice-admiralis Sweers periit. Robertus audiens extremum ultimi agminis periculum & Spraagi interitum, eidem poſt acerrimum cum Ruytero conflictum advolans, habuit & hunc ſe inſequentem ac Trompio ſuccurrentem, ubi ambo cruentos ſuos ad finem uſque diei continuabant labores. Eſtreus autem ab hora undecima prælii potius ſpectator quàm pugnator fuit, quaſi occultum regis ſui haberet mandatum, ne ardentiori ſe com-

Naumachia tertia gallo Anglo-Batavica

committeret prælio, cujus inſcius ejus Vice-Admiralis Martel, quòd generoſior pugnaverit, ideo Regis incurriſſe diſgratiam dicitur; cæſorum utrimque numerus hactenus ſtudio latuit; hoc certum, quòd unica Spraagi navis plures habuerit cæſos ac mortuos, quàm tota Hollandiæ claſſis: victoriam utraque ſibi pars vendicat, Batavi autem quòd numero navium & militum multò pauciores, periculoſiſſimam fœderatorum excenſionem tantis laboribus, ſumptibus, & periculis tentatam interciderint, per totam ovabant Hollandiam, off- & defenſivo præſertim cum Cæſare, & cum Hiſpanis & Batavis fœdere 30. Auguſti Hagæ-Comitis concluſo, quo Cæſar viginti peditum millia, & decem millia equitum in campum & ſubſidium Batavorum educet, in quorum ſtipendium hi ſingulis menſibus Cæſari ſolvent 45000. imperialium. Cæſar namque, quòd poſt rhenum trajectum Ludovici Regis arma indemnes Imperii Rom. provincias non ſint relictura meritò formidaret, & ipſe Batavis conſentit auxilia miniſtrare, tractis ad belli ſocietatem Imperii Ordinibus, cum quibus in Ratisbonenſibus comitiis Regi, velut alienarum ditionum invaſori, & pacis contra monaſterienſia pacta turbatori jurato fœdere bellum indicit: quemadmodum etiam rejectis in aula Hiſpanica Villarſii gallici legati perſuaſionibus 16. Octobris in Belgio Hiſpanico, & Madriti die 6. Decembris indictum Gallis bellum eſt publicatum, pactumque 1. Julii cum Duce Lotharingiæ fœdus ad decem annos in faverem

Victores Batavi.

Cæſar & Hiſpanus Gallo indicunt bellum.

vorem & ſubſidium Batavorum, Imperii Rom. & Hiſpanorum continuandum.

110. Rex Sueciæ gallico licet auro excæcatus, ægre tamen Batavorum ferebat interitum, quare modis omnibus inter belligerantes quærebat armiſtitium, & pacis ſe offerebat mediatorem; urgebat idem in aula Anglicana Hiſpaniæ legatus Marchio del Freſno, ab anno priori multis argumentis & rationibus, quòd niſi gallicas deſereret partes, & pacem cum Batavis iniret, ab Hiſpanis bellum illi indicendum; imò graves à parlamento ſuo deponi querelas ob grandem inde jacturam mercaturæ ideo ceſſantis, nec ullo modo velle parlamentum ulterius ad hoc bellum pecunias ſeu nervum bellicum ſubminiſtrare, quibus commotus Rex Carolus rationibus, & plus parlamenti ſui juſſu quàm conſilio Batavis initio anni ſequentis 19. Februar, reconciliatur, numeratis à Batavis Regi octingentis coronatorum millibus, redditisque omnibus in oriente & occidente maritimis portibus, hucuſque à Batavis jure belli poſſeſſis. Urgente etiam Sueco indicta eſt 28. Junii Coloniæ pro pace vel armiſtitio inter belligerantes tractanda conventio, quam Gallus primo ob præſidium legionis Granenſis recuſabat, eâ autem in fidem Magiſtratûs Colon. recepta convenerunt ibidem legati Cæſarei Comes Königseck, Baro de Iſola & Joan. Fiſcherus, Hiſpani Emmanuel de Lyra, & Oudenhoven, gallici Dux de Chaunes, Courtin & Barillon, Anglici Dux de Sunderland, Jenkins, & Williamſon, Batavici Beverning, Renswoude,

Hiſpani Angliam ad pacē diſponunt.

Pax Anglo Batavica.

Tractatus pacis coloniæ

Legati.

Odyck, Haaren, & Ysbrants, Brandenburgicus Baro Otto à Schwering, Colonienſis Princeps Wilh. Furſtenbergus, Monaſterienſis Baro de Smiſing, & Sueci mediatores Comes Ehrenſtein, Tor, de la Gardie & Sparr, à quibus factâ propoſitione galli offerebant reſtitutionem omnium hoc bello captorum, econtra Batavi tradant illi ea, quæ ſuperiori bello ab Hiſpanis ceperant in Belgio, Trajectum, civitates & loca ſuperioris Moſæ, Sylvam Ducis, Bredam, Bercizomam, Willemſtadium, Steinbergam, ſumma quidquid inter Moſam & Schaldim continetur. Angli exigebant Velorum dimiſſionem, vectigal Halecum in Oris anglicis, Auriaci in omnia officia & dignitates reſtitutionem, pro belli ſumptibus 4. milliones, & civitatem Briel, vel Vliſſingam in Selandia. Elector Colonienſis prætendebat Rhenoberckam & comitatum Mörs, Monaſterienſis Epiſc. Swollum, Provinciam Trente, Lochem, Grollam, Borckelo, Brevort &c. Melitenſibus ſuas reddant commendatarias, & catholicæ religionis permittant libertatem &c. Sed quia ſubſidiaria Cæſaris & Hiſpani arma Batavis ſubmiſſa metum utcunque depellebant, Anglus & parlamentum ad pacem inclinabant, Colonienſis & Monaſterienſis vacillabant, ideo Batavi illa repudiantes, urgebant prius audire cauſam expeditionis frivolè adverſus ſe ſuſceptæ, duoque legati Batavi Beverning & Haaren in Hollandiam 14. Julii, & altera die Emmanuel de Lyra redeuntes fœderatorum poſtulata Ordinum

Poſtulata Galli.

Angli & aliorum

num Statibus proponunt, qui habito conſilio 10. Auguſti Coloniam revertentes, Gallo cedebant Trajectum, & ad tractum ſuperioris Moſæ Dalen, Falckenburg, Hertograde, in tractu ſuperioris Iſſelæ Brevort, Groll & Borckelo, hac tamen conditione, ut quædam loca in pace Aquisgranenſi accepta reddat Hiſpano: cum Anglo particulatim vellent paciſci. Electori Colon. Rhenoberckam, Brandeburgo Orſeum, Weſaliam, Reeſum & Emmericum permittebant; Monaſterienſi Epiſcopo à Gallo ſuperioris Iſſelæ locis ſatisfiet. Sed quia hæc omnia Regi Galliæ diſplicebant, & Ducem Lotharingiæ his tractatibus includi, ut Cæſar, aliique confœderati urgebant, nullo modo volebat, tractatus hi fruſtranei omnino ſunt reſciſſi; ſub quibus licet admodùm fuerat laboratum Electorem Colonienſem à Gallis ad Cæſereas abſtrahere partes, Fürſtenbergo id impediente, vix quicquam eſt effectum.

Quæ Batavi velint cedere.

Tractatus reſcinduntur.

121. Conclamatum igitur rurſus ad arma, Batavique laborabant 76. peditum millia, equitum 14. millia, & dimacharum duo millia auctorare, ut ablata paulatim recuperarent; nam Auriacus audiens Condeum tranſitâ moſâ ob fœdus Hiſpano-Batavicum irruiſſe, vaſtareque crudeliter Brabantiam, & ad ipſas Bruxellas duxiſſe exercitum Nardenam recuperaturus, ut proximum Luxemburgum falleret, Bommelum à navibus aliquot militaribus leviter tentari jubet, in cujus mox ſubſidium dum quinque armatorum millia Luxemburgus ſubmittit, Auriacus Nardenum per Fariaux tumultuariè

Auriacus Nardenum occupat.

 6. Septem-

6. Septembris circumcingit, paulò poſt ipſe 25000. exercitu terra marique tormentis è quatuor ſuggeſtibus urbem adeo flagellat, ut occupato exteriori foſſæ muro, & caſtello defixo, ſeu revelino, decretoriâ 12. Septembris indictâ impreſſione ſpontaneam urbis præfectus du Pas obtulerit deditionem, magno Hollandorum emolumento; nam præter 17. tormenta bellica ingentem ibidem commeatûs & apparatûs bellici copiam invenerunt, & liber uſque Trajectum aditus illis eſt patefactus; Gallis vero tranſitus Amſtelodamum verſus oppeſſulatus. Auriacus poſtquam Nardeno comitem Königsmarchium gubernatorem, & tribunum Stockheim præfectum impoſuiſſet, abiit cum exercitu in Brabantiam, Antwerpiæ cum Montereo Belgii gubernatore conſilium capturus, an in Brabantia Condeus, an cum Cæſareanis conjunctim Bonna ſit impugnanda: ultimo utrimque concluſo, additisque 8000. Hiſpanis 16. Octobris profectus Bonnam, in itinere oppidum Rheinbach tranſitum negans, tormentis bellicis coactum eſt, & conſul hujus renitentiæ auctor in media porta ſuſpenſus.

Per Brabantiam vadit Bonnã.

122. Interea Cæſar Leopoldus vi off- & defenſivi fœderis inter Cæſarem, Hiſpanos, Batavos & Lotharingum Hagæ-Comitis contracti, Ægræ ſuum 30. millium exercitum in præſentia Electoris Saxoniæ Joannis Georgii II. ejusdemque filii primogeniti (cui hic 3000. & totidem addebat Lotharingus) ipſe perluſtrat, cujus archiſtrategi Montecuculus, & Dux Bornonvillus, erant, generales equitatus Comes Sporckius,

Cæſar ſuum luſtrat exercitũ

Caro-

Carolus Dux Lotharingiæ, Werthmullerus, Comes Caprara & Chavignacus: peditatûs vero generales Princeps Hermannus Baden, Principes Pio & Portia. Hunc triginta ſex millium exercitum adverſus Gallum mittit Bonnam impugnaturus, hanc proteſtationem Mariæ-Zellæ ſumptâ ſacrâ Communione, manu tenens crucifixum emiſit: *Deus Dominus & redemptor meus, cujus effigiem manu teneo, proteſtor coram te, tu ipſe noſti, quod non ex ambitione plures obtinendi provincias & regna hunc in campum emittam exercitum; tu noſti quod contentus ſum illo, & divinæ tuæ bonitati ago gratias pro hoc, quid mihi donaſti. Spero juſtum meum tibi fore acceptumq; propoſitum, ideoque famuli tui arma & exercitum benedices & adjuvabis. Proteſtor, quod ad hoc bellum coactus, ideoque ſanguinem in eo profuſum in extremo judicii die de manibus meis non ſis repetiturus, in te mi Deus totus confido.*

Mittit Bonnã.

Ejus proteſtatio.

Gallus enim non ſolum archidiœceſim & civitatem Trevirenſem & Moguntinam hoſtiliter invaſerat; ſed etiam in Alſatia per Fevilladum decem millium exercitu Colmariam & reliquas octo civitates imperiales Landaviam, Hagenoviam, Albam Sebuſiam, Obernheimium, Montem Cæſareum, Monaſterium in valle Gregorii, Rosheimium & Turckheimium ſuæ fecerat poteſtatis. Montecuculus igitur Ægrâ cum exercitu tendit in Franconiam, metaturque caſtra in monte prope Ochsfurtum, loco admodùm opportuno; Turennius autem ex Weſtphalia per Haſſiam & Wetteraviam ſuperato meno

Alſatiæ civitates Imp. capit Turennius.

movet Rotenburgum, & impoſito Friedbergo & Aichaffenburgo præſidio, caſtra Mergentheimii, ut Montecuculum vigilantius obſervaret, eſt metatus, quem inſecutus Montecuculus ad pugnam pellicere non potuit; prætoriam tamen ejus ſtationem obruit & in fugam compulit, præterque iteratos conflictus annonariam Gallorum domum Wertheimii 18. Septembris deſtruxit, unde Turennius aliò divertere coactus, multos è ſuis milites ab Herbipolenſibus ruſticis cæſos amiſit; Montecuculus quoque ſuum promovit exercitum tranſito Herbipolis mœno Francofurtum, inde peditatus navigio, & equitatus terrâ ad Bonnenſem properat obſidionem. Elector autem Colonienſis Maximilianus audiens Cæſareanum, & Batavicum adventare exercitus, fugit Coloniam Agrippinam, latuitque in Monaſterio S. Pantaleonis Ord. S. Benedicti ſub magiſtratûs hujus protectione. Condeus metuens Electorem hac occaſione facilè ad partes Cæſareanas tranſiturum, Mareſchallum d'Humieres cum decem equitum millibus ex Brabantia dimittit, ut vel obſidionem omninò impediret, aut redderet difficilem; ſed cùm omnes ad urbem aditus reperiret interclusos, Noveſium verſus rediit Trajectum: quintâ enim Novembris duo hi exercitus Cæſareo-Auriacus Bonnam arctiſſimè cinxerant, Montecuculus ſuam fixerat ſtationem in Godesberg, Hiſpani in Keſſenig, Auriacus in Rheindorf, ac Sporckius cum equitatu in altera rheni parte: urbem autem duo præfecti ex parte Gallorum Reveillon, ex parte Electoris General. Landsbergus

Montecuculū annonariam domum Wertheimii deſtruit.

Maximilian. fugit Coloniā

Bonnæ obſeſſio.

bergus cum bis mille præſidiariis Gallis, 80. tormentis bellicis, omni apparatu & commeatu affatim inſtructi generoſe fortiterque defenderunt. 8. namque Novembris trina eruptione factâ generosè quidem pugnarunt, ſed inſigni ſemper cæde ſunt repulſi. Jamque obſidentes vineis ſuis foveas acceſſerant, & undecimâ hujus ad portam colonienſem impreſſione in ſemilunam ab Hiſpanica legione anteſignano Comite Schellart factâ pugnatur utrimque pertinaciter, occumbentibus multis cum Comite Schellart, & lethaliter ſaucio Comite Königsmarckio, paulò pòſt etiam mortuo, Hiſpani illam occupant, quâ obtentâ, factâque murorum latâ ruinâ, tres propugnaculo dejiciendo ſubſtructi ſunt cuniculi. Tum iteratò ſub honeſtis conditionibus poſtulata eſt urbis deditio, ſecus in ore gladii omnes eſſent perituri: quibus omnibus paratis, viſis & intentatis ſpotaneam 12. Novemb. offerunt deditionem, & mille quingenti præſidiarii Noveſium deducti, ac Marchio de Grana urbis præfectus eſt conſtitutus. Deditio.

123. Rebus ſuis hic peractis Auriacus ad ſua reverſus, Ducem Luxemburgum Trajectum usque inſecutus adeò arctè ſubter tormentis ejus coanguſtat, ut expedito ad regem ſuum curſorè ſubſidium imploraverit; ſed quia bataviсus miles diuturnæ moræ impatiens ob hyemales temporis injurias poſcebat hyberna, ad ea relicto Luxemburgo illos deſtinavit, & glorioſus cum regiæ altitudinis titulo, quem illi Cæſar, & Rex Hiſpaniæ attribuerant, Hagæ Comitis ſuæ expeditionis ſeriem anno ætatis ſuæ 23. Ordini-

bus unitis 8. Decemb. expoſuit. Montecuculus autem ſuum militem in archidiœceſim Colonienſem, & ducatum Juliacenſem ad hybernalia dimittit, quem Turennius in ſuperiori Germania Bingii, & ad turrim murium inſidiosè reducem, ſed fruſtra expectabat, ideoque militi ſuo ad Moſellam, & in Lotharingia aſſignat hyemalia.

Ludovicus Rex pluribus jam expoſitus hoſtibus, Cæſari, Imperio Rom, Hiſpano, & Trevirenſi reſiſtere haud ſufficiens, militem ex occupatis priori anno Belgii civitatibus coactus fuit educere; quod eò faciebat libentius & honeſtius, quòd in illis provinciis undique jam oppeſſulatis, & commeatu interdictis miserè eſſent perituri, nec ultra quicquam ob aquarum ubique inundationes obtenturi, concordibus jam Batavis vigilanter & fortiter reſiſtentibus. Quare Wordenam, Harderwick, Bommel, Crevecur, Ammersfort, Ultrajectum & alia adjacentia loca, præterquam Trajectum & Graviam menſe Novembri deſerunt, relicto perpetuo ſuæ crudelitatis monumento, & prius ſoluto pro condonatione ignis, murorum deſtructione & direptione &c. immenſo pretio: à Wordena exigebant 20000. extorſerunt 16000. florenos; à Bommel 36000. fl. ab Elburgo 12000. fl. à Campen 80000. fl. ab Ultrajecto 450000. fl. & quia tantum 100000. in paratis ſolvere poterant, plusquam 15. obſides abduxerunt, &c. Sicque tota Ultrajectina, & duæ aliæ provinciæ juſſu regis gallico milite ſunt evacuatæ, & ad exercitum augendum remiſſæ,

Galli tres occupatas provincias deſerunt.

quo

quo plures copias Hiſpanis & Germanis Batavorum auxiliatoribus opponeret, eaque etiam de cauſa navalem apparatum intermiſit, hactenus adverſum, quia malè parta, malè dilabuntur *Cic. Philip.* 2.

Terminata eſt tandem hoc anno Ulmæ inter duos Electores Bavarum FerdinandumMariam, & Palatinum Carolum Ludovicum diu ventilata controverſia de Vicariatu defuncto Imperatore, ac throno vacante in Suevia & Franconia &c. cujus præſidem Bavarus, & Cancellarium Palatinus conſtituet, & pares uterque aſſeſſores & Secretarium adjunget. **Controverſia Vicariatûs ceſſat.**

124. In Regno Hungariæ conjuratorum numerus variorum acceſſione magnatum Ballaſſe Imbre, Bozkai, Hedwygi, Petrozzi & Töckelii auctus, fœdas in patriam ſuam fecêre excurſiones & populationes; ſed fœdiùs iteratò à Spanckavio, Koppio & Sparrio generalibus cæſi & repulſi ſunt. Cæſar autem ut turbulentis illis Hungarorum motibus opportuniùs occurreret, regnumque redderet quietum, loco Palatini, qui à morte Weſſelini ob periculoſam Ungaricæ nationis inconſtantiam & temeritatem hucuſque vacabat, ungarici regni gubernatorem, & rerum adminiſtrum ſummum Theutonicorum Equitum Magiſtrum Joannem Caſparum ab Ambringen, virum inſignis prudentiæ & magnæ expectationis inſtituit, & magnificis illum ſolemnitatibus in fidelium adhuc ordinum & magnatum præſentia Presburgi inſtallando confirmavit, dando omnem illi Palatini ſeu Proregis poteſtatem, eidemque Cancel- **Novus Ungariæ Prorex.**

larium, ſex conſiliarios, & duos ſecretarios adjunxit, cujus prudentia, & Straſoldi, Cæſarei tunc militis in Hungaria Generalis vigilantiâ rebellium adeo coërcita eſt inſolentia, ut expeditionis ſingularis nihil; excurſiones autem Turcarum ſubſidio plures, magnâ tamen ſuorum jacturâ ſuſceperint. At quia gubernator Ambringen duriuſculè in Proteſtantes animadverteret, & ſeveriori ſupercilio populos regere videretur, ſucclamantibus illis, & irâ furentibus prædicti Balaſſus, Bozkaius & Petrozzius collectis tumultuosè duodecim hominum millibus aditum prope Teyllas capiunt, Caſſoviam cingunt, Eperieſum intercipiunt; cumque inſigni ſæpiùs clade mulctarentur, & longiùs perſequerentur, ad ſolum ſubitò turcicum & Tranſylvaniam, ſecuritatis ſuæ loca fugientes, novis uſque dum augerentur copiis latebant; captivos interim Germanos uncis & palis [ut à Cæſareis audiebaet fieri Ungaris] crudeliter transfigebant, ac ſacerdotes imprimis Catholicos inſolentiſſimâ ſemper petulantiâ tyrannicè opprimebant, & mactabant: imo miſſis Byzantium curſoribus ſubſidium petebant, patriam ſuam hoc opportuno tempore, quo Cæſar gallico implicitus bello, turpiter tyranno prodentes, ne quicquam tamen ob decretum à ſe bellum Polonicum impetrantes: tandem ad aditum Bramizam à Generali Koppio internecivè ſunt cæſi, per Starrenbergum à Zatmaria rejecti, Eperieſum, Medwiſchum & Nagibania recuperata, quæ etiam urbes dignas perduellionis ſuæ pœnas in ære & in cute luerunt. Unde Rebelles, qui res ſuas dila-

Deponitur.

Rebellionis continuatio.

Cæduntur rebelles.

bi

bi proſpiciebant, de pace per Comitem Bargozium tractari petierunt; quamvis inita conſilia ob novas turbationes obortas tunc ad optatum finem nequiverint adduci. Vid. num. 134.

Inſolito humanitatis officio legatum ad Romanum Pontificem Clementem X. deſtinavit Magnus Moſcharum Dux, grandia pollicitus in rei Chriſtianæ favorem, contra Turcas, & maximè ſocium ſe Polonis daturum in eosdem bellantibus, dummodo ei Cæſaris & Imperatoris titulus à Pontifice publicis declarationibus attribueretur. Cùm res tricarum & offenſionis incurrendæ plena periculis longas operiretur tractationes, irritus, & irritatus legatus Româ diſceſſit, eundem Cæſaris titulum poſtea à Roman. Imperatore, aliisque Europæ Regibus & Principibus ſibi tribui poſtulavit, Imperii Rom. membrum eſſe affectans. **Moſcus petit titulum Cæſaris.**

125. Eandem armorum unionem Polonis ipſis Dux Moſchus per ſingularem legatum obtulerat, quæ intempeſtivo contemptu fuerat à regni ordinibus rejecta; ſed Turcis pactum ante hac tributum 80000. imperialium poſcentibus, & ob rei turpitudinem, & gentis verecundiam id detrectantibus Polonis, iterum ad arma eſt deventum, Rege Michaële ducem ſe exercitui præſtante, & pacis novæ pacta, quæ hoſtis offerebat, ſpernente. Perveneræt jam Polono-Lithuanicus exercitus Leopolim, ubi Rex ob incidentem ægritudinem derelictus, 10. Novembris ſpiritum emiſit Joannes Wieſnowiskius, ætatis ſuæ anno 33. regiminis quarto, non ſine veneni ſuſpicione. Cæterum Rex fuit infelix fine **Bellum inter Polonos & Turcas recrudeſcit.** **Obitus Joannis R. Poloniæ.**

ne amore, ſine honore & ſine auctoritate apud ſuos Polonos, ideoque hanc in Turcas expeditionem minimè ejus obitus impedivit; ſed ſummus regni mareſcallus Joannes Sobieskius exercitum quinquaginta millium armatorum in Podoliam contra Huſſain Baſſam 30. ſolùm millibus cum Moldavis & Walachis (quos Sobieskius clam in ſuam belli traxerat ſocietatem) valentem eduxit: cumque Huſſain Baſſa Moldaviæ ducem copiarum ſuarum numero & robore non contentus, ſed iratus clavâ ſuâ percuteret, hanc ignominiam temporis opportunitate vindicaturus ſimulavit quidem, ſed occultè cum Sobieskio colludens turcicorum caſtrorum ſtatum & robur, ac ubi infirmiora ſint aggredienda manifeſtat. Nono igitur Novembris Sobieskius Turcarum caſtris haud procul Coczino ad Tyrnæ tranſitum valido militari ſepimento probè communitis appropinquans, iteratis velitationibus eos tentabat elicere, ſed non ad pugnam poterat decretoriam; quare retracto ad medium milliare exercitu biduò plenâ acie Turcas expectabat, ſed illis tutiora in caſtrorum ſepimentis ſecutis, Sobieskius ad eorum caſtra regreſſus, quinquaginta bellicis tormentis in illa continuò fulminat & vexat pyrobolis, cumque 10. Novemb. Moldaviæ Dux cum Moldavorum & Walachorum 5. millibus ad Polonorum tranſiſſet caſtra, & ubi Turcarum eſſent infirmiora prodidiſſet, Sobieskius ipſe illis recognitis die 11. Novembris generalem in Turcarum caſtra tentat impreſſionem, ipſe pedes ſuum animando peditatum ad certamen generosè adducens,

Sobieskius Polonorum Mareſcallus Turcas aggreditur.

ducens, tum aſcendens equum etiam equitatum ad conſcendenda quinque in locis hoſtilia ſepimenta ſtricto gladio hortatur, animat, adurget, primique caſtra penetrarunt regni vexillifer, & vigiliarum præfectus, ipſe Moldaviæ Dux ſeu Hoſpodar tranſcenſo cum ſuis etiam feliciter ſepimento, rectâ Huſſain baſſæ petens papilionem, ſuâ manu illi vulnus inflixit. Nec impigrè ſe Turcæ, ſed deſperatè omnino defenderunt ; nam quamvis Poloni Caraginem modò occupaſſent, binâ tamen vice à Turcis adeo fortiter ſunt ejecti, ut victoria diu fuerit dubia, peditatu, qui equitatui ſuccurrere debuiſſet, prædæ nimiùm inhiante, accedentibus denuò lanceatis Ungaris, Poloni animoſiores plenâ potiti ſunt victoriâ, cæſis & ſubmerſis Turcarum viginti quinque millibus, capta ſunt tota caſtra, omnia tormenta bellica & impedimenta, 25. curruum millia, ingens commeatus & apparatus bellicus, ac 200. denique crumenæ, quarum quælibet 500. continebat imperiales. Præſenti victoriæ fructu receptum eſt Coczinum 13. Novembr. deditione occupatum; dolendum quòd victoria non ultra ſit proſecuta, & Podolia in Turcarum relicta ſit poteſtate; quæ recuperari poterat tunc facillimè; Caminæcium quidem obſidione preſſum, ſed quò minùs caperetur, effecit immitis aëris tempeſtas, & proxima de regno conſtituendo & eligendo Rege comitia, quæ aliò animos avocarunt, ſine dubio hac illuſtri victoriâ in Sobieskium inclinandos. Cædit Turcas.

125. Jacobus Dux Eboracenſis, Caroli Britannorum Regis frater, non incertâ, etſi non pu-

Jacobus D. Eboracenſis nubit D. Mutin. Eleonoræ.

publicâ religione Romano-Catholicus Mariam Eleonoram, Alphonſi VI. Mutinæ Ducis filiam procurante Peterborugo, auctore & ſuaſore Ludovico Rege Galliæ in uxorem accepit, ut tractatus matrimonii cum Archiduciſſa Oenipontana Claudia Felicitate diſrumperet, adeoque Ludovicus Rex eidem Eleonoræ pro dote quingenta imperialium millia dedit; quæ tamen poſtmodùm 1701. à Mutinæ Duce ejuſdem fratre, Cæſareas partes tunc ſecuto, repetiit. Inde regni ordines, quos parlamentum vocant, irarum pleni importunis officiis à Rege petierunt, ut matrimonium cum Catholica Principe non permitteret ſed invalidaret; ad quod Rex, jam peractum ajebat, nec modò diſplicere poſſe, quod tunc ſedente parlamento placuit, nec contradixit: appulsâ igitur 1. Decembris Douvreſi Maria Eleonora ab Epiſcopo Oxfordienſi veſpere Principi Jacobo eſt deſponſata; quo majori fremebat iracundiâ, ut cùm Carolus Rex majorem bellicum nervum peteret (acceperat autem pro hoc bello à Ludovico Rege Galliæ tres milliones) parlamentum abnegavit (quia non ſufficiebat, quod vagæ impendebat libidini) ſed Regem adegit, ut decretum Tolerantiæ, ſeu libertatem conſcientiæ, quamvis ægerrimè, 13. Martii revocaret, quæ pridem Catholicis ſuam profitendi religionem fuerat conceſſa: immo exilio, & bonorum jacturâ mulctaret eos omnes, qui tranſubſtantiationem, & alienam ab Anglica fidem ſectarentur, omneſque Jeſuitas, & cujusvis nationis presbyteros toto regno intra 13. Aprilis diem proſcribebat; quo factum eſt,

Contradicente Parlamento.

Catholici Angliæ proſcribuntur.

ut

ut multi etiam præcipuæ nobilitatis viri è regno diſceſſerint: quæ proſcriptio poſtmodùm renovata, à parlamento confirmata, & *Teſt* eſt vocata.

Epiſcopus interea Monaſterienſis cum ſuo & Colonienſi exercitu Marchiæ comitatum contributionibus opprimebat, oppidumque Lünen variis pyrobolis ſuæ fecit poteſtatis, cujus non ſolùm perſonæ, ſed ejuſdem etiam urbi Monaſterio Cæſareani per proditionem inſidiabantur; nam patefactis per aliquot noctes urbis portis cùm tardiores fruſtra expectarent Cæſareanos, res in apricum veniens evanuit. Et cùm Bornovillus Cæſarea per weſtphaliam Hammæ publicaret avocatoria, Epiſcopus publico Manifeſto refellebat, illa à Bornovillo eſſe ficta, non à Cæſare juſſa, armaque ſua non in Germanæ libertatis deſtructionem, ſed defenſionem ſe corripuiſſe ajebat; tres tamen ejus monaſterienſes legiones ad cæſareana Confluentiæ tranſierunt caſtra. Sed quia maximè Epiſcopi pungebat animum tam ſubita & inopinata Coverdi amiſſio, diu noctuque ejusdem moliebatur recuperationem, non armis, quod vix poterat, ſed aquæ beneficio: magno etenim & incredibili labore ingentem & vaſtum terrenum aggerem circa oppidum Coverdum per duo milliaria erexit, ut fluvius Vecht, qui tranſit Coverdum, adeò per duos menſes intumeſceret, ut oppidi foveas, valla & plateas inundaret, aliquot etiam centenas collegerat Epiſcopus naves ad tentandam decretoriam impreſſionem, adeoque in præſentiſſimo oppidum

Epiſcopus Monaſt. occupat Lünen.

Spernit Cæſaris avocatoria.

Fruſtra Coverdum tentat.

pidum eſſet periculo, cui Batavi nullo modo aut arte poterant ſuccurrere, quia agger ab oppido remotior, tormentis peti non poterat, eumque monaſterienſis defendebat vigilanter exercitus; primâ autem Octobris exorta nocte impetuoſa ventorum tempeſtas aquarum fluctibus aggerem allidens, tribus in locis vi perrumpit, & monaſterienſia caſtra inundat, ut mille quadringenti homines aquâ ſubmerſi perierint, munimentum Spit-Coverden totum deſtruxerit, tres naves in hominum ſalvationem emiſſas tempeſtas everterit, ducentos ruſticos & 300. milites aquarum perruptionem occluſuros morte obruerit, ſicque Coverdum omni exemerit periculo, & Epiſcopum maximo afflixerit detrimento.

127. Mirum eſt, ad quot Ludovicum Regem artes impulerit arrogantia & imperandi libido; anno ſuperiori quot officiis, quot donis, quot promiſſis Luſitanos ad inferendum Hiſpano bellum allexit, ne hoc impeditus Batavis poſſet eſſe ſubſidio? ſed refragante Luſitano clero & populo fruſtra laboravit; nunc ad conjurationem adverſus Regem, Regiæque conjurationis formam converſus, per aliquot proceres rerum novarum ſtudioſos de reducendo ad ſolium Alphonſo (qui ob incapacitatem à rebus gerendis jam dudum abſtractus fuerat) occultè deſudavit, procurante imprimis advocato Diego de Lemos, qui fictis literis & ſigillo Luſitaniæ claſſis Architalaſſo imperabat, Alphonſum è Tercera Inſula Ulyſſiponem claſſe deferre, utque ea res opor-

Ludovici conjuratio in Regem Luſitaniæ.

opportunius perficeretur, gallicus jam modò miniſter Amelot cū aliquot navibus in Luſitania erat appulſus. Re per Hiſpaniæ legatum Comitem d'Humanas opportunè detectâ, Rex ſeu regni moderator Petrus (à Regis enim nomine quamdiu Alphonſus frater ſupervixit, ſemper abſtinuit) convocatis regni ordinibus adverſus ſeditioſos popoſcit auxilia, quibus fretus, diſpoſito per urbem equitatu, erectiſque aliquibus in locis patibulis perduellium fregit molimina, obtinuitque ut filia, quam tunc temporis unicam habebat, pro ſola & legitima regni hærede agnoſceretur.

Leopoldus Cæſar ad ſecunda hoc anno tranſiit vota cum Claudia Felicitate, Ferdinandi Caroli Archiducis Oenipontani filia, pulchritudine, ingenio, & virtutibus eximia, pluribusque linguis erudita: cum qua tamen breve trium annorum conjugium, & nullâ maſculâ prole ſuſceptâ duxit. Leopoldus nubit Claudiæ Oenipontanæ.

Necdum Meſſanenſes à præteritis ſeditionibus vivebant quieti, tumultuante ſemper, etſi minùs apertis molitionibus, ſenatu in regios miniſtros; quin eorum exemplo Drepanenſes hoc anno novam rebellionem orditi ſunt, eo diſcrimine, quòd Meſſanæ Nobiles, Drepani populares in Regis auctoritatem inſurrexerunt. Immiſſus in eos à Prorege Lignio cum aliquot copiis triremium Siculatum præfectus Bajonenſis Marchio, quarum terrore Drepanenſes victi, Hieronymum Tardellam ſeditionis auctorem in ejus manus tradiderunt, qui eum morte mulctavit, damnatis ad triremes aliis viginti, qui Drepani rebellio.

præcipui interceptæ rebellionis complices numerabantur.

Diſſenſionis ſemina inter Ludov. & Genuam.

Excitari in mari Liguſtico vapores cœperunt, qui in nebulas primùm mutati, inde converſi in fulmina vix non urbi Genuenſi excidium attulerunt. Navis Hollandica ex ejus portu egreſſa non longè inde gallicam prædata eſt, vigente inter Regem Ludovicum & Batavos bello; quod his offenſionibus locum præbebat. Queſtus eſt per Gaumontium legatum ſuum Ludovicus, navem hoſtilem arma, & munimenta bellica Genuæ ſibi providiſſe, quæ Reſpub. negare potuiſſet, maximè in Regis ſubditos deſtinata; unde & triremis una ejuſdem reipub. à decem gallicis triremibus capta, & Maſſiliam eſt abducta. Quum de pace concilianda Genuenſes per oratorem apud Regem Ludovicum agunt, novo accidit caſu, ut aliæ triremes gallicæ circa Genuam velificantes, navem unam hollandicam prope urbis propugnaculum C. rignanum in Anchoris ſtantem offenderent, quam dum hoſtili licentiâ ſubigere ſatagunt, Genuenſis populus irâ frendens vim intuliſſet omnibus in urbe Gallis, niſi tormenta bellica jus aſyli in gratiam obſeſſæ navis defendiſſent, & triremes gallicæ ſe ſubducere coëgiſſent. Iſtæ abſcedentes aliquot Genuenſium navigia in vetitæ prædæ vindictam rapiunt; ſed nec ſic Regis iræ factum eſt ſatis, qui novâ indignatione fervens extrema omnia reipub. minatur; cujus ſenatores ſub gallizante Duce Grimaldo diſcordes, quidam Gallo, alii Hiſpano adhærebant; finitis autem hujus regiminis annis electus

electus Dux reipub. alius Gallo contrarius, à quo præſentiſſimum reip. à Gallis intentatum periculum demonſtrante, omnes inſolentes Regis poſtulationes ſunt exploſæ, gallicæ Corſicorum militares auctorationes interdictæ, & omnia in vegetam reipub. defenſionem ſunt præparata: immo Mediolanenſes, Neapolitani, Sicilienſes, aliique Italiæ Principes ſua offerentes ſubſidia fœdus cùm Genuenſibus defenſivum moliebantur. Ludovicus hæc audiens vela vertit; deſtinatâ namque aliquot Nobilium legatione Pariſios pro pace & venia exoranda (cautè & ſubmiſsè ſemper cum Rege agebant) tandem Rex precibus & obſequiis Reip. placatus deferveſcit, & ut quidam referunt, Rex Genuenſibus omnes ablatas triremes promiſit reſtituere, maximè ingruentibus aliunde bellis, quæ arma aliò diſtrahi non ſuadebant.

Ludovicus Rex ubique vult eſſe, venerarique Magnus, immortalitatem etiam in ſaxis quærere, atque in libris nomen ſuum æternare; omnes enim ſanctorum Eccleſiæ Patrum libros, à Benedictinis Patribus Pariſienſibus reviſos, in regali & candidiſſima charta ſuis ſumptibus imprimi voluit; quia literarum dos eſt immortalitas. Taceo plura & rariſſima per regnum ſuum extructa ab eo ædificia, quibus omnes Europæ hujus ſæculi ſuperat Reges & Principes; & ſi non ſuperet, ſaltem æmulatus eſt Romanos, Græcos & Ægyptios: nam ſub anni hujus finem extruxit ingens & vaſtiſſimum noſocomium, Hoſtel de Mars indigitatum, in quo ſupra quatuor infirmorum & vulneratorum militum

Ludovicus extruit noſocomium militare.

millia tam in infirmitate, commoditate, quàm pietate officioſiſſimè curantur, aluntur, & ſupra quàm dici poteſt diſponuntur omnia liberaliter; & qui ad arma adhuc ſunt apti, impigrè exercentur; ſummum namque opus eſt Regis non modò pugnare, ſed præſtare (commeatum &c.) ut miles pugnare poſſit.

Annus 1674.

128. Inchoatum anno ſuperiori Coloniæ Agrippinæ pacis Gallo-Batavicæ, ab omnibus unicè ſuſpiratæ congreſſum (aliquamdiu ideo dilatum, quòd ad illum minùs juſtè Ludovicus Rex legatum Lotharingicum admittere recuſabat, nimiumque plus æquo à Batavis exigebat) inopinata hoc anno 1674. Principis Wilhelmi Furſtenbergii captivitas & abductio diſrupit & omnino diſſolvit. Hic à Caroli Magni tempore Imperii Rom. Comes, origine in Suevia Germanus, Auſtriacæ domûs Vaſallus, recens à Leopoldo Cæſare citra meritum in ordinem & dignitatem Imperii Rom. Principum elevatus, ideoque gentilibus ſuis germanis favere debuerat; omni eos arte ſatagebat à Cæſare avertere: Electores Moguntinum, Trevirenſem, Brandenburgum, Epiſcopum Monaſterienſem ſpecioſiſſimis verbis, propoſitionibus & promiſſis à Cæſare ad gallicas trahere partes molitus, Electori Colonienſi Maximiliano Henrico [cujus primarius erat rerum adminiſter] pridem auctor fuerat, ut ditionis ſuæ urbes parandis in Batavos ad bellum neceſſariis concederet, & Coloniæ Principum miniſtris, qui ad pacem concilian-

Furſtenbergus capitur.

lian-

liandam convenerant, tunc ſuaſor fuerat, ne bello adverſus Gallos cœpto faverent: imo Cæſareis ſub pœna rebellionis avocatoriis contemptis numeroſiorem Gallo auctoraverat legionem Fürſtenbergicam; ſuſpectas & periculoſas contra Rom. Imperium foverat correſpondentias, &c, ut quidam ſcribunt, Ungaricæ etiam conſpirationis conſcius, Rom. Imperii, & patriæ ſuæ quaſi proditor, in ejuſdem, ubicunq; potuit, conſpiravit perniciem, & Galliæ augmentum. Hæc aliaque jam pridem Cæſar diſſimulans, ut pernicioſis ejus machinationibus finem tandem imponat, ſui ad hunc pacis congreſſum legati Baronis d'Iſola conſilio & literis illum rapi & abduci juſſiſſe quidam ſcribunt: hoc certum, quod Marchio Granenſis, Bonnæ tunc præfectus, expreſſo Cæſaris mandato 16. Februarii circa quintam poſtmeridianam ad monaſterium S. Reinoldi, loco inter vinea privato, cum ex domo amicæ ſuæ Comitiſſæ de Marck, quam quotidie viſitabat, vix egreſſum, & ad Electorem Maximilianum in monaſterio S. Pantaleonis cum literis eo die è Gallia acceptis properantem, cum 7. Officialibus, & 40. militibus in rheda ſua Wilhelmum eſt aggreſſus, quorum unus trajecto rhedario in ejus locum rhedam aſcendit, alius Principi inclamat, ut ſe captivum Cæſari dedat, cujus famulis & miniſtris dominum ſuum ſclopis manualibus defendentibus, ejus aulæ præfectus globo trajicitur, & famulus alius lethaliter vulneratur: inter hunc tumultum Princeps rhedâ exiliens fugam meditatus, in eam vi retruditur, aſſidentque illi ſtrictis gla-

diis ipſe Marchio Granenſis, & Comes Petrus Bagnaſcus, ſicque urbem per portam gallicam egreſſi, comitantibus centum equitibus adeo feſtinis equis properant Mulhemium, ut delasſatis & exhauſtis curſu equis aliquo uſque pedes Mulhemium ire debuerint: inde alio vehiculo deductus eſt Tuitium, Siburgum & Bonnam; ac ſub comitatu 70 equitum Neoſtadium in Auſtria, poſtquam 12. Aprilis Beſendorffii propè Laxenburgum ab Auſtriaco aulæ cancellario Barone Hochero & ſecretario Abele quatuor omnino horis eſſet examinatus. Turbatus hoc raptu ubius magiſtratus, miſſo quamprimùm Bonnam curſore, Principem petiit relaxari; ſed Marchio Granenſis reſpondit, Cæſaris mandato captum; quod idem urbs reſponſum etiam Viennæ accepit, ſibi Principis raptũ non imputandum. Qui raptus ejuſdem Principis ſororem Comitiſſam Lôwenſtein ſummoperè afflixit, quæ ejuſdem timens ſupplicium [quamvis à religioſa Coloniæ Carmelitana virgine conſolata, fratrem non afficiendum ſupplicio, ſed futurum adhuc Epiſcopum & Cardinalem] cum Electoris Colon. ſecretario Burman Viennam profecta, quovis modo & arte illum captivitate eximere indeſinenter laboravit; ſed ob tales machinationes Comitiſſa Viennâ eſt eliminata, & Burmannus captivitate innodatus, apud quem ſuſpectæ per numeros literæ ſunt inventæ. Princeps aliquoties adhuc examinatus in intimo conſilio, Lobkowitzii imprimis, ut ajunt, ſententiâ, mortis eſt condemnatus, quam Nuntius ibidem Apoſtolicus in capti-

Neoſtadium ducitur.

Eum ſoror & Burman tentant liberare.

Mortis damnatur.

captivitatẽ commutavit perpetuam, in pace poſteaNeomagenſi finitam.Gallicus auctor Buiſſon ſcribit Ludovicum Regem hoc Fürſtenbergii raptu, & quod tanquam patriæ proditor mortis eſſet condemnatus, adeo fuiſſe offenſum, ut palam edixerit, ſi Cæſareum talis conditionis miniſtrum interceperit, ſimili quâ Fürſtenbergus pœnâ afficiendum, ideoque mortis in captivitatis pœnam transmutatam. Galli hunc raptum in omnibus Principum aulis juris gentium evulgabant violationem, quo legatus ubique tutus eſſe videtur, quod omnes fermę politici in hoc Principe negare videntur; jus enim gentium non excuſat patriæ proditores & turbatores læſæ majeſtatis reos & conſpiratores, neque Cæſar Furſtenbergum Electoris Colonienſis legatum, ſicut nec Ludovicus Lotharingicum ad hos pacis tractatus voluit admittere, quam ille non promovere, ſed removere, & impedire quaſi hoſtis contra Cæſarem & imperium moliebatur; legatus namque ſi Principis aut regionis, quo mittitur, hoſtis fiat & inimicus, eo ipſo ejus ceſſat legationis officium, proinde jure gentium gaudere non poteſt. Sublato præterea Fürſtenbergo ejuſdem etiam pecuniam 16000. alii 4800. imperiali um vaſis impactam, & quaſi vinum aduſtum gallico militi Noveſium in ſtipendium deferendam Cæſarei ad portam vigiles deprædantur, quam poſtea ut ſuam Rex Galliæ repetiit; atque ita reciſſo planè pacis tractatu legatos ſuos in Galliam redire juſſit: conſœderatis nihil inde ſollicitis aut turbatis, quòd pace Anglo-Batavicâ jam conclusâ contra uni-

An jus gentium hic violatum.

Ejus pecunia capitur.

cum ſolum hoſtem Gallum arma facilius forent expedienda.

Ludovicus Burgundiam invadit. 129. Et quia Ludovicus jam etiam Hiſpanos habebat inimicos, ne ab illis impeteretur ex Burgundiæ comitatu, primam in eos, vix unquam ad belli eventum paratos, adornat expeditionem, ut ex hac ſaltem parte eſſet ſecurus. Conventis igitur ſecreto fœdere Helvetis, ne Hiſpanis ſuppetias ferrent (ut antiquis tenebantur pactionibus) & Hiſpano nuper legato Burgundiæ comitatum in ſuam recipere tutelam, utpote ſuæ regionis antemurale, promiſerant, ſimulque Helveti ejusdem provinciæ neutralitatem, magnis à Ludovico precibus obtinuerant; quam tamen Hiſpani rejiciebant. Hunc igitur liberum Burgundiæ Comitatum Rex per Ducem Novailles hujus anni principio in Februario invadens, furioſo impetu Peſmes, Græum, Saint Amour, Veſoul, Lons de Saunier, & Orgeletum quatuordecim dierum ſpatio occupat, menſe deinde Aprili Dux Angienſis Biſontium circumvallat, tribus præſidiariorum millibus à præfecto Barone de Soye defenſum, natura loci, in penſili rupe ſitum, in una tantum parte impugnabile; iteratis quidem & cruentis eruptionibus multi cædebantur galli, at Rege prima Maji caſtra accedente, multis tormentorum **Biſontium capit.** ictibus è vicinis ejuſdem altitudinis montibus urbs & arx flagellata & perterebrata, dum Galli decretorium minantur inſultum, 14. Maji ultroneam urbis offerunt deditionem, Vaudemontio cum præſidiariis aliquot ad arcem confugiente, qui ſeptem ſe diebus generosè defendens, tandem

dem etiam ſe tradere eſt coactus, præſidio liberè dimiſſo (urbano autem capto, & privilegiis civium confirmatis) Vaudemontius benigne à rege exceptus, regio prandio honoratus, & cum ſalvo conductu in Hiſpaniam, militari ibidem dignitate condecorandus eſt dimiſſus. Mox ſubſecuta eſt Dola ad Dubim Burgundiæ metropolis, univerſitate & dicaſterio gaudens, cujus ſpontaneam traditionem præſens Rex ab urbis præfecto marchione de Bergues ob ſuccursûs defectum exigens, ſed negativum recipiens, 28. Maji caſtenſia aperit valla, & exteriorem foſſæ murum 29. noctu obtinet, quo mox ejecti Galli, ſecundò occupant, ſibique in foveam aditum, & cuniculo ad deſtruendum propugnaculum viam aperiunt; quo cuniculo perfecto cùm præſidiarii ingentem murorum ruinam, & generalem ſecuturam impreſſionem viribus ſuis ſuperiorem præviderent, ultroneè ſe 6. Junii ſubmittunt, indultoque libero diſceſſu cum impedimentis & armis more militari Novaram in Mediolanenſi dimittuntur. Inter hanc obſidionem Dux Fevilladus Pontarlietum, Salins, &Fanum S. Andreæ levi manu intercipit, quod poſtremum inacceſſibili in rupe ſitum ſine multo ſanguine non cepiſſet, niſi regiæ majeſtatis præſentia præſidiarios perterrefeciſſet; eadem de cauſa Dux de Touras fanum S. Annæ, & urbem Joux ſubjecit, alias in monte inacceſſibilem & invincibilem. Sicque Rex trium ſpatio menſium totum Burgundiæ comitatum hac repentinâ expeditione ſuæ fecit poteſtatis, tum quod Helveti neutralitatis à rege obtentæ ab Hi-

Dolam & totam Burgundiam.

Cauſæ repentinæ occupationis.

Hiſpanis abjectione offenſi comitatum illum, ut debebant, tutelâ ſuâ non defenderint, ſed legati gallici de Saint Romain blanditiis, gallicæ vicinitatis emolumentis, & largiſſimâ unius millionis donatione occœcati, belli ſpectatores fuerint, non adjutores, aut conſervatores; tum quòd ejusdem Comitatus urbes majori quidem quàm antehac munitæ fuerint præſidio; mœnia tamen ejus vix è priſtinis gallici etiam belli ruinis emergere cœperint, & vi, metuque maximè deſperatis auxiliis ſuccubuerint: tum ob mutuam Burgundorum & Hiſpanorum diſcordiam, qui Hieronymum de Quiones Comitatûs Gubernatorem contra ſua conſtituerant privilegia, quæ indigenam, non externum poſtulabant, contrariis diu animis, demum armis ſub anteſignano marchione acriter colliſi, ceciderunt in acie præter gregarios ultra ducenti Nobiles Burgundi, quo animi magis exacerbati in alia diſtrahebantur. Poterat fortè ſervari Burgundia, ſi Dux Lotharingus pluribus conceſſis copiis, ut unicè deſideraverat & petierat, per Lotharingiam in Galliam, quod Ludovicus maximè inter tot accumulatos hoſtes metuebat, ſubitò irrupiſſet, murmurantibus præſertim Gallis pluribus, hás Regis expeditiones improbantibus. Hac jam in parte ſecurus, ut alios regni ſui limites redderet tutos, regni ſui evocat nobilitatem, ſeu Arriere-Ban, quæ oras maritimas & fines Britanniæ Normandiæque, & in Germania Alſatiæ conſervarent.

Helvetos allicit. *Burgundorum cædes.* *Arriere-ban evocatur.*

130. Ad harum conſervationem Turennius cum duodecim armatorum millibus Palatina-

tum

tum ingreſſus Germersheimium, Wieſeloch & alia oppida occupat, quia Palatinus Elector, aliàs neutralis, ad partes nunc Cæſareas tranſierat, & bellum G. llis 13. Martii publicè Fridrichsburgi indixerat, in cujus petitũ ſubſidium Cæſar Capraram cum aliquot millibus, & Ducem Lotharingiæ ſubmiſerat: hic audiens Turennium cum quatuor ſolùm millibus conſidere Sintzhemii, cum quinque millibus illuc tendens eum aggreſſurus, propius accedens, rumore deceptus totum ejus perſpicit duodecim millium exercitum. Hic à conſpectu hoſtis meticulosè fugere quia probroſum & periculoſum erat, ad montem è regione Sintzheimii conſidet, quem Tureñius ut conjunctionem cum Bournevillo, Brandeburgicis & Luneburgicis appropinquantibus impediret, occupato Sintzhemio in loco extra oppidum ſenticoſo & invio aggreſſurus à Lotharingo cum dextera, & Caprara ſiniſtrâ alâ derepentè 16. Junii invaditur, & gallicum licet copioſiorem equitatum ſenticetis, & loci anguſtiâ impeditum turbant evertunt & repellunt, qui à peditatu ſuo mox ſecundatus, Cæſareos in fugam tandem obtentâ arenâ rejicit. Ipſe faſſus Turennius, ſe nunquam acrius ſimulque periculoſius quàm hic pugnaſſe, plus decies inter hoſtes commixtus, quamvis numero triplò fortior, amiſit tamen ultra bis mille gregarios, & 180. officiales; Cæſarei tantùm ſexcentos, qui ſexdecim gallica ceperunt ſigna equeſtria, non ultra à Turennio perſecuti, ſed Nicrum verſus tendentes Bournevillo prope Wimpfenam ſe conjunxerunt: Turennius au-

Prælium prope Sintzheim.

tem

tem ſuperato rheno viginti millibus in Alſatia auctus, transmiſſo rurſus Philoppopuli rheno, Cæſareos prope Ladenburgum obruit, qui noctu ſublatis tumultuarie caſtris Francofurtum & viciniam in ejus loci defenſionem fugientes, à Turennio perſecuti in poſtremo agmine adoriuntur, ſed à Dunwaldo hujus agminis ductore fortiter Galli ſunt repulſi, & egregiè cæſi. Sic quidem Turennius hac in parte Galliam ab invaſione tuitus, ſed occupato Germersheimio totum Electoris palatinatum miſerè diripit, 24. oppida & pagos expilat, incendit aut muris denudat, adeoque barbarè incolas affligit, ut cum uxoribus & liberis in ſilvas & antra confugerint, ipſeque elector Gallorum ſævitiem devitans aliò migrare fuerit coactus; unde viciſſim illi in Gallos hinc inde palantes ſæviunt, in arboribus ſuſpendunt, in partes diſſecant, oculos, & cor eviſcerant, aliterve detruncant. Ob eam regionis ſeu Palatinatûs ſui vaſtationem, quam Nobili Duce Carolus Ludovicus Elector reputabat indignam, miſit ad Turennium literas, quibus illum ad ſingulare inter utrumque provocabat certamen. Turennius territus, neſcius quid ageret, detrectato tandem duello victorum uti privilegio perrexit, & reverſus eſt Landaviam; Cæſareus autem Bournevilli 24000. exercitus, novem adhuc Luneburgicorum millibus confirmatus Spiræ tranſito rheno verſus Argentoratum tendit: Turennius eos illuc inſecutus exigit ab Argentinenſibus partem pontis igne nuper conſumpti, nunc reparati deponi, ejusque telonarium ſibi extradi munimentum, ſi neu-

Turennius Palatinatû diripit incendit.

Ad Duellum ab Electore provocatur.

neutralitate vellent gaudere. Negant utrumque Argentinenſes, acceptiſque petitis mille ſeptingentis Cæſareis non tantùm telonarium, ſed & Kehler-munimentum communiunt, accedentibusque Cæſareanis fugit Turennius Hohenfeldum verſus, & ex circumjacentibus oppidis majori exercitum ſuum auget ſupplemento. Cumque jam ambo exercitus pari confirmati robore ſibi eſſent vicini, & confœderati Gallis aditum in Alſatiam occludere viderentur, Turennius illis offert certamen utrimque admiſſum, diſpoſitiſque prope Holtzheimium 4.Octobr. ordinibus, Duces Lotharingiæ & Holſatiæ cum Chauveto & Luneburgicis alam ſiniſtram, dexteram Bournevillus & Caprara dirigebant: Luneburgici Gallos animosè aggreſſi confundunt & depellunt, à Gallis ſuccenturiatis repulſi, iterum eos ſecundò rejiciunt: eadem dexteræ alæ erat fortuna, pellebat & pellebatur, ut dubia utrimque victoria nox ambos dirimeret, pari fermè trium millium utrimque jactura: completa autem aliquorum judicio confœderatis ceſſiſſet victoria, ſi Bournevillus Luneburgicis plurimum ob loci pro equitatu anguſtias paſſis tempeſtivè, ut potuit, ſuccurriſſet, aut ſexdecim millium Brandeburgicorum approperantiũ conjunctionem expectaſſent, ambo exercitus aliquot horis in arena conſiſtentes, Turennius demum ſuperato Elio Zabern, Cæſarei Graveſtadium contenderunt, ubi utrique in ſuis caſtris quieſcentes, Cæſarei Brandeburgicorum ſexdecim millibus, & Galli viginti Nobilium millibus aucti hybernalia ambo ſuſpirabant, hi ad tractum Saræ,

Prælium prope Holtzheim.

in

in Lotharingia & Weſterich, illi, Cæſarei, in ſuperiori & inferiori Alſatia, & Palatinatu; niſi quòd Lotharingus tribunus Mercius 13. Octobris propè Lunevillam octingentos gallicos nobiles ſub marchione Sable internecive pene omnes cæciderit, captis ſolum eorum 150. & impedimentis, & bellico apparatu. Permiſit quoque Dux militibus ſuis victorum ſpolia, quæ in nobilium iſtorum hominum pretioſis phaleris, & abundanti pecunia conſtare ſunt comperta. Prœlium hoc alii ſic referunt: Cæſaris copiæ Argentoratum verſus progredientes, ut per urbis pontem ulterius in Alſatiam & Lotharingiam penetrarent, eò Turennium advocant, qui viam iis præcludere toto virium anniſu laboravit. Precibus minisq; egit Turennius apud Argentinenſes, ut ſuorum cuſtodiæ pons crederetur; ſed iſti Cæſari faventes, utpote Imperio addicti, in eum tormentis bellicis egerunt, coegeruntque ut ſeſe ſubduceret. Unde tranſitu Cæſareis facto, iniquo cum eis non inde procul marte Turennius pugnavit, amiſſis ſuorum millibus quatuor, & omnibus exercitûs ſui impedimentis; quamvis non incruenta ſteterit Germanis victoria, qui 1200. ex ſuis in hoc prælio cæſos deſiderârunt. Aucto ſubinde adhuc Cæſareo novis copiis exercitu, quas Elector Brandeburgicus adduxit, ad Cæſaris fidem reductæ ſunt quaſi omnes Alſatiæ civitates, quas Galli ſibi addixerant. Sed dum ſe ad moroſam Briſaci obſidionem accingunt, qui fractos & fugientes hoſtes inſequi debuerant, reſumunt animos Galli copiis aucti, quas incredibili feſtinatione Ludovicus Rex è Belgio

ad

ad Turennii ſuppetias juſſit convolare; hic in Alſatiam reverſus & diſtractas urbes recepit, & Cæſareum viciſſim exercitum ſeſe ultra rhenum referre coëgit.

Cæterum Cæſarei adhuc utendum tempore rati, quinquaginta millibus Briſacum in Briſgovia ad rhenum à longè ob defectum commeatûs cingentes, turrim & munimentum à Gallis Hunningæ propeBaſileam extructum occupant, ſimulque Bedfortum in Sundgavia, unde ſuccurſus ex Lotharingia advenire poſſet, vigilanter circumdant. Turennius quidem meditabatur quocunque modo obſeſſis ſuccurrere, ſed Lotharingus Dux in ſuo illum obſervans ducatu Eſpinal & Remineremont occupat, & aliud in Burgundia agmen tributa exigens illi invigilabat; quamprimum verò à Condeo auctus eſt ſupplemento, incautos obruit Croatas & Monaſterienſes, confunditque, quibus Caprara & Dunwaldus opportunè opitulantes Gallos octingentorum cæde rejiciunt. Tum Elector Brandeburgus diſpoſito in aciem prope Colmariam exercitu Turennium provocat ad certamen, quod ille declinando exercitum promovet Cæſaris-montem, ut Cæſareis communicationem cum Argentinenſibus intercluderet; quod Cæſareani impedituri, rurſus invicem colliſi, duo Gallorum millia perimuntur. Denique finis hujus ad tractum Rheni expeditionis fuit ſolutio Briſacenſis obſidionis, tum ob pabuli defectum, tum ob Bournevilli cum Brandeburgo diſcordiam, tum ob Suecorum ſexdecim millibus in ſolum Brandenburgicum Gal-

lorum

lorum inſtinctu contra pacta priori anno contracta & promiſſa invaſionem, ideoque confœderatorum exercitus relictâ Alſatiâ Argentorati Rhenum tranſiens ad hiberna contendit, & Brandeburgicus quidem in Franconiam, ut confœderatis eſſet vicinior. Rex denique Sueciæ Carolus ut gratificaretur Gallis, bellum Electori Brandeburgico, & Cæſari, cui hic fœderatus erat, indicit; ſed eodem tempore Chriſtianus Rex Daniæ ad Cæſaris partes concedens, novi hoſtis periculum novi fœderati acceſſu compenſavit. Vrangelius autem Suecorum archiſtrategus tantâ marchiam Brandenburgicam exhauſit & emunxit per hanc invaſionem barbarie & tyrannide, quali ſæviſſimo triginta annorum bello vix poſſet eviſcerari, ut brevi temporis ſpatio ultra ſeptem incolarum millia in Poloniam fugiendo urbes fuerint deſertæ, ut Electorem aut ad neutralitatem cogeret, aut planè à confœderatis divelleret; quod neutiquam tamen potuit; ſed Princeps Anhaltinus omnia in validam ubique diſpoſuit defenſionem. Quantis autem tunc in anguſtiis fuerit Rex Ludovicus, ex eo facilè dignoſci poteſt, quòd Rex Sueciæ Carolus ejus ambre & gratiâ tam turpiter fœdifragus, pacem cum Cæſare & Electore impudenter violaverit, ſed mercedem benè multam & coagitatam poſtmodùm recepit. Hæc in ſuperiori acta Germania.

Epiſc. Galen pacificatur Batavis.

131. In inferiori Germania & Belgio evulgatis ubique ſub pœna rebellionis avocatoriis, Ludovicus Cæſaris & Imperii Rom. hoſtis declaratur: hinc Epiſcopus Monaſterienſis Bernardus

nardus de Galen quo arctius Gallo prius adhærebat, eo nunc magis eum deſerens Cæſareas ſequitur partes, quòd adverſo ſibi Marte videret Anglos Batavis nunc reconciliatos, Cæſarem cum Batavis, Hiſpanis & Imperii Principibus confœderatos, captoque Furſtenbergo Maximilianum Electorem Colonienſem brevi à Gallis,& à ſe metueret defecturum, pacem quoque cum Batavis deſiderabat,quæ etiam Coloniæ 21. Aprilis interpoſitione Cæſareorum legatorum Baronis d'Iſola & Viſcheri eſt ſubſecuta, milesque Monaſterienſis Cæſari tranſcriptus in Palatinatum eſt traductus. Eandem paulo poſt 11. Maji excepit in domo Viſcheri pax Batavo-Colonienſis, qua Maximiliano Electori Rhenobercka libere, absque ulla quacunque Batavorum prætenſione, cum omnibus ablatis immobilibus bonis eſt reſtituta.

His pacis tractatibus peractis Batavorum res demum reſpirabant, Gallique menſe Aprili & Majo reliquas Batavicas urbes Zutphaniam, Arnheimium, Neomagum, Culenbergum, Biel, Veſaliam, Schencken-Schantz, Noveſium, Cæſaris-Inſulam, Rhenoberckam &c. graviſſimis prius exactis contributionibus deſerunt, retento ſolùm Trajecto & Gravia. Rebus ſic ſtantibus orta eſt inter Generales Ordinum Status diſcordia & diſceptatio, an tres Batavicæ provinciæ, ſuperior Islandia, Geldria, & Ultrajectina in ſuam rurſus unionem, an verò tanquam noviter acquiſitæ ordine poſtremæ admitti debeant; & Ultrajectina præcipuè priorem & primam in publicis Statuum conventionibus ſeſſionem & præ-

Galli belgicas deſerunt urbes.

Batavi de prima ſeſſione diſceptant

præcedentiam debeat retinere, quòd ſe tam promptè, & ultra neceſſitatem hoſtibus ſe Gallis magno provinciarum, & præcipuè Hollandiæ diſpendio tradiderint: quam etiam præcedentiam jam ab annis aliquot Friſia & Groninga præ illa prætendebant provinciæ; Ultrajectina verò à prima illam unione hucuſque poſſederit, eò quòd prima abjecto hiſpanico jugo Auriaco ſe ſubmiſerit. Re Auriaci Judicio ſubmiſsâ decrevit & juſſit 23. Jan. tres illas provincias non tantùm in unionẽ debere recipi, ſed etiam in priorẽ & primam ſuam admitti ſeſſionem: qui 23. April. Ultrajectũ profectus, magiſtratum, officiaq; cum certis regiminis regulis inſtituit & confirmavit.

Ceterùm Gallorũ hujus anni expeditio trecentis armatorum millibus in Belgium tendebat, & jam tum ſubdolâ proditione Antwerpiã & Montorenm devoraverant; ſed tempeſtivè morte & ſanguine proditorum utrobique eſt extincta: confœderati autem, & imprimis Auriacus collecto ſuo prope Duffelen in Brabantia 20. Maji 31. millium exercitu contra hoſtem movere deſiderabat, ſed nimia Cæſareorum & Hiſpanorum morâ detentus admodùm impatiens, Rabenhaupt ad obſidendam interim Graviam dimittit; ſed quia hæc ſufficienti præſidio, bellico apparatu & commeatu erat proviſa, eamque præfectus Marchio Chamillus acriter defendebat, Rabenhaupt autem ob militum defectum contractis caſtris eminus tantùm invigilans cinxit. Auriacus interim duorum menſium tœdio affectus, motis 16. Julii caſtris Lovanium, duodecim ibidem Hiſpanorum millia ſibi conjungens, Namurcum tendit, ubi accedentibus ſub

Rabenhaupt Graviã cingit.

Sou-

Souchesio Cæſareanis grandem ſeptuaginta millium conficiunt exercitum, quo Auriacus Gallos ſub Condeo invaſurus, variis à Souchesio & Montereo oppoſitis impedimentis detentus, literis ad Cæſarem datis Souchesium diſpendioſæ moræ accuſat. Conſenſu tandem Souchesii cum hoſte confligendi, vel obſidendi obtento, totus confœderatorum exercitus movet in Condeum 50000. validum, ad fluvium Pieton militari ſepimento munitum, & poſt ſe Sabi fl. in utroque latere Carlo-regio & Fontenæo l'Eveque, & ante ſe duobus lucis ſeu ſilvis contectum aggreſſurus; ſed quia in tam circumſepto eum loco adoriri erat periculoſum, elicere verò irritum & fruſtraneum, Queſnojum in Hannonia obſeſſuri confœderati, undecimâ auguſti verſus Marimontium & Binch tribus colonnis ſeu agminibus iter inſtituunt, quorum primum Souchesius cum Cæſareanis, medium Auriacus cum Batavis, & poſtremum ducebat Montereus cum Hiſpanis, & impedimentis, quæ quia difficilia devia & ſilvas pertranſire debebant, in eorum conſervationem & defenſionem adjunctus eſt Vaudemontius cum quatuor equitum millibus ex tribus agminibus delectis. Condeus hunc confœderatorum motum intelligens, exercitum ſuum in valle ita diſponit, ut videri vix potuerit, & Marchionem de Chœſeuil in eminentiorem locum, ut hoſtium motus obſervaret, jubet aſcendere. Sic primum & medium agmen tranſire permittens, ultimum Hiſpanorum & impedimenta regiæ gallicæ legiones ſub marchionibus Rannero & Tilladeto vi incredibili invadunt, confundunt, & dejiciunt, qui

Triplex Fœderatorũ exercitus.

Prælĩ ad Seneff

viarum anguſtiâ impediti reſiſtere, relictis & à Gallis captis impedimentis, in oppidum Senneff confugiunt, ubi generoſe ſe defendentes Gallos non levi cæde rejiciunt, qui ſub Fouvillo obtento & tranſito ponte (ubi hic trajectus objit) Hiſpanos aggreſſuri, ab his confunduntur & repelluntur, ab aliis tamen mox ſunt turmis ſuccenturiati: Hiſpani interim, dum in aciem ſe diſponunt, advolant cum ſuis agminibus Auriacus & Souchesius, diſpoſitis tumultuarie ordinibus totâ utrimque acie pertinaciter & deſperatè confligunt: Galli ad complendam hactenus victoriam, confœderati ad recuperandam cum ingenti utrimque ſanguinis effuſione, qualis vix unquam fuit audita, continuataque fuit lunâ ſplendente ad undecimam fermè noctis horam pugna, quæ luna nubibus obtecta pugnæ finem impoſuit: Gallis ad ſua caſtra reverſis, confœderatis hæc una ſuperfuit gloria, quod poſt ſeptemdecim conflictûs horas ultimi ex acie receſſerint Montes Hannoniæ, & Galli Malbodium: ſtrages autem fuit utrimque cruenta, confœderatorum 3000. vel ut alii tum cæſorum, tum captivorum 5000. Gallorum verò gregariorum 6000. & quingenti præcipuæ nobilitatis viri, in acie cæſi, & 400. gregarii capti: quia Galli multis ſenticetis, dumis & vepribus impediti, quibus fœderati tecti, duplicem paſſi ſunt ſtragem. Sique Hiſpani tantâ quantâ equitatus Cæſareus pugnaſſet fortitudine, pauci evaſiſſent Galli. Auriacus quidem alterum adhuc ambiebat prælium, ſed Souchesio & Montecreo diſſentientibus, tum quòd Condeus è munitis ſuis caſtris

ſtris & ſepimentis vix poſſet elici, multò minus ejici, tum quòd taliter rurſus vincere (ut hic Galli more ſuo jactitabant) potius eſſet vinci; ſufficiebat enim Condeo fœderatos à Galliæ invaſione abſtrahere, quæ primaria Gallorum erat intentio.

Quia verò temporis adhuc & aëris permittebat temperies, confœderati Audenardam obſidione cingunt, duobus Gallorum millibus munitam, cui paucis antè diebus Condeus Marchionem de Ranes, & primarium belli machinatorem Vaubonum injecerat; jamque 18. hujus erectis ſex tormentorum ſuggeſtibus urbs acriter flagellabatur, & promotis tumultuariè foſſis caſtrenſibus nocte inter 18. & 19. hujus exteriorem foſſæ murum non ſine exiguo utrimque ſanguine impetunt & obtinent, adeoque die altera tormentis muros ad decretorium mox tentandum inſultum inceſſabiliter quatiunt. Condeus interim inſigni à Mareſchallo Humiere auctus ſupplemento magnâ celeritate in ſuccurſum & liberationem Audenardæ feſtinat, quod Auriacus audiens militari advocato concilio prælium cum hoſte ex itinere adhuc feſſo perſuadere conabatur; verum quia Soucheſius neque in obſidionis continuationem, neque in pugnam volebat conſentire, collectis vaſis cum magna celeritate, relictis etiam bellicis tormentis ab Auriaco mutuò acceptis abſcedit, ideoque Condeus ea in parte recentem commodè militem civitati immiſit, ut Auriacus tunc Condeo impar obſidionem ſolvere fuerit coactus; tria tamen peditum millia ſub tribuno Wee, & ſub

Audenardæ obſidio. Solvitur.

comite Naſſavio octo equitum legiones Raben-
Gravia capitur. haupto ad continuandam Graviæ obſidionem ſubmittit, quo ipſe quoque 9. Octobris adveniens, ſingulari fortitudinis gloriâ nocte inter 13. & 14. Octobris in exteriorem foſſæ murum impetum facit & occupat; quapropter Chamillus præfectus extrema non virili ſolùm, ſed furioſâ penè conſtantiâ perpeſſus, ulteriori urbis defenſioni diffidens, 26. Octob. ultroneam ſub libero militari diſceſſu offert deditionem, ubi quadringenta circiter tormenta bellica, immenſam bellici apparatûs & commeatûs copiam, & incredibilem bonorum his in partibus & derelictis urbibus raptorum prædam Batavi invenerunt, quæ æmulo obſidentium, & obſeſſorum ardore aut recipiendi, aut retinendi tuebantur, in quo præcipuum præteriti belli decus poſitum videbatur; ideoque cæſi in hac Graviæ oppugnatione quinque mille, ex propugnatoribus verò bis mille deſiderabantur. His feliciter actis Auriacus Rabenhauptum cum Friſiis & Groningenſibus domum remittit, & Farjauxum cum aliquot legionibus in ditionem Colonienſem, ipſe fœderatis Moſam verſus deductis ad caſtra reverſus, inde Hagam Comitis abit, honorifice ibidem exceptus.

Singulare per id temporis perfidioſæ prodi-
Rohani proditio tionis facinus attentavit in Gallia Rohanus eques, ob familiæ ſuæ Majores, qui olim Armoricæ imperitarant, Principis titulo honeſtatus. Hic ligurito (quod non erat exiguum) inter laſcivientis vitæ diſpendia patrimonio, de prodendo hoſtibus Normanniæ oppido Quille-

boeuff,

boeuff, per quod in Gallias irreperent, & ſeditionem adverſus regem excitando tractavit; ad hoc Hiſpani magnam vim pecuniæ illi, & ſocio ejus de la Treaumont numeraverant; quem in finem Batavi Anglo reconciliati, & quaſi jam maris domini, ingentem navium bellicarum 66. claſſem paraverant, excenſionem tentaturi. Jamque admiralis Trompius cum Comite Hornio 23. Junii inſulam Bel-Isle attingens, 27. hujus tormentorum beneficio in eam duplici licet ſepimento vallatam Batavi excendentes, caſtellum cingunt valide ſe defendens, hinc inde ad inſulam Noirmontier velificantes arcem ibidem impugnant, & cæde ſuorum 138. occupant cum 17. tormentis bellicis, & 19. navibus, præſidiariis ſibi fugâ conſulentibus. Poſtquam Batavi tribus ibidem morati hebdomatibus, arcem evertunt, domos diripiunt, & deſtruunt, pecora, fruges & quicquid pretioſum deprædantur, atque ita naves ſuas repetunt, ultra nihil tentantes; quia Normanniæ & Britanniæ limites à gallicæ nobilitatis legionibus probè erant muniti, & condictâ proditione fruſtrati; tanti enim moliminis tam Rohanus quàm Treaumontus erant incapaces; abligurationis autem capaciſſimi. Re detectâ Rohanus captus, & capitali Pariſiis ſupplicio eſt affectus, pari pœnâ mulctatis aliis quibuſdam, Domina de Villars & equite de Preau, qui proditionis complices fuerant. Maximæ autem nequitiæ maximam Deus prærogavit in Rohano miſericordiam, dum is, qui pietatis hactenus ipſum nomen ignoraſſe videbatur, tantâ delictorum contri-

Batavorum claſſis contra Gallos.

Batavorum in Normanniâ expeditio.

Rohani proditio & ſupplicium.

tione mortem excepit, ut non inveteratus peccator, ſed religioſiſſimus, qualis ad martyrium ſe diuturnâ devotione paraſſet, athleta viſus fuerit. Eodem ſucceſſu tentat Adrianus Ruyterus aliâ claſſe inſulam Martinicam, in ſinu Mexicano ignobili molitionis famâ, quod pluribus provinciis exitiale futurum jure videbatur. Beſantii tunc temporis cives Mareſchallum de Touras, & gallicum totum urbis præſidium veneno meditati inficere, re tempeſtivè proditâ centum fermè cives gladio ſunt confecti.

Ruyteri expeditio.

Beſantii proditio.

132. In Catalonia & Ruſſillonia continuo Hiſpanis ſucceſſu bellum arriſit; nam Dux de S. Germano Cataloniæ prorex urbes & oppida, S. Jean de Pages, Ceret, & Belagardiam cum arce, urbem non ignobilem, & velut victoriæ pretium obſidione coacta ad priores dominos fecit redire, antequam Schombergus cum ſuo accederet exercitu, cunctando (ut propoſuerat) rem reſtiturus, quin ipſe ſuſidium cincto ab Hiſpanis caſtello de los Bagnos allaturus prælio victus amiſit exercitum, bis mille cæſis, 1500. in poteſtatem hoſtium abductis, fugatis ceteris qui pugnaverant. Hæc vindicaturus Schombergus, Hiſpanorum caſtra aggreſſus, in fugam rejicitur. Simili adverſâ uſus fortunâ marchio de Caſtelneau, qui 5. millibus invaſit Rouſſiloniam, quo turpiter quoq; repulſo, Hiſpani ejusdem metropolim Perpignanum obſidione cingunt, ſpe obtinendi, niſi alio avocati fuiſſent, omniaque videbantur pro Gallis conclamata, niſi ob

Galli ab Hiſpanis vincuntur.

In Catalonia.

Rouſſilonia.

novam

novam Meſſanenſium defectionem aliò copias abducere Hiſpanis fuiſſet neceſſe. Nam menſe Novembri in apertam tandem ſeceſſionem ab Hiſpani Regis fide ruit poſt iteratos [ob panis ſæpius inopiam] alibique deſcriptos tumultus Meſſanenſium civitas, explicatisque rebellibus vexillis extero Principi ſe tradidit. Laborare pergebant inteſtinis diſſidiis Nobiles & Plebeji, iſti regiis miniſtris, illi faventes urbani ſenatûs auctoritati, quam violentis præſumptionibus plus æquo jactabant. Accidit ut quâdam die, quem a ſacra epiſtola dictum feſtivis pompis celebrabant, pictura publica cerneretur, in eaque ad Regis Catholici pedes duo ſimulachra cum hac epigraphe: *Cadit falſitas, ſurgit veritas*. Quod hac falſitate ſuggillari crederent aliqui armorū præfectum, ſeu urbis gubernatorem Diego. de Soria, velut detritis machinationibus oppresſum jacentem. Obmurmurare primùm, dein inſultare cœperunt ei, qui picturam expoſuerat, minati domûs excidium, niſi illa feſtinè ſubtraheretur. Adverſam tamen offendêre aliorum multitudinem, qui ut rei benè actæ gratulantes, minas minis retuderunt, brevi partiū ſtudiis diſſidio ad civilis internecionis periculū adducendo, niſi ſenatûs auctoritate animi fuiſſent ſedati. His auditis Prorex Marchio Bajonenſis, qui in abceſſu Principis de Ligne tum Panormi morabatur, ad ſenſum priorum, qui murmuraverant, picturam interpretatus, expoſitorem ejus tradi jubet in carcerem, quò cùm ab armorum præfecto inſigni ſtrepitu raperetur, tota civitas gravi ob id indignatione ſuccenſa, pro captivi liberta-

Meſſanenſium tumultus.

Occaſio illius.

te orare primùm armorum Præfectum, dein quòd gratiam negaret, vim ſtatuit adhibere: Præfectus interim captivo demetit caput, & quo ſe contra ſeditioſorum furorem tueretur, armis & militibus repleri palatium ſuum imperat, eoque vocari ſenatum, quem quaſi ſeditionis auctorem durioribus verbis objurgatum dimittit. Sed fama interim per urbem dilatata ſenatum à Præfecto evocatum, ut in palatio mactaretur, cœco impetu ſeditioſi in illud convolant, jam vim inferre meditabantur palatio, cùm ejus timore Præfectus remiſſis in caſtellum Salvatoris uxore & liberis, novas copias ex arcibus eductas ad ſe vocat, omniſque generis, etiam æneorum tormentorum apparatu ſe ſuoſque in palatium receptos munire ſatagit. Senatores quaſi ex hoc ſibi metuerent exitium, jubent æris campani ſonitu populum ad arma excitari, ipſique per urbem equitantes idem hinc precibus, hinc juſſis urgent, poſt quæ ad palatii obſidionem accincti verſus illud progredientes, militares præfecti copias offendunt, cum quibus congredientes è ſuis aliquot amittunt, ſed longè plures ex regiis militibus trucidant. Palatii obſidione cœptâ bellica in ſeditioſos tormenta etiam ex arcibus urbi imminentibus detonuêre, ſed levi damno: accurrentibus interim in urbem ex vicino agro ruſticis, quorum operâ urbis propugnacula & muros ſenatus occupat, eâque feſtinatione parat omnia, quibus ne regiis in palatio obſeſſis abundè adventarent auxilia, provideretur. Demum perfractis palatii januis illud furioſè diripiunt, domeſticos occidunt, & caſtellum obſi-

Præfectus armorum obſidetur in palatio.

obſident, omnes Hiſpaniæ fautores urbe ejiciunt, aliquos capite minuunt, Epiſcopum arguentem officio privant, Hiſpanicum contumacitet regimen detrectant. Prorex ut furentis populi componeret ſeditionem, & ad Regis fidem reduceret, generalem omnium promittit amneſtiam, quam illi ridiculè rejiciebant, niſi illis ſex ſtolida puncta concederentur, quæ nec ille, nec hiſpanicum Madriti miniſterium admittere voluit, nec potuit; ſed auctores ſeditionis, homicidii & direptionis juſtâ & meritâ puniri voluit pœnâ; quo plebs inſanior occupato caſtello armorum Præfectum capite minuunt, & omnia Hiſpanorum & Genuenſium bona aliquot millionum pretio diripienda concedunt. Novus Prorex Marchio Bajonenſis, urbem [in quam necdum exceptus fuerat] ſtatuit vi & armis cogere, ut ad primam fidem & obſequia (in qua reliquæ omnes permanentes, Meſſanenſium inſanam execrabantur contumaciam) revertetur. Ad eum legationem præmittunt Meſſanenſes pacem certis conditionibus exoratum, ſub quibus plenâ & liberâ præeſſet auctoritate. Sed his durius à Marchione habitis, iterum ſeditioſi novo furentes œſtro obvios quoſvis, qui à regiis partibus ſtare crederentur, per urbem trucidant in deſperatæ pacis vindictam, publicis & circumquaque miſſis ſcripturis obteſtati, ſe ad extrema quæque adactos pro communi tuenda ſalute extrema quoque omnia effecturos, quæ mens & neceſſitas ſuaderent. Hinc advenientem cum navibus Proregem à portu tormentorum arcent exploſione, co-

Prorex urbem cogere meditatur.

gunt-

guntque ſe ſubducere, miſſo interim Romam ablegato, qui oratori gallico exponat, civium mentem eſſe in eo, ut ſe Regi Ludovico dedere ſint parati, dummodo ab eo deprecentur ſubſidia, quibus ſuam tueantur ſeceſſionem. Placuit Ludovico Regi hæc Meſſanenſium defectio, tum ut hac occaſione Hiſpanis armorum diverſionem, tum ut ſibi acquireret ditionem ſeu regnum, quod etiam fortè obtinuiſſet, ſi Achillem, & virum tanti moliminis capacem eò ſubmiſiſſet, qualis non fuit Dux Vivonnenſis, frater concubinæ ſuæ Monteſpan, ex cujus amore ad hoc electus, quem cum ſeptem militaribus navibus ſub talaſſo equite Valbelle miſit in ſubſidium; ſed ab Hiſpanis ex inſidiis aggreſſi, ſub conflictu Vivonne ſubterfugiens feliciter Meſſanæ intulit ſubſidium, eodemque adhuc anno Galli arcem Meſſanenſem obtinentes, firmum in regno Siciliæ pedem fixerunt. Hac Monteſpanâ concubinâ ſuâ Ludovicus Rex viro licet alii copulatâ, laſciviùs hactenus uſus, ut licentiùs impoſterum, & ſana, ut ajebat, conſcientiâ uti illâ poſſet, matrimonium illud inter illam & virum ſuum indiſſolubile, publicè tamen juſſit diſſolvi, quaſi Rex ſupra Deum, qui *quod conjunxit, homo non ſeparet. Matth.* 19. 6. *Marc.* 10.

Ludovicus Monteſpanam à viro ſuo diſſolvit.

133. Polonia Rege ſuo priori anno viduata, novum deſiderabat, ex voto Pontificis & Cæſaris Romano-Catholicum, erantque candidati tam externi quàm indigenæ plurimi; communiter autem more ſuo non indigenam ſeu

Electio Regis Poloniæ.

ſeu piaſtum propter æmulationem gentis & invidiam, qua quiſque regiam ſibi dignitatem ex officiis reipublicæ præſtitis debitam arrogat; unde lites & inteſtina ſæpe bella oriuntur; quare externi plures ſe offerunt candidati: Czaarus Moſcus ſuum 14. annorum filium commendabat, Stephanus Bathorius ſeipſum cum 15. millionum promiſſione, & ducatûs ſui cum Polonia conjunctione, 16 armatorum millia contra educturus; Petrus de Ronquillos Hiſpanus Joannem de Auſtria, aut Ducem Lotharingiæ; Danus fratrem ſuum Georgium cum tribus millionibus & ſex equitum millibus offerebat; ambiebat quoque eam Princeps Condeus Gallus, regiis ſuis dotibus & qualitatibus pluribus acceptus; Dux Neoburgicus filium ſuum primogenitum, & Ducem Lotharingiæ Regina vidua & Lithuani extollebant: ex quibus omnibus tres præferebantur: Lotharingum affectabant cum Lithuanis magnus cancellarius Patz, & ſupremus Lithuaniæ archiſtrategus; Polona nobilitas aut indigenam Piaſtum, aut Lotharingum: tertia factio regni exercitus poſtulat Joannem Sobieskium archiſtrategum, qui externè quidem pro Condeo, occultè verò pro ſe ipſo indefeſsè laborabat, quod Lithuani impedituri, volebant Piaſtum excluſum; cui omnino, & cum tumultu adverſabantur omnes regni ſenatores, quem niſi magnus Lithuaniæ theſaurarius & comitiorum director Sapieha ſuâ compoſuiſſet prudentiâ, magna ſine dubio ſubſecuta fuiſſet inter illos ſan-

Candidati varii.

ſanguinis effuſio. Appropinquante 20. Aprilis electionis die variorum Principum legati ad publicum ſenatorum & regni ſtatuum alloquium admiſſi & auditi ſunt, quorum primus pontificius Franciſcus Bonviſius Nuntius Apoſtol. & Cæſareus Comes Schaffgotſchius,qui Lotharingum ex Cæſaris & Reginæ Poloniæ viduæ commendatione extollebant cum magna ſpe electionis, cui veluti incapaci [contrarium probavit eventus] legatus gallicus Epiſcopus Maſſilienſis Principem Neoburgicum præferebat à Ludovico Rege propoſitum, cui Epiſcopus Cracovienſis, loco infirmi Primatis comitiis præſidens, auctoritate ſuâ adſtipulabatur, dicens, quòd Rex Galliæ ære & milite Polonæ Reip. magis quàm Cæſar poſſit eſſe ſubſidio; ſed cùm Maſſilienſis præviderer ſe fruſtra pro Neoburgico laborare, ut Lotharingum eliderer, factioni Joannis Sobieskii, Coczinenſi victoriâ illuſtris, accedit; cui cùm adhuc votis prævalere videretur Lotharingus, relictæ Reginæ viduæ [quæ Polonorum gaudebat protectione] futurus ſponſus, regni ordines deputatis quinque ad Reginam Epiſcopis, Regni coronam illi offerunt,ſi Principi Neoburgico deſponſari vellet; illą Lithuanorum votis certa reſpondet, Cæſaris ſe voluntate & promiſſione Lotharingo, non Neoburgico deſponſandam. His actis ſenatores & ordines nil ultra ſe Reginæ deberi, præteritis omnibus exteris candidatis, qui coronam prehenſabant, ne uni faventes alium inimicum experirentur, ad piaſtum in ſuæ gentis decus & gloriam convertuntur, & Palatinus Ruſſiæ facundâ oratione, & lau-

& laude Joannem Sobieſkium præclaris reipub. præſtitis officiis & beneficiis meritiſſimum exponit, cui tota conſentit Ruſſiæ nobilitas, & ſecuti ſunt adhortante Radzivillo Lithuaniæ vicecancellario aliquot Lithuaniæ Palatini, refragante tamen Patzio & cæterâ Lithuaniæ nobilitate, cum proteſtatione campo excedente. Dum interim Poloni Regis Sobieskii urgerent apud Epiſcopum Cracovienſem proclamationem, adeſt in electionis campo Epiſcopus Vilnenſis cum cæteris Lithuanorum deputatis, omnium votis in electionem Sobieskii unanimiter conſentientes; quare alterâ die defuncto fortuitò Regni Primate Czartoriskio (qui Sobieskii amicus non erat) Epiſcopus Cracovienſis Andreas Trzebickius Joannem Sobieskium Regem Poloniæ 21. Maji proclamat & ſalutat, qui 4. Junii in templo S. Joannis in præſentia legatorum Pontificii, Cæſarei, Gallici & Brandenburgici pacta conventa juravit; tum Reginæ viduæ in annuũ vitalitium promiſſa ſunt ducenta florenorum millia, & libera Thoruni ad Viſtulam in Boruſſia reſidentia. Et quia Rex bellum contra Turcas decreverat, retento uſque poſt expeditionẽ ſupremi Regni Mareſchalli officio, viginti octo armatorum millibus 22. Auguſti Varvaſiâ in Uckraniam progreſſus, palatinum Ruſſiæ cum 5. equitum millibus Caminecum præmittit, qui in ejus vicinia mille Turcas obruens cædit, & centum captivat, Rex ipſe urbem & arcem Baar, aliaque oppida occupat, & quindecimo poſt electionem menſe ſolemniter Rex eſt coronatus, cui intimè Pontifex eſt congratulatus.

Sobieſkius Rex eligitur.

Contra Turcas procedit

Töckelius novus Rebellium Dux. 134. In Ungaria primo conflixit hoc anno prælio novus Hungarorum Rebellium Dux Emericus Comes Töckelius, famoſo poſthac nomine ob pertinacem animi perfidiam orbi prodendus,qui necdum inter iteratas infidelium clades, regnumque penè integrum armis Cæſareis vindicatum, ad reddendam legitimo Principi fidem reſipiſcere potuit. Irrito, qui cœptus fuerat tractatu,per quem Bargozzius Comes eos Cæſari reconciliare nitebatur, ad liberam neotericæ religionis confeſſionem obtinendam oratorem à Sultano Turcarum impetrarunt, qui Cæſaris animum ad eam flecteret concedendam. Sed annitente Cæſare catholica ſacra ubique ſine exceptione admitti debere, Rebelles pugnam eligunt, & vincuntur, vulnerato in fronte Töckelio anteſignano, ut ſic perfracta ejus cervix proprio ſanguine didiciſſet erubeſcere. Catholicos interim ſacerdotes vivos non ſolùm palo trajiciunt, ſed naribus & auribus abſciſſis defœdant, quo Catholici Epiſcopi adeo ſunt exacerbati, ut plures Lutheranorum miniſtri equuleo torti, 71. eorum catenis, & vinculis incluſi, alii Neapolim & Siciliam traducti ad triremes fuerint damnati: in hoc licet inſano conjuratorum furore tanta tamen fuit Cæſaris clementia, ut Electoris Saxonis, aliorumque Principum interceſſione evangelicos hos ad triremes damnatos præcones abſolverit, ac libertati reſtituerit, à Batavorum architalaſſo Ruytero Meſſanâ & Tergeſto ſub ſponſione tamen & reverſali de non vindicando, nec revertendo in Hollandiam reductos.

Vulneratur in prælio.

Rebelles damnati ad carceres, triremes.

De-

Denique hunc annum ſubito & inexpectato Principis Lobkowicii caſu finiam: crederes citius ſtellas ex firmamento cœli, quàm Lobkowicium ex aulæ Viennenſis firmamento potuiſſe cadere, tam Cæſari gratus, honore & dignitate Princeps, negotiis expeditus, primus rerum gerendarum adminiſter, aulæ præfectus, & intimorum conſiliorum præſes, vir genialis genii, grandis prudentiæ & experientiæ: cujus noxæ teſtis aut index certus cùm non haberetur, ſed violenta ſuſpicio, Italicum ejus ſecretarium Ferri initio Octobris comprehendunt, ſcripta examinant, ſuſpectæ correſpondentiæ arguunt, mox ipſe Cæſar convocato intimo conſilio Schwartzenbergo, Lambergo, Montecuculo, Sintzendorffio, Cancellario Hocher, & Secretario Abele, hæc 17. Octobris emanavit ſententia: Injungitur Lobkowicio, ut omni honore & officio privatus, intra triduum aulâ & urbe exeat, & tanquam exul Raudnitii in Bohemia in ſuis bonis reſideat, inde nunquam exiens literas ſcribere interdicitur; cauſam neſciet; inobediens vitâ & bonis omnibus privabitur. Quâ ſententiâ illi prædicto die maturius dum vellet aulam accedere, intimatâ, abiit ad P. Emmericum, ſolus ibidem meridionatus. Poſt tres dies aureo orbatus vellere vili eſſedo ſub cuſtodia trium vexillationum dimacharum traductus eſt Raudnitium, ſub inſpectione & vigilantia Comitis Martinitz, ne quidquam literarum emittat. Hic vir utrâque contentus fortunâ habuit ibidem conclave ad aliorum alloquium mirâ magnificentiâ una in parte exornatum, medium in parte

Lobkowicius ſuſpectus dejicitur.

altera vile ruſticum mapale, utramque ſuam repræſentans fortunam, bonam & adverſam; hujus variam aſſignant, alii ſuſpectam cum Gallo, alii cum Ungaris ob proximam cum eis conſanguinitatem correſpondentiam; alii quod Neoburgicam Oenipontanæ ſponſæ cum aliquo quaſi deſpectu prætulerit, hinc Neoburgica poſtmodùm ejuſdem filio ſummè addicta ad ſummos illum in aula evexit honores, & Cæſar ipſe quandoque parenti præſtitit clementiam, nunquam tamen ad aulam revocavit: in ejus locum ſucceſſit Maximilianus Lambergus. Idem contigit fatum Comiti Souchesio gente Gallo, & Cæſari inter ſupremos exercituum præfectos merenti, qui & ſuſpectâ fide laborans Viennam advocatus, ut objecta dilueret, ab officio remotus fuit, qui in bello quoque turcico gratia Cæſaris excidit; ſed reconciliatus, nunc iteratò lapſus exulare debuit, à conterraneo ſuo Comite Chavanac generali propræfecto delatus & accuſatus. Per Deum noſce hoc ævum, major hoc ævo, ait *Lipſius*. Econtra Leopoldus Cæſar Albertum Auguſtum Comitem Oettingenſem 14. Octobris cum ſuis deſcendentibus in ordinem S. I. R. Principum evexit; locum & votum tamen in comitiis & conſiliis Principum necdum obtinuit; quæ familia ſi fortè extinguetur, hæc principalis dignitas in fratris lineam cum ſucceſſione bonorum deſcenderet.

Cauſæ degradationis.

Souchesius ſuſpectus rejectus.

Comes Oettingenſis fit Princeps

Annus 1675.

Annus jubileus.

135. Annus Milleſimus ſexcenteſimus ſeptuageſimus quintus apud Romano-Catholi-

cos plenariæ remiſſionis jubilæo facer, Romam verſus ex omnibus provinciis ingentem peregrinorum concurſum excivit, nil remorante bello, quo plures regiones affligebantur, quin etiam aliqui Principes è Germania Deo hac peregrinatione litandi cauſa eo ſe referrent. Res ſolita ceremoniarum pompâ in quatuor primariis urbis baſilicis S. Petri in Vaticano, S. Joannis in Laterano, S. Mariæ Majoris, & S. Pauli nono Kalend. Januarii [qui dies anni eccleſiaſtici primus numeratur;] eſt peracta, reſeratis aureo malleo per Clementem Pontificem, & tres titulares Cardinales Barbarinum, Chigum & Roſpiglioſum in propriis titulis, Foribus, quas ſanctas vocant; qua reſeratione aptis precibus celebrata inchoatur anni ſanctioris devotio. Res eo majori populorum attentione & reverentiâ peragitur, quòd hæc ſacra non niſi recurrente anno vigeſimo quinto ſoleant frequentari. Inter præcipuas ſacri ritûs pompas immenſis propè expenſis illa Romæ parata eſt, qua Sanctorum faſtis à Clemente Pontifice adſcripti ſunt decem & novem Martyres Gorcomienſes, ex variis cleri tum regularis tum ſecularis Ordinibus, Minoritæ undecim, quatuor clerici ſæculares & beneficiati, Canonicus Regularis S. Auguſtini unus, Præmonſtratenſes duo, & unus Ordin. Prædicatorum anno 1572. paſſi. In iis enim templis, in quibus celebrata eſt, ſuadente id incredibili populorum concurſu, quorum pietati & admirationi ſatisfactum quærebatur, omnimodæ religionis

Canoniſatio Martyrum Gorcomienſiũ

ſpecimina edita ſunt, ſeu magnificentiſſimo altarium apparatu, ſeu devotiſſimâ ſupplicationum ſerie, ſeu muſicæ accentibus arte omni exquiſitis, ſeu denique repetita concionum varietate, in quibus eruditiſſimis elogiis Divorum laudes efferebantur.

Margarita Aloyſia Aurelianenſis, Coſmo III. Magno Duci conjux relictâ Hetruriâ Pariſios remigrare voluit, nullis aut ſuaſionibus, aut deliciis, aut precibus remorata, quin meditatum exequeretur regreſſum. Gentis Italicæ indoles liberiori Gallorum ingenio adverſa eo principem fœminam adduxit, ut inviſam auſteritatem excuteret, genialeque gentilium ſuorum contubernium, etiam acquiſito imperio præferre facilis & prompta inveniretur. Dulcis amor patriæ, quo non præſtantior alter. Commune patriæ ſolum, ait *Cicero 1. de orat.* Charum eſt & jucundum, & delectabile: cauſam addit Divinus *Plato apud Sabell. lib. 8. cap.* 1. veritatis amiciſſimus, nullam in terris majorem eſſe charitatem arbitratus eſt, quàm quæ cum patria eſt unicuique noſtrum: hæc parens, hæc nutrix omnium; hæc artibus, opibus, diſciplinis inſtruit, dignitatibus ampliat; omnia ad ſuorum civium commoda & ornamenta refert, amat hæc, & vult ipſa amari, tuetur ſuos, nec vult negligi, quod cuique noſtrum præſtat, ſuo jure repetit. Patria, pergit *Plato*, à patre dicta, terminatione tamen fœmininâ, utpote ex utroque parente nexa, adeoque plus colenda quàm vel pater, vel mater.

Patriæ amor.

Festinâ profectione Rex Ludovicus delatus eſt in Belgium, ubi antequam fœderati de armis ſumen-

Arx Lood prodita.

ſumendis cogitârent, præviis incendiis ruris aperti (ob quæ hominum viginti quinque millia ſe in ſilvas recipere coacti ſunt) ſui juris fecit, ſeu terrore, ſeu obſidionibus urbes; arci Leodienſi aureo cuniculo illabitur Comes Stradeus, eamque gallici juris fecit, vixque non intercipitur in ea urbe Cæſareus miniſter Baro de Hola, qui eò venerat, ut eam neutralem leviori rationum & precum pondere ad Cæſareas partes inclinaret; ſed à Gallis corrupto arcis Præfecto Barone Virſet auro eſt præventus, qui ſubdolo prætextu germanlum educens præſidium, in ejus locum mille Gallos ſurrogavit. Simili proditione Cameraci domum pulveratiam moliebantur incendere; ſed tempeſtivè detecta eſt conſervata. Chamillus Audenardæ præfectus 7. Aprilis die repentinâ vehementiâ ſuburbium Gandavenſe non ſine magna confuſione irruit; ſed majori dedecore eſt rejectus. Vigeſimâ primâ Maji Mareſchalli Crequius & Rochefortius Dionantium intercipiunt, Cæſareumque præſidium priori hyeme à civibus receptum expellunt. Hic quoque mox occupat Thenas, fanum S. Trudonis, & 2. Junii Hujonum ad Moſam circumvallat, inſtratoque Moſæ ponte ob commodam cum regio proximè exercitu communicationem, duodecim urbem bellicis adeo flagellat tormentis, ut ad arcem pedem fixerit. Quarto hujus Rex caſtra accedens cuniculos jubet adhibere: quo præſidiarii coacti, eâdem nocte forti excurſione Gallos omnibus obtentis locis expellunt, & caſtrenſia valla, ſepimentaque dejiciunt, deſtruuntque, hoſtium tamen multitudine ad ur-

Gandavi periculum.

bem compulſi, die alterâ deditionem fecerunt, quòd urbis propugnaculum rupi infixum viderent cuniculo in aërem omni momento evibrandum, & facilem in urbem aditum patefaciendum, cui obſiſtendo pares non eſſent. Inde reparatis ruinarum lacunis Rochefortius Limburgum, hujus ducatûs metropolim obſidione cingit, robore non invalidum, & bis mille præſidio ſub urbis præfecto Comite Naſſovio communitum, die 13. menſis Junii cum octo equitum agminibus Duces Condeus & Angienſis, ſequenti etiam Crequius cum ter mille equitibus caſtra ſubeunt, promotiſque ad exterioris muri foſſas vallis caſtrenſibus ibidem inſidendo terræ infodiunt; tum extractis ad ſemilunare ſudibus actum eſt cuniculis, poſtquam omnia exteriora occupata ſunt munimenta, quibus tam lata dejecta eſt murorum ruina, ut quindecim extenſi milites ſimul inſilire poſſent, urbemque irruere. Continuavit hæc urbis defenſio incredibili utrimque fortitudine & pertinaciâ ſeptem tantùm diebus, & debuit ſe tandem Gallis ſubjicere: cui proximus juſto cum exercitu Auriacus meditabatur quidem ſuccurrere; ſed majore cum exercitu Rege prope Viſet invigilante, tentare non auſus, abſceſſit, contentus generoſâ Naſſavii propugnatione, quâ Gallorum ſex millia ceciderunt. His peractis Rex miſſo Duce Luxemburgo ad occupandum Tillemontium, & Mareſchallo Montal ad territorium Thuin, Sabim inter & Moſam invadendum in Galliam revertitur, celebri militaribus archiſtrategis exemplo, obſtetricem fore victoriarum diligentiam, fruſtraque

Limburgum captum.

ſtraque

ſtraque illos fortunæ favores præſtolari, quos piger in ſtadio curſus remoratur.

Periculoſis ab extero bello ſeditionibus Rex Ludovicus revocatur, dum Amorici, eorumque exemplo Occitani ob graviora ſolitis tributa tumultuantur; eâ tamen propitiâ ſorte, qua Rex utebatur ſeditioſos ducibus carentes ſeverâ repreſſit vindictâ, docuitque ſubditos, quibus illimitata Princeps auctoritate imperat, dum ei vires ſuppetunt, ſe ad omnimodam ſervitutem natos eſſe. **Tumultus in Gallia repreſſi.**

Duodecima Junii immaturâ & deploratâ morte deceſſit Auguſtæ Taurinorum Carolus Emmanuel, Allobrogum & Subalpinorum Dux in ipſo fervidæ ætatis flore: Princeps virtutum omnium, quæ Reges decent, maximéque morum comitate ornatiſſimus, ſuis pariter & exteris ob id in ſummo exiſtimationis & affectûs pretio habitus. Victorem Amedeum filium annis imparem, ut ſtatus regeret, ſub cura matris reliquit, cui pacis cultum, & ſubditorum liberale regimen enixiſſimè commendavit, hac ſingulari felicitate communem moriendi neceſſitatem levans, quòd à primo ægritudinis inſultu obitum ſibi quaſi divino percuſſus œſtro prædixit, eumque forti & generoſo animo excepit. Ducatûs ſui gubernationem pacis maximè artibus commendavit, dilatato Auguſtæ ſuæ Taurinorum regiæ ambitu, & eleganti civitate extructâ, in qua vetus renovaretur. Academiam item condidit, in qua ſeu equos regere, ſeu ea omnia addiſcere, quæ ingenuos juvenes decent, promptosque Nobilibus eſſe: tum varia ad aulæ ſplendorem **Mors Caroli Sabaudi. Laus.**

dorem & voluptatem, tum ad variarum urbium ſecuritatem extrui curavit, eo diſpendio, ut ingentis patrimonii Regem ea venuſtate & arte coæquarent, & ſcientiſſimum in omnibus liberalibus ſtudiis principem ſaperent.

Mors Contareni D. Venet. Fatis quoque Venetiis conceſſit Dominicus Contarenus, Reip. Princeps, vir antiquæ frugis, & exempli ad ſeveros mores compoſiti; eique ſucceſſit in principatu Nicolaus Sagredo, D. Marci procurator, non tam legationibus, quas Madriti, Viennæ, & Romæ obierat, inſignis, quàm ob morum comitatem omnibus acceptus, quos liberali affectûs, & regiæ pompæ oſtentatione ultra ſeverum gentis genium demerebat. Utrumque maxima & publici & privati ejus nominis gloriâ enituit, dum urbes Reip. ſubjectæ novo principi obſequia & gratulationes delaturæ oratores ſuos Venetias deſtinarunt, ea magnificentia à Duce exceptos, ut penè triumphantis Romæ, Regumque populo Romano amicorum ſolemnis imago ingreſſa videretur.

Succeſſit Sagredo

Laus.

Dachſtein Galli capiunt.

136. Alſatiam confœderati anno quidem ſuperiori deſeruerant, Dachſtein verò Epiſcopi Argentinenſis arcem non invalidam, vel ut antiquæ literæ ab ejus ædificatore Rege Dagoberto ſcribunt Dagobertſtein ſufficienti munierant præſidio, Gallorum primus hac in parte in eam expeditionis impetus à Marchione Vaubrun eſt factus, quem loci præfectus Haugwitz non modò generosè ſuſtinuit, ſed fortiter etiam rejecit: Vaubrunus copioſiore confirmatus augmento, acrius impugnationi inſiſtit, in cujus ſtatim principio Capitaneus Contarinus Venetus caput præ-

præfecti ſui Haugwitz proditoriè globo trajiciens eo res brevi eſt deducta, ut hoſtium ſe diſcretioni debuerit tradere: patefacto ſicarii ſcelere meritas Argentorati mortis pœnas debuit ſuſtinere: Galli autem atcem in aërem vibrantes Palatinatum & Brisgoviam invadunt, & omnia incendiis, oppreſſionibus, violationibus, direptionibus ſupra omnem tyrannidem complent in Wiſeloch, Bruchſal, Elach & marchgraviatu Durlacenſi. Argentoratenſes interea ex remota confœderatorum diſtantia, & proxima Gallorum appropinquatione ſibi metuentes, neutralitatem rurſus amplexi, utque in ea ſecuriùs conſervarentur, ſexcentis tempeſtivè Helvetiis pontem rhenanum & Kehler-munimentum communiunt. Galli licet cum urbanis argentinenſibus amicè & blandè agerent, occulta tamen & ſuſpecta contra eos cudebant conſilia. Montecuculus autem confœderatorum archiſtrategus haud procul Argentorato caſtra metatus, Philippopolim includens, opportunum aditum Rencherloch valido munit præſidio, intendens per Alſatiam in liberum Comitatum ſeu Burgundiam irruere, quod Turennius proſpiciens illum aliquoties loco & aditu dejicere conatus, non potuit: quare caſtra ad fluvium Kintzig inter paludes & ſilvas vix acceſſibilia transfert, unde gravia confœderatis damna iteratò inflixit; ut Montecuculus Turennium 26. Julii aggredi reſolverit, deficiente præſertim ſibi pabulo, ut ſubſiſtere diutius non poſſet. Jamque omnia ad conflictum erant paratiſſima, tantusque tunc

Palatina tum & Briſgoviam vaſtant.

Argentinenſes neutrales.

Montecuculus Rencherloch munit.

Gallorũ terror à Montecuculo.

in Gallorum caſtris erat terror & anguſtia, ut publicas avertendi malum, obtinendæque victoriæ preces indixerint, certusque tunc conflictus fuiſſet ſubſecutus, niſi nocte præcedente mutatis caſtris in alium Turennius commigraſſet locum, quem Caprara inſecutus ob interjectas paludes nil potuit efficere, & vix ſine damno copias ſuas potuit retrahere, niſi quod ſe mutuò tormentis bellicis conficerent. Die alterâ 27. Julii Turennius ſupra oppidum Saspach loco eminentiori exercitum ſuum in aciem diſponens, duodecim tormentis bellicis cœmetrium à Cæſareis inſeſſum impetit, quod Montecuculus impediturus, ſuum quoque in ordinem dirigit exercitum anguſtâ ſolùm valle ab hoſtili diviſum, mutuisque iteratò tormentis ſe invicem impetunt. Ejusdem adhuc diei horâ quintâ dum in eminentiori loco ſuggeſtum tormentorum erectursus Turennius in candido equo ſub arbore, cui inſidebat Stationarius, confœderatorum caſtra perluſtrando recognoſceret, tormentarius duodecim librarum globus, tertiò licet cæſpitatus, in pectus Turennii adactus proſtravit, ſimulque in coccineo pallio adſtanti generali proprætecto S. Hilaire brachium abſcidit, coccineum ſine dubio pallium, & candidus Turennii equus illius indicarunt perſonæ præſentiam, hoc uno certè inglorius, quod levi hac induſtria eum hoſtis peremerit, & ipſe in levi officio ſubeundo fuerit ſublatus, qui tot pugnas & pericula imperterrito ſemper animo ſubiiſſet. Vir fuit ceteroqui ſummæ fortitudinis

Turennius globo trajicitur.

ejus laus

nis, & prudentiæ laude in bellis gerendis incomparabilis, ob quas militum parens dictus, eos ſemper & perſonæ amantiſſimos, & ex æquo imperiis habuit obſequentes: hoc uno reſperſus nævo, quod aliquando æmulis Cardinalis Mazarini obaudiens arma in regem tractarit, cujus abſolutâ voluntate contra Principum, & totius ferè regni placitum, & preces rebus gerendis miniſter, & dextera Regis manus præerat: tanti eum Rex fecit, ut fatalem ejus mortem audiens dixerit: malle plura ſe potius prælia quàm unicum amiſiſſe Turennium, ideoque regio illum ad S. Dionyſium condi juſſit ſepulchro, cui inſcribo: Regio ſepulchro cōditur.

TVrennVs perIIt tormentI gLanDIbVs ICtVs.

Exercitus gallicus quaſi exanimatus quo ſe verteret confuſus, à Comite de Lorge uſque ad mareſchalli de Duras adventum per rheni pontem per novem dies cautè traductus, & carptim in variis viarum difficultatibus Schletſtadium uſque ad montes perſecutus eſt quinque millium Gallorum jacturâ; confœderatorum verò mille quingenti tantùm deſiderati fuerunt. Galli Schleſtadium fugiunt. Montecuculus interea transmiſſo Argentorati (quod Cæſareas rurſus amplexum partes) rheno, Molzheimium, Mutzigum, & Ober-Engenheimum occupat, & Hagenoam copioſo Gallorum annonario divitem obſidione cingit; tum Condeus in Turennii & Duras locum ſuffectus cum ſummâ celeritate, & novo quinquaginta agminum augmento ſuccurrens Montecuculo meditatur regreſſum præſcindere, qui relictâ Hagenoâ Condeo obvius prælio illum aggredi intendebat,

bat, ſed Condeus ſibi metuens quâ datâ portâ ruit: & quia iniqua aëris tempeſtas longiorem hujus anni impediebat expeditionem, & Germanos etiam annona incipiebat deficere, hybernacula utrimque militi ſunt aſſignata, & Montecuculus deſertis caſtris Viennam properat, translato in Ducem Lotharingiæ militari imperio, qui illius in militaribus hactenus expeditionibus ſedulus fuerat diſcipulus, raróque Montecuculus mortuo Turennio unico ſuo æmulo, archiſtrategum egit; ideoque hujus anni expeditio inter hos duos præſtantiſſimos competitores Montecuculum & Turennium fuit omnium alterum præveniendi & ſuperandi callidiſſima. Condeus autem ſuos Schletſtadium & Zaberen conſueta latibula ſua ad hyberna dimiſit, eaque graviter communiri fecit.

Lotharingus cædit Crequiũ prope Treverim.

Alter ad tractum Saræ & Moſellæ ex auxiliatibus potiſſimum Lotharingicis, Luneburgicis, Monaſterienſibus & Cæſareanis conſœderatus exercitus Treverim obſidione premit, cui mareſchallus Crequius cum novem armatorum millibus tumultuariè auxiliaturus, à confœderatis undecimâ menſis auguſti aggreditur, pugnatur utrimque ſtrenuè, Carolo Duce Lotharingiæ militem voce & opere egregiè adhortante & prævalente; nam cæſus Crequius amiſſis ſuorum ter mille, captis omnibus impedimentis & decem bellicis tormentis, numero licet auctior vix cum ſeptem equitibus per lucos evaſit Treverim, cauſam forſan cædis aſſerunt, quòd præfectus Trevirenſis Vignorius cum quinque præſidiariorum millibus Crequium accedere juſſus, eman-

emanſerit, qui dum paulo antè in obſidentes excurreret, ejus equus in ponte fulgure territus illum in urbis foveam præcipitat & perimit (alii aliter narrant ut ſupra) ejus in officio ſucceſſor mandati Crequii inſcius factâ excurſione in urbem reverſus, emanſit. Confœderati hac animati victoriâ generoſius Treverim impugnare continuant, & Crequius illam æquè fortiter adeo propugnat, ut ex quinque præſidiariorum millibus vix ſupereſſent mille quingenti, & hi diutius nollent pugnare, coactus eſt Crequius 26. Auguſti urbis deditionem, & ſe, aliquotq; commiſſarios captivos tradere; præſidiari verò more militari dum die alterâ dimitterentur, gallus igniarium in plures cumulatim collectos pyrobolos injiciens accendit, quo ultra quinquaginta Germani ſunt perempti, & hi exacerbati plures viciſſim trucidarunt Gallos, dicebaturque Crequium hoc ſtudio inſtituiſſe, ut ſub hoc confuſionis tumultu facilius elaberetur: gallicus autem capitaneus Boisjourdan quod præſidiarios Trevirenſes reddidiſſet refractarios, Metis nobilitate exutus patibulo eſt ſuſpenſus; quod idem mortis ſupplicium refractarius quiſque miles in ordine quadrageſimus debuit ſubire. Prædictam hanc victoriam, quæ res Cæſaris ex integro reparare & promovere poterat, corrupiſſe dicitur Carolus Lotharingiæ Dux Senior, qui neglectâ occaſione Gallos ex toto Rom. Imperio eliminandi, paſſus ſe numeratâ corrumpi pecuniâ, ne Galliam jam apertam invaderet, armis per turpe otium abuſus: mortuus paucis poſtea hebdomadibus 18. Septembris Alembachii,

Treverim cũ Crequio capit.

Caroli D. Lotharingiæ negligentia.

chii, vili prope Confluentiam pagello in exilio; ubi ſe Treviri captâ deſes detinebat. Obiit annos natus ſeptuaginta quinque, Princeps per omnes vitæ felicis & infelicis vices exercitus, ingenio ſuo irrequieto agitatus, ne pacatus viveret, virium imbecillitate præpeditus, ne hoſtis Ludovici regis potentiam ferre, ſeſeque tueri poſſet. Cæſari cæteroquin acceptus tum ob ſuggeſta optima conſilia, tum ob præſtita militaria officia & ſubſidia ſuo ære conſcripta, ultima tamen omnium ferè deſtructiva. Ducatus ejus Lotharingiæ fratris ejus filio Carolo ceſſit, à Ludovico Rege longo tempore occupatus; allodialia verò bona in filium ſuum naturalem Ducem Vaudemontium tranſtulit; inter quæ, ut dicitur, aliquot numeratæ pecuniæ milliones numerabantur.

Mors.

Ducatus.

In Catalonia varia Hiſpanorum & Gallorum fortuna.

In Catalonia Galli feliciorem hoc anno ſub Duce Schombergo ſortiti ſunt Martis fortunam, aut potius dicam Hiſpani cum Gallis alternis victoriis & diſpendiis contenderunt, ubi Schombergium à Gerundia, quàm obſidebat, non incruento prælio diſpulerunt, recuperaruntque Figueras; ab eo viciſſimur urbe Belgardienſi expulſi, quam auctis novis copiis idem Schombergus obſedit, & cum Baccaras, Montjovis & Ampuras cœpit. Nulla fides eſt in pactis, mel in ore, verba lactis, fel in corde, fraus in factis. Aptè Ovidius! Judice me fraus eſt conceſſa, repellere fraudem, Armaque in armatos ſumere jura ſinunt.

Brandeburg.

137. Anno ſuperiori Rex Sueciæ Carolus gallico occæcatus auro Electorem Brandenburgicum

cum improviſe & perfide invadit, ut illum à confœderatis abſtraheret; hoc anno viciſſim Elector Suecum improviſe pœnâ talionis aggreſſus, Ratenaviâ armatâ vi occupatâ illum 15. Junii ejicit, cæſis in ore gladii ferè omnibus præſidiariis; tum ulteriùs illum perſecutus, 18. Junii propè Fehr-Bellin ſolo irruit equitatu, & opprimit, cæſisque eorum 6000. & captis omnibus impedimentis & bellico apparatu ſuâ planè Marchia expellit quam cladem cùm poſtea bis terque iis refricuiſſet, Elector ingreſſus Pomeraniam capit Wolgaſtum, binas inſulas Wollin & Uſedom, aliaque circum Stettinum loca & oppida redigit in ſuam poteſtatem, ſolâ Stetini, inquam, deditione fruſtratus. Hanc urbem ad Oderam hanſeaticam duas in partes per inſulam diviſam cùm Elector impotentibus ad vim inferendam armis per proditionem obtinere tentaſſet, re detectâ terribili exemplo proditores vivos cremari juſſit loci gubernator; quam animadverſionem ſi frequentiori uſu, quamvis non cum tanta ſeveritate, replicarent, unum tolleretur ex præcipuis bellorum ſeminibus, quod ſingulari ævi noſtri probro per faciles proditiones germinans, inflebilem poſtea rei vindicandæ neceſſitatem multiplici vaſtitate & damno eſſloreſcit. Hinc Rex Sueciæ in Imperii Rom. hoſtem declaratus ab omnibus ubique impetitur, epiſcopus Monaſterienſis, Duces Luneburgenſis, Cellenſis, & Wolffenbutenſis Bremenſem archiepiſcopatum, nunc ducatum, invadentes occupant Verden, Langwedel, Burg, Ottersburg, Bremerverden, Rotenburg, Boxtehude, Carsburg,

Suecus hoſtis Imperii

Urbibus privatus

burg, & omnia Suedicæ poſſeſſionis loca, præterquam unicam Stationem (Staden) Chriſtianus Rex Daniæ licet ſuam ſororem Rex Sueciæ prætenderet uxorem; hac tamen occaſione, quum claſſe Suecorum deletâ, in Wiſmarienſi portu onerarias omnes, & navigia, quæ in eo reperiebantur, deſtruxiſſet incendio, urbem ipſam Wiſmariam obſidione impetit, quæ quòd ſitu & munitionibus eſſet egregiè defenſa, tandem præſidiariorum fame ad deditionem eſt redacta; deinde quoque Helſinburgum, Landscron, inſulas Gothland & Oeland à Suecis intercepit. Tantine gallico auro emitur tanta regni & patriæ vaſtitas & calamitas? *Vid. num.* 143.

A Dano

Neque hoc anno res Cæſareæ in Ungaria ex voto cadebant; ſed juſto ſollicitus metu Cæſar, ne rupto Soldanus turcicus fœdere Rebellium amplexus partes, numeroſo opitulatetur iis exercitu, vocatis Presburgum proceribus, compoſitionis per Comitem Siackium offert propoſitiones, cujus ſe mediatorem interponebat Abaffius. Quidam hic procerum diuturnarum graviſſimarumque hactenus calamitatum pertæſi, ultimam patriæ per inteſtinum hoc bellum ruinam ſuis deplorabiliter popularibus proponebant: quod licet religionis exercitium illis vitâ clarius eſſe deberet; hæc tamen ex Chriſti præcepto debitam juratamque Regi ſuo neutiquam excludere obedientiam & ſubjectionem, ſed confirmare, dando Cæſari quod eſt Cæſaris, Deo, quod eſt Dei. Neque ita vinculari Regem legibus & ſtatutis, quin neceſſitatis & temporis

Cæſar ungaros rebelles quærit pacificare.

exi-

exigentia poſſit, debeatque mutare: *Varietas namque temporum inducit varietatem conſtitutionum. Can. Non debet. 8. prin. X. de conſang. & affin.* Non tamen poſſe illud ſubditos; multo minus eos excuſari, ſi Turcarum gentes, juratos Chriſtianitatis inimicos in belli admitterent ſocietatem, niſi Proteſtantes nomine tantùm, re autem & opere velint eſſe efferatæ gentes & Turcæ, chariſſimam omnino libertatem vendituri, & duriſſimum perpetuò empturi mancipatum; quo jam tum eſſemus obſtricti, niſi paterna Cæſaris avertiſſet vigilantia & potentia. Surdis hæc obteſtabantur auribus, & animis zelo falſæ religionis, & martyrii errore deceptis, ſi occumberent. Interea Prorex & Primas archiepiſcopus Strigonienſis cum tribus regni ordinibus de colligenda æris ſumma pro regni milite alendo ſedulò, ſed fruſtra conſultabant: ea tamen ſub ſpe generalem Cæſar commiſſorum amneſtiam, bonorum, & liberi religionis exercitii reſtitutionem ſanctè adſtipulabatur, in cunctis dummodò urbibus & munitionibus germanum admitterent præſidium. His oblatis quoque rejectis, ſeptem armatorum millibus tumultuosè circa Zatmarium pervagantes, per excurrentem ejusdem præfectum haud exiguâ cæde repelluntur. Quid, quod varius & inconſtans Abaffius clandeſtinus modò Rebellium fautor à Cæſare urbes Zathmarium, Calum & Tockajum, à prædeceſſore ſuo Ragotzio jure ſemper prætenſas ſibi exigebat reſtitui. Cæſar ne Ducem offendendo irritaret, ſolidæ rem inquiſitioni committens, dum iniquam interim per in-

Rebelles cæduntur.

Abaffi poſtulata.

internuntium Turcicum Soldanum, cujus tunc favore innitebatur Abaffius, exponeret poſtulationem, nihil hic moratus Zathmarium, ſed iterò cùm ob ſeram anni declinationem, tùm ob generoſam urbis propugnationem cingit. Rebelles autem habito 15. Septembris Sambri in Tranſylvania pro felici Turcarum, ut ſperabant ſubſidio, ſequentis anni expeditione conventiculo, Zipſienſem comitatum igne & ferro depopulantur: idemque circa Presburgum non minus feraliter præſtant Vyvarienſes præſidiarii Turcæ. Vid. n. 143.

Poloni in Turcas vario marte confligunt. 138. Vario Poloni marte Turcis, Tartaris & Coſachis rebellibus repugnant, mutuis ſe præliis, & locorum obſidionibus atterentes. Doroſenskius Coſaçorum Dux dum regi Polono fictæ pacis tractatus obtrudit, ab eo inſidiis edocto cæditur, non levi rebellium cæde, & Paulociæ urbis, quam tenebant, expugnatione, affectis pari clade circa Bratislaviam Tartaris, ubi incauti ſubſtiterant, plura captivorum millia abducentes, qui omnes in primam aſſerti libertatem juverunt, ut tria equorum millia Tartaris ipſis fugientibus eriperentur. Aliunde Tartari Heroviam vi capiunt exciſâ urbe, & civibus omnibus abductis; quod & ipſum Turcæ Turonopoli præſtitêre. Sed cum Leopolim verſus viribus & victoria tumentes contendunt, ita à Rege funduntur & cæduntur, ut per plura milliaria latè regio occiſorum cadaveribus cooperta ſit. Vid. num. 143.

Auranti defenſio. A paucis Hiſpanis militibus egregie defenſa eſt contra ingentem barbarorum multitudinem

arx

arx Auranenſis in litore Africo, quam hactenus cum quibuſdam aliis non levi diſpendio Hiſpanici reges ſervarunt, ut aliquis barbaris metus ex vicinio hoſte maneat, qui illos ab audendo in adverſas Hiſpanias remoretur.

In eadem Lybia Mulejus Achmetes, Iſmaëlis Fezzæ & Marochii tyranni (regnum enim uſurparat) nepos, avunculum è regno extruſit, cæſo ejus exercitu, ulciſcente Deo impiorum crimina pejorum armis, qui humanâ felicitate in cœli contemptum abutuntur. Ingenti item clade Turci Arabes rebelles prope Hieroſolymam in Palæſtina conterunt; reliquos tamen à cæde ſuperſtites ita in monte Carmelo munivit locorum aſperitas, ut hoc vulnere exanimari rebellio nequiverit. Mulejus Fezzæ tyrannū ſolo dejicit.

Transactis reliquis anni præteriti menſibus inter varias ſeu pacis rejectæ oblationes, ſeu alternos ea loca occupandi conatus, quæ Meſſanenſibus ſuppetias invehi aut faciles, aut difficiles efficerent, civitas in ſumma annonæ penuria victitans, tandem Valavorienſem Marchionem armatis navibus & onerariis omnigeno commeatu plenis inſtructum portu ſuo excipit, aditum nullo conatu intercludere certantibus hiſpanicæ claſſis præfectis, qui de imperio inter ſe intempeſtivâ ambitione diſſidebant. Fugavit hic marchionis adventus multos ex omnium ordine, qui cùm rebellionis notam execrarentur, ex urbe ſeſe proripientes aliò commigrarunt. Urbis capta eſt nomine Regis Galliæ Ludovici poſſeſſio, & conſignata auxiliaribus gallis ea omnia ſeu arces ſeu munitiones, quæ ad urbem tutandam Meſſana commeatu ſublevatur. Ejus poſſeſſionem capit Ludovicus.

dam conſerrent. Sed cùm proceſſu temporis invecti commeatus deficere cœpiſſent, ope novâ inedia afflictos exhilaravit Ducis Vivonii adventus, qui Meſſanenſium Prorex à Rege Ludovico dictus, audaci facinore claſſem hiſpanicam ſibi obviam disjecit, & incolumis pridie idus Aprilis cum onerariis octo, & armatis navibus novem portum penetravit. Die 25. Julii Meſſanam novi rurſus omnis generis commeatus è Gallia illati ſunt claſſe grandioribus octo navibus ad bellum armatis, & onerariis viginti quatuor, compoſita ſub equite Almeraſio. Urbs octoginta hominum millibus referta auxiliares Gallos eo adigebat, ut continuo commeatu eam foverent, quod vix extra muros quid retineret, quod ſerendo paucorum victui ſufficeret. Unde cum hæc ſubſidia cariori pretio obſeſſis vænirent, & Galli gentis ſuæ genio in contubernio mulierum familiari libentius ſibi indulgerent, brevi in eos populus famis & hoſpitum licentiæ impatiens, & maximè vetitæ libertatis muris exeundi, obmurmurare primum, hinc etiam inſidias & proditiones moliri cœpit, quibus ad priſtinam fidem, eliminatis novis auxiliaribus ſeſe reſtitueret. Hæc inediæ impatientia, animorumque in gentem ſuam averſio Vivonium Ducem impulit, ut de dilatando pomœrio, aliaque regni Siculi urbibus ſubigendis conſilium iniret; unde 17. Kalend. Septemb. grandioribus navibus viginti ſex, triremibus, & aliis benè multis inſtructus Meſſanenſi portu ſolvens, ſe videndum Catanæ, Siracuſis & Panormo obtulit, multa pollicitus, ſimul & minatus, ut has urbes in par-

Novi cōmeatus Meſſanā invecti.

Odium Meſſanenſiū in Gallos

Vivonius Siciliæ urbes tentat.

partes ſuas adduceret. Sed præviâ famâ edoctæ anguſtias, in quibus Meſſanenſes victitarent, velut ridiculæ ejus oblationes rejectæ, & tormentorum exploſione retuſæ ſunt minæ, quibus inſultabat, unde re infectâ Dux cum claſſe ſua Meſſanam rediit. Favit tamen Gallorum votis paucorum proditio, ut Auguſta in eorum manus occiſo urbis præfecto deveniret, per quam in urbem penetrarunt; ſed cùm proletariorum aliquot vi ad tranſtra rapuiſſet Vivonius, nec melioribus civibus parcens eos invitos militibus ſuis (quorum bene multi lue venereâ interibant) accenſeret, odio gentis ſibi conciliato hoſtis potiùs terrore, quàm proregis affectu eis imperavit. *Vid num. ſeq.* 139. Auguſta Gallis deditur.

Vigeſima prima Novembris obiit decimo quinto ætatis anno Georgius Wilhelmus Princeps Bregenſis & Lignitzenſis, ultimus Piaſtcæ familiæ 900. annis florentis ſurculus extinctus, ducatu ejus ad Leopoldum Bohemiæ Regem devoluto, ad quem extremis morbi diebus ſcribens rogavit hanc gratiam poſtremam, ut ducatûs ſui ſubditis conſcientiæ & religionis libertatem permitteret, quod Cæſar fecit; nam captâ poſſeſſione omnes reditus eccleſiaſticos, bona & templa in reformatione Catholicis ablata Lutheranis permiſit, & alios novos, ut ſolebat, nunc & tunc liberaliter reditus & bona catholicis ſubſtituit. Mors Ducis Lignitzenſis.

Extincta eſt itidem hoc anno in Gallia Lotharingicæ ſtirpis linea Guiſia, obitu Franciſci Joſephi Ducis Guiſii, qui ultimus ſuæ familiæ vixit. Hæc familia ſuperiori ſeculo Catholicorum in Proteſtantes anteſignana ob exorta inde Ducis Guiſii, & laus.

inter utrosque bella, regibus ipſis affectatæ coronæ ſuſpecta, acerrimis odiis fuit exagitata. Quibus nihil obſtantibus non immeritò forſan acceptam referant Catholici fidei ſuæ in eodem regno integritatem, contra quam Principes regii ſanguinis, imo reges ipſi continuis aut bellis, aut aliis offenſionibus repugnabant. Econtra Imperatrix 11. Octob. in hanc vitam genuit Leopoldo Duciſſam, à Nuntio Apoſtolico Bonviſio die alterâ baptizatam & nominatam Mariam Joſepham Clementiam.

Naſcitur Dux Maria Joſepha.

Bavarus Cæſari pacem ſuadet.

Ferdinandus Maria Elector & Dux Bavariæ in hujus belli tempeſtatibus quietus, ſub neutralitatis tamen ſpecie juſtum gallico auro in ſuo ducatu auctoratum alimentans exercitum, primâ menſis Novembris literis, multisque rationibus Cæſarem ad pacem cum Ludovico Rege componendam conabatur inducere. Cui Cæſar: Miſerrimus S. Rom. Imperii Status intimo cordis me affligit dolore, quo illud immani crudelitate, & iniquiſſimâ injuſtitiâ Rex Galliæ Ludovicus, ejusque auxiliatores muneris ſui immemores afficiunt; ſciat autem Elector Imperii bavaricus ſuæ eſſe arctiſſimæ obligationis & officii, ut tantæ potentiæ membrum ſuæ afflictæ patriæ, & labeſcenti reipublicæ in extremis hiſce anguſtiis debito coelectoribus ſuis ſuccurrat ſubſidio, & publicè proclamatum Rom. Imperii hoſtem Ludovicum omni conatu propulſet atque exterminet, quem hujus anni expeditio in tantam virium dejecit fatigationem, ut duplici gravi febre fuerit non ſine periculo oppreſſus; ſed Deus, qui aufert ſpiritum principum, illum ad-

adhuc in diram totius Europæ flagellationem longiori vitæ ad millionum hominum mortem reſtituit. Deſertus igitur à membris Cæſar, omnia ſua regna & provincias, Imperiumque Romanum Sanctiſſimo Joſepho, viro Mariæ, Chriſti Parenti devovit, eorumque patronum & protectorem fideliſſimum invocavit & conſtituit. Cæſar S. Joſepho regna ſua vovet.

Anni dies ultimos clauſit funeſta maris eluvies inſolita fluctuum agitatione tumeſcentis, quæ in Sinu Baltico claſſem triginta ſex onerariarū batavicarū abſorpſit, inq; Gedanenſi portu undecim alias naves mutuâ colliſione attrivit. Neque hic ruinarum finis, ruptis enim aggeribus oceanus Hollandiæ provinciam invadens, latum regionis tractum, & in eo pagos quadraginta cum omnibus hominibus & jumentis oppreſſit, furente interim per adjacentes plagas tali ventorum procellâ, ut arbores, domosque ingenti populorum tremore revulſerit. Grandis eluvies.

Annus 1676.

139. Sapienter Poëta Lucanus lib. 2. Pharſali:

- - - *Sors incerta vagatur,*

Fertq; refertq; vices, & habent mortalia caſum.

Cerne variam, mirabilemque Gallorum in Regno Siciliæ fortunam, Vivonius primis adventûs ſui annis quaſi Deus venerabatur; quamprimùm verò intimum Gallorum genium, eorum inſolentiam, eorum deſpoticùm experti ſunt dominium, tædioſos & odioſos averſantes, conſpirantesque, Vivonium in ipſo templo in aërem evibrare moliebantur; quâ detectâ Hiſpani Meſſanæ S. Salvatorem ſtrata- Siciliæ deſcriptio.

 gemate

gemate occupant. Ceterum regnum Siciliæ à Gothis fundatum, à Byzantinis imperatoribus occupatum; à Saracenis invaſum, poſt duodecim nonniſi ſecula antiquis reſtitutum dominis ceſſit Normannis, inde ad Duces Sueviæ per connubium pervenit, quibus ope pontificis ablatum in Gallos, Carolum Andegavenſem eſt translatum, qui legitimum regem Conradinum anno 1268. 29. Octobr. publicè capite plecti mandavit, maximo tamen Gallorum diſpendio: nam conſtitutus à Conradino regni ſui hæres Petrus Rex Arragoniæ occultâ cum Siculis juſtè regis ſui ſanguinem vindicantibus conſpiratione omnes in tota Sicilia, exceptâ unicâ Sperlingâ, Galli anno 1282. unâ die 30. Martii horâ 3. pomeridianâ miſerrimè ſunt trucidati, unde celebres per orbem Veſperæ Siculæ. Sic Petrus regno adepto ad ſuos illud propagavit ſucceſſores uſque ad annum 1504. quo ad Reges Hiſpaniæ eſt translatum: & Carolo II. defuncto ad modernum Carolum VI. Cæſarem: cujus maxima, pulcherrima, potentiſſima, ditisſima & nobiliſſima omnium civitas eſt Meſſana, ad radices montium ei imminentium juxta mare latè extenſa, & profundiſſimo ſimul & tutiſſimo tribus caſtellis & propugnaculis munita portu, multis nunc terræ motibus concuſſa ac delapſa, qui in hac inſula ex flammivomo monte Ætna ſunt adeò frequentes, ut fumum, lapides & cineres in circumjacentes agros ad tria ſæpe milliaria tam copioſe evomit, ut agros & fuges devaſtent; ſi vero cineres modici ſint, agros fœcundent; & quod mirabilius eſt, mons hic licet to-

Veſperæ Siculæ unde.

Siciliæ regnum

Æthna mons.

tus continuò igneus ſit, nive tamen ob grandem altitudinem in amœniſſima orbis regione tegitur, vel ad gentis, ne peccaret obſtinacius, medicinam, vel ad providentiæ regimen, ne una regio ſine mixtura mali felix eſſet. Cæterùm Meſſanenſes olim Mamertini, & omnes communiter Siculi gens eſt ſuſpicioſa, cogitationibus & ingenioſis inventionibus prompta, loquax, invida, curioſa, novarum rerum cupida, vindicativa, crudelis irritata; proprii potiùs quàm communis boni, fidei & honoris ſtudioſa. Siculorum genium.

Cœptus hic annus navali pugnâ in mari Siculo, quæ octavâ Januarii inter claſſes Gallicam & Batavicam eſt commiſſa, Vivonio ductante primam, quæ frumentorum copia erat onerata; architalaſſo ſecundæ Ruytero, qui ab Hiſpanis cum 19. navibus conductus, & Melazzi conjunctus in eorum ſubſidia, commeatus ab urbe Meſſanenſi ſatagebat avertere. Polliciti & ipſi Hiſpani fuerant, ſe viginti quinque Batavicis navibus parem ſuarum numerum additur os, ut communi concertatione advenientia Gallorum ſubſidia diverterent; ſed ea, qua jam diu laborare conſpiciebantur, rerum ſuarum incuria effecit, unam tantùm militarem, & triremes aliquot educere potuerint. Unde factum, ut cùm ſuperiores viribus non eſſent (quod facile iis fuiſſet) pari damno ſit utrimque diſceſſum; excepto quòd Galli portum & urbem ſubierint, novumque refrigerium attulerint urbi, quæ vix non extrema annonæ penuria denuò faticebat. Pugna in mari Siculo, prima.

 Novo

Pugna ſecunda.

Novo rurſus Marte in mari Siculo 22. die Aprilis pugnatum eſt: Hiſpano-Batavi Auguſtam obſidione cinxerant, quam Galli 37. navibus ſolvere nitebantur in tria agmina diviſis, agmen primum ducebat propræfectus gallicus Almeras, medium du Queſne, Marchio de Bruilly & eques Thurville, poſtremum Gabaret; Hiſpano Batavicæ verò claſſis primum agmen gubernabat Ruyterus, medium architalaſſus Hiſpanicus, & ultimum vice-Admiralis Batavicus. Primo ſtatim pugnæ principio cadit gallicus Almeras, & per ſolidum diem tormentis bellicis, ignium jaculatione, aliisque offenſionibus, quibus ſeſe claſſes ſolent impetere, actum eſt certamen, multis ultro citroque incurſionibus, quibus quandoque una, quandoque altera pars vincebat factis, in quibus etiam præclarus ille heros

Ruyteri mors.

Adrianus Ruyterus graviter in navi lapſus, eidē poſtea tormento bellico pes ablatus, quo fortiter pugnans & imperans extinctus eſt; ſed fœderati majori damno affligi ſunt viſi, quamvis certaminis locum obtinuerint, & paulo poſt in Syracuſanum ſeſe portum receperint, Galli vero Auguſtæ ſubſidium immiſerint.

Pugna tertia.

Inde fœderatæ Hiſpano - Batavicæ claſſi in portum Panormitanum receptæ Vivonius Dux novis auctus copiis inſultaturus, quadraginta navibus militaribus, & 24. triremibus eam aggreditur incenſurus, hæc Vivonii mentem prævidens è portu in altum provecta, pari cum hoſte fortitudine certat, donec cedente unâ hiſpanicâ Galli lineam perrumpentes, immiſſis in eam celocibus incendiariis tres batavicas & quatuor hiſpa-

hiſpanicas naves militares, & duas triremes flammis abſumunt, pluresque aliæ malè ſunt habitæ, & Batavorum architalaſſus Han hoc in prælio eſt occiſus. Defecit tamen Vivonium præcipuus hujus expeditionis fructus, quo ſperabat ſe inter confuſos hoſtes in portum illapſum à Panormitanis receptum iri, quo exemplo faciliorem aliæ Siciliæ urbes facerent deditionem. Hujus fœderatæ claſſis clades Epiſcopo Panormitano adſcribitur, qui bellicis urbis tormentis eam poterat defendere, & hoſtilem abigere, ideoque populare vulgus ejus poſtea Epiſcopale diripuerunt palatium. Hæc eſt prima maritima Gallorum victorioſa in Batavos actio, qualem hactenus nullam contra eos aut Anglos tentare ſunt auſi. Hac igitur occaſione Galli maris domini & victores, tantas quantas volebant copias in regnum Siciliæ introducunt, oppidaque Scalette, Tavormiam, & arcem Molle occupant, deinde Catanam & Syracuſum obſidione cingunt, ſed ab Hiſpanis copioſè etiam affluentibus repulſi. Hic quidam alteras Siculas Hiſpanorum veſperas attexunt, in quibus dominicâ Trinitatis ſub miſſæ ſacrificio impiiſſimâ conſpiratione omnes in regno Siciliæ Hiſpanos, ut olim Gallos, voluiſſent mactare, & Inſulam in Gallorum manus & poteſtatem tradere, re autem detectâ meritis auctores ſuppliciis caſtigatos eſſe; verum falſumve ſit, dubito, fides ſit penes auctorem.

Victi fœderati.

Siculorum in Hiſpanos odium.

Otioſis interim conſultationibus tempora terentes Hiſpani, 18. Octobr. Taurominam in Sicilia amittunt, quæ ſitu egregiè munita exiguo præ-

Taurominam amittunt.

præſidiariorum numero defendi potuiſſet. Novus Siciliæ Prorex Caſtri Roderici Marchio ut tam ſupinæ negligentiæ culpam averteret, eam in aliquos præcipuæ nobilitatis homines retorquere laboravit, quos ea propter ut perfidiæ reos juſſit detineri; ſed brevi aliquot menſium periodo ad extrema vitæ perductus, eos innoxios verbo & ſcripto reſtituit libertati, mirabili rerum hiſpanicarum fato, quo non ſolùm urbem Meſſanam recipere vectabantur, quæ Gallorum libidinibus & uſuris oppreſſa, ſe ad eorum fidem reducere continuis ſatagebat ſeditionibus, immo perpetuis jacturis terrâ marique præter communem rerum ordinem & ſpem atterebantur. Panormum tamen Galli fruſtra tentarunt.

140. Hyberna tempeſtas hoſtiles exercitus non diſtinuit, quin variis ſeſe aggreſſionibus in Germania & Belgio exagitarent, bello jam tunc geri cœpto non juſta virium concertatione; ſed furore vatiniano omnia juſta & injuſta ſunt tentata, quo damno hoſtis majore afficeretur. Ditionem Bipontinam, quæ in finibus Palatinatûs & Lotharingiæ ſita, rebus bello gerendis opportunè favere videbatur inexpectatâ vi occupari fecit Rex Ludovicus, prætextumque invaſioni præſtitit Ducis ipſius ætas provecta, qui cùm hactenus improlis eſſet, hæreditaſque illius Sueciæ Regem bello Gallis conjunctum reſpiceret, ſe ejus ſtatûs ducatum Galli occupari profeſſi ſunt, ut illum fœderato principi ſervarent, vetarentque, ne Cæſar ob intentatum ſibi bellum ideo Regem exueret, Dux armis impar,

Bipontum Galli capiunt.

ut

ut ſe tueretur, exulare coactus eſt, & uſque ad pacem Ryſwicenſem ducatus in Gallorum fuit poteſtate.

Arx Leodienſis deſtruitur.

Arcem Leodienſem anno ſuperiori à Gallis captam audivimus, nunc verò occupato antemurali Limburgo, illam inutilem centum & ſeptuaginta cuniculis omnino diruerunt, ſummo civium Leodienſium gaudio, quorum exceſſus & inſultationes hoc quaſi capiſtro frænabantur. Tum Rex adornatâ in Februario in Belgium expeditione, feſtinatâque è S. Germano profectione jubet per Mareſchallum Crecquium 18. Aprilis Condatum in Hannonia obſidione cingi; quo 21. Rex ipſe veniens die 22. caſtrenſia jubet valla aperire, & tres urbis inſtruere impreſſiones, unam ſub mareſchallo Humiero, alteram ſub mareſchallo de Lorges, & tertiam, ſed fictam, ſub mareſchallo Crecquio. Præfectus urbis & præſidiarii generosè quidem & fortiter aliquamdiu ſe defenderunt; ſed Regis præſentia, & gloriæ æmulatio ignem & ferrum perrupit, & præſidiarios ad deditionem ſub diſcretione coëgit, nongentique cum præfecto in captivitatem abducti ſunt. Auriacus Hiſpanorum & Batavorum archiſtrategus juſtum quidem, ſed Regi & liberationi imparem collegerat exercitum; verùm moram ejus & tarditatem conſueta Regis prævenerat feſtinatio, quâ etiam Galli occupato Condato mox ditionem Waas invadentes, ſexcenties mille florenos pro ignis condonatione extorquent. Inde tendunt Bochainum, & 2. Maji cingunt, dieque ſextâ vineas jubet egerere Regis frater, Dux Aurelianenſis, ſedulus

Condatum cingitur.

Deditur.

Et Bochainũ.

dulus urbis oppugnator, quem Rex ipſe toto eum exercitu proximus tegebat; præſidiarius tamen Valentianæ equitatus campeſtrem Gallorum ibidem ſtationem irruit, & peſſundaſſet, niſi tribunus Grave ſuccurrens eum rejeciſſet. Die ſeptimâ præſidiarii urbem inferiorem vix defenſibilem deſerentes flammis ſubjiciunt, & Galli die 9. exteriorem foſſæ murum impetunt & occupant. Advenit interea juſto cum exercitu Auriacus ſubſidium urbi ſubmiſſurus, quem Schombergus cum ſuis copiis ad caſtra vocatus ut eum averteret, Rex ipſe videns Auriacum copiis ſibi inferiorem, educto contra illum exercitu, tribus tormentorum ſignis illum ad certamen provocat, quem facilè prævidens non comparaturum, quaſi glorioſus victor ad caſtra revertitur, & hoc eſt primum prælium & victoria à Ludovico Rege perſonaliter obtenta. Die ſequenti obtentis exterioribus urbis propugnaculis & munimentis, adhibitisque evertendi muros

Capitur. cuniculis, præſidiarii urbis offerunt deditionem, quâ expeditâ ambo exercitus prope Valentianam intermediâ ſolùm valle convenientes velle confligere videbantur; quod Hiſpano-Batavi copiis confirmati unicè deſiderantes, fugiebant Galli Aloſtum oppugnaturi, quod Auriacus tuebatur; quare eorum pars Ludovico Rege in Galliam reverſo in Belgio, pars in Germaniam traducta, ſuperiorem armorum potentiam anno reliquo eſt tutata.

Trajectum Auriacus cingit. Auriacus ne miles otio torpeſceret, urbem Trajectum ad Moſam ſextâ menſis Julii cum fœderatis Hiſpanis & centum viginti tormentis bel-

bellicis, talique bellico apparatu circumvallat & oppugnat, ut de expugnationis ſpe minimè dubitaretur, cúmque nullo modo Galli illum avertere repulſareque ſe poſſe crederent, mareſchallus Humiere ſolis cohortibus prætorianis urbem Æriam in Arteſia ad deditionem cogit, quo Auriacus à ſua Trajecti oppugnatione non abſtractus, ad eas urbem cogit anguſtias, ut præfectus Calvo de deditione cogitare videretur, niſi pertinax Hiſpanorum & Batavorum impediviſſet diſſidium, quo Hiſpani devictam ſibi urbem propriè debitam, & promiſſam arrogabant, & Batavi jure belli ſibi ablatam repetebant, quo oppugnatio magno Gallorum commodo tardior & negligentior deferveſcebat, ut Humiere & Crecquius collectis undique copiis in caſtra parati irrumpere, fœderatos ſex jam hebdomadarum graviſſimis laboribus defatigatos & exhauſtos vigeſimâ quintâ Auguſti ad vaſa colligenda impulerint. Auriacus quidem illos ad conflictum alliciebat, ſed Galli in hoc rerum ſtatu & moderno ſuo principio fugiendi omnem conflictum, hac urbis ſolutione erant contenti. Aliunde Crecquius arcem Bullionenſem in finibus Leodienſis Diœceſis expugnavit, à quo etiam exturbati ab urbe Bipontina Germani, qui eam obſidere cœperant annonæ penuriâ. Hucusque expeditio belgica.

Æriam Humiere capit.

Trajectum deſeritur.

Bullion expugnatur.

141. In ſuperiori Germania Gallorum archiſtrategus à Rege conſtitutus eſt Dux Luxemburgicus, Monte cuculus autem defuncto Turennio expeditionem noluit ſuſcipere, quòd ſibi ſimilem non haberet adverſarium, ſub-

ſubſtitutus hoc anno eſt ſumma cum auctoritate copiis, quæ ad rhenum Cæſari merebant, Carolus Dux Lotharingiæ, Montecuculo Viennæ militaria ſubminiſtrante conſilia. Hujus anni principio Hermannus Marchio Badenſis certis audiens nuntiis Alſatiæ Gubernatorem Baronem de Monclas cum bis mille equitibus Briſaco in certam exiiſſe expeditionem, ſeu potius direptionem, mox ſupremum vigiliarum præfectum Schützen cum mille ducentis equitibus in illum emittit, qui 16. Martii in pago Buchholtz Gallos aggreſſus feliciter opprimit, cæſis eorum ſexcentis, vel ut alii ſcribunt, internecivè, ut vix pauci evaſerint, captique ipſe Monclas, & tribunus la Broſſe, tot vicorum oppidorumque in Germania incendiarius crudeliſſimus. Tum occupata munitione Mechtersheim, quam Galli in altera rheni ripa è regione Philippopolis extruxerant, Carolus Dux Lotharingiæ formali urbem obſidione circumdat, pluribus licet Gallorum impedimentis & moleſtiis iteratò impetitus; nam mareſchallus de Rochefort omni ſtudio bis mille pedites urbi clam immittere laborabat; ſed vigilanti Carolus Dux providentiâ eum rejecit: Dein Luxemburgicus, qui neglecto Condeo gallico exercitui (annitente Lovoji præcipui apud Regem rerum adminiſtri favore) præpoſitus, ut ſupra dixi, toto cum exercitu ferre urbi obſeſſæ ſuppetias ſatagebat, aut moleſtias difficultatesve creare; ſed Carolus cum parte exercitus tranſito per pontem Argentoratenſem rheno obviam illi procedens, cùm Dun-

Monclas cæditur & capitur.

Philippoburgum obſidetur.

Dunwaldus citra imperium gallicos procubitores aggreditur, cæditur; vigeſimâ autem quintâ Maji prope oppidum Rochersberg concurrentes. Galli in confuſionem acti, clade non ſolùm inſigni afficiuntur, ſed etiam in turpem fugam propulſi, ſubter Zabern urbis tormenta confugientes, duobus continuò diebus tormentis bellicis non ſine gravi ſtrage ſunt impetiti: inde Philippoburgum reverſi obſidionē quamvis tardius, tum propter tribunorum & belliducum diſcordiam, tum ob tormentorum mutalium & apparatuum defectum continuant: nam licet Cæſarei foveas aquis evacuarint, urbis tamen præfectus Dufaius perforato aggere aquis replebat: & quamvis jam modò ſexdecim diebus caſtrenſia valla eſſent aperta & longiùs provecta, tormentis tamen urbem flagellare nequibant. Non otiabatur interim Luxemburgus quadraginta millium valens copiis quavis arte & ſtratagemate damna & impedimenta inferre, caſtra tamen germana aggredi minimè auſus, ſed igneis machinis, navibus nitrato pulvere, pice, ſulphure, ſtramine, aliiſque materiis repletis navalem communicationis caſtrorum cum exercitu pontem incendere molitus eſt, quæ omnes Germanorum vigilantiâ ſunt interceptæ, nihilo tamen minus præfectus Dufaius urbem pluribus adhuc hebdomadibus generosè & fortiter propugnavit ad trigeſimum uſque diem Auguſti, quo deficiente nitrato pulvere ultro ſe Germanis tradere eſt coactus, dimiſſique ſunt ſexta Septembris 1300. præſidiarii honeſto more militari, volantibus ſignis, ſonantibus tubis Deditur.

& tympanis; minimè autem eſt incredibile, ſi præfectus du Fay quatuordecim adhuc diebus potuiſſet urbem defendere, in Germanorum manus Philippoburgum non incidiſſet, ſi nimirum gallicæ copiæ poſt Trajectenſis obſidionis ſolutionem Moſam jam modò transvectæ Luxemburgico exercitui ſe conjunxiſſent, nam agger portæ præſtructus, ſeu Revelin, necdum erat occupatus, neque fovea ſatis lata & ſtagnantibus aquis profundè completa erat ſuperata; tantum denique Galli robur urbi adjecerant, ut invincibilem jactitarint, & hanc portæ inſcriptionem inſculpſerint:

Anno M. D. C. LXVII.
Perfecit in terrorem hoſtium,
Fœderatorum ſubſidium,
Liliorum præſidium.
Alterum Galliæ cis Rhenum propugnaculum,
Ac Germaniam verſus oſtium,
Briſaco inferius ſitu, non robore.
Quod ille claudit utrumque, nemo aperit,
Idem aperit, & nemo claudit.

Nec multo poſt Luxemburgus ſuo hic fruſtratus molimine, æqualem amiſſæ urbem recuperaturus, Friburgum tentare meditabatur; ſed non auſus, quòd Lotharingus ejus continuò premens veſtigia latè per Briſgoviam crudelis incendiarius omnia flammis & incendiis depopulatur, & more ſuo diripit; ad Durlacenſe verò oppidum Emmelingen veniens, à vigiliarum præfecto Schütz eſt propulſatus. Germani quidem Liberum Comitatum ſeu Burgundiam invadere moliebantur, ſed Helveti neutralitatem ſtrictè obſervan-

ſervantes aditum occludebant, & Galli Montem belligardum urbem copioſo munierant præſidio, quæ ditiunculæ, Ducatûs titulo inſignis, in finibus Alſatiæ & Burgundiæ ſitæ caput eſt, Principique ex Wittenbergenſium Ducum familia parebat, hanc, inquam, occuparat Regis Ludovici nomine Dux Luxemburgicus, eliminato inde Principe, qui ſe ad vicinos Helvetos recipere eſt coactus. Hujus tamen, ut & Bipontini Ducis, ut ſupra retuli, ſe protectorem dixit Rex Ludovicus, eoque animo ditionem hanc à ſe falſo titulo occupari, ne in Cæſareorum manus incideret; hinc Cæſareus miles in hybernia eſt diſtributus. **Galli Montē Belligardum capiunt.**

142. Die vigeſima ſecunda Julii Romæ longo effœtæ ſenectutis morbo deceſſit Clemens X. Pontifex maximus, vir probæ mentis, ſed non adeo ſui potens, quin alterius ſuaſionibus aliqua faceret, quæ nec ipſe probabat. Extinctam in Alteriorum familiam, adoptato Gaſparo Paulutio, unicæ neptis marito voluit reviviſcere, in eamque conjecit opes maximas, quas Cardinalis, nepotis avunculus, & rerum tempore Pontificatûs arbiter ſingulari ſolertiâ non leviter auxit. Ad ultima tamen vitæ Clemens nullis adduci precibus potuit, ut aliquam pateretur ſuo nomine fieri circa proventus diſpoſitionem, quæ principatûs auctoritati velut licita uſus pluries approbaſſe viſus fuerit. Succeſſit ei vigeſimâ prima Septembris Cardinalium votis, & eventu probatus optimus Benedictus, cognomento Odeſchalchus, qui Innocentii XI. nomine inſigniri voluit, patria Comenſis in Inſubria; **Clemē tis X. mors.** **Succedit Innocentius XI.**

bria ; ſed eo terrenorum rerum contemptu, ut cœlo originem referres: ita abundanti prævia-rum virtutum exemplo orbi notus, ut dignitati non impar fauſta, & ſolidæ pietatis digna om-nia polliceretur. Omini fidem à primis diebus aſſerere viſus eſt, dum neglectis quæ carnis & mundi eſſent, pontificatûs eos ſolos voluit eſſe adminiſtros, qui virtutum merito probarentur: divitiarum & gloriæ adeo temperans, ut illas in Chriſtianitatis contra Ottomannos defenſionem liberaliter effuderit. & de hac nec ſibi, nec ſuis quidquam de principatu arrogarit, niſi quod curas & labores ſpectaret, in tribus præcipuè laudabilis: quod nepotiſmum ſuppreſſerit, juſti-tiam & veram politiam lapſas Romæ reſtituerit, & arrogantibus peſſimiſque Regis Galliæ Ludo-vici XIV. conceptibus & conſiliis viriliter ſem-per reſtiterit, ejuſque minas flocci fecerit.

Melitæ peſtis

Acri laboravit peſte Melitenſis Inſula, ob id-que ei aqua & igni à vicinis eſt interdictum. Vix non ad integram ſolitudinem redactus eſt ſco-pulus, deſideratis in urbe hominum decem mil-libus, qui majorem incolarum partem conſtitu-ebant, agro reliquo, vix aliquot mapalia, præter civitatem recenſente.

Mors Claudiæ Imp.

Viennæ obiit 8. Aprilis ſecunda Leopoldi Cæſaris conjux Claudia Felicitas, filia Ferdinan-di Caroli Archiducis & Comitis Tyrolenſis, & Annæ Mediceæ Coſmi II. magni Ducis Floren-tini filiæ, princeps vix 25. annorum, eximiæ pulchritudinis, magni ingenii & exquiſitæ pru-dentiæ, aulæ Cæſareæ moderatrix ſolertiſſima & Oeconoma adeo verſata, ut Cæſari eſſet ſer-

vitio

vitio prompta & gratiſſima, & cæteris aulæ miniſtris auctoritate & imperio veneranda toto illo quo vixit triennio, & unam Cæſari peperit Archiduciſſam paulò pòſt extinctam, prole maſcula deſtituta, quam, ut dixi, 13. Julii ſecuta eſt imperatricis filia archiduciſſa Maria Joſepha Clementia recens ante annum nata, nunc denata. Viennæ itidem 2. Septembris obiit Anna Medicea Ferdinandi Archiducis Oenipontani conjux, defunctæ nuper Imperatricis Claudiæ mater, quæ quod proprium ſibi legare potuit, hoc totum contulit, & hæredem ſcripſit Cæſarem, exceptis legatis quibuſdam alibi applicatis. Mariæ Archid. Annæ Mediceæ.

Cæterùm cùm regna malè ſtent, quæ trunco ſterili fulciuntur, & per liberos plurimùm majeſtas Regibus ſarta tecta ſit, Cæſarem defunctæ conjugis nomen ad tertia tranſire vota admonuit CLAUDIA Anagramma DUC ALIAM,

Quamprimùm, Cæſar, duxiſti CLAUDIAM,
id ipſum
Jam voluit nomen dicere DUC ALIAM.

Cæſar igitur, ut Imperio provideret ſucceſſorem, & familiæ ſuæ haberet propagatorem, decimâ quartâ Octobris aulæ ſuæ intimavit ſe nubere velle Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ Palatinæ, filiæ Principis Philippi Wilhelmi Palatini Neoburgenſis, qui in Electoratu Palatino defuncto Carolo Ludovico ſucceſſerat, quæ nata anno 1655. ſextâ Januarii, feſto Ss. Trium Regum: unde Poëta: Leopoldus nubit Neoburgicæ

Velle Palatinam viduata palatia ſponſam,
Vox populi, vox hæc ſit, Leopolde, Dei,

Ter bona, ter fœcunda domo, ſeptemq; ter annis,
Notaque nominibus tertia ſponſa tribus,
Tres regnis tribus hæredes dabit inde, quod ipſa
Nata trium Regum ſit Leonora die.

Hoc ultimum notabile, quod tres etiam Principes Archiduces ediderit, quorum primus Joſeph, & ultimus Carolus Rom. Imperii, & monarchiæ hiſpanicæ Reges feliciſſimè gubernant, medius verò Leopoldus anno 1682. natus, anno 1684. eſt denatus; atque ita Eleonora 14. Decembris Paſſavii ab ejuſdem Epiſcopo ſolemniter Leopoldo eſt copulata, & ſequentis anni 17. Januarii Viennam introducta ſplendidiſſimè.

Mors Sagredi Venet. D.

Vix menſibus ſeptemdecim Venetorum reipublicæ præfuerat Nicolaus Sagredo, cum decimâ ſexta Auguſti fatis cedere eſt coactus, relicto in animis omnium ingenti ſuî deſiderio, quòd vir principatu ob egregias animi corporisque dotes haberetur digniſſimus. In cujus locum duo ſucceſſivè electi ſunt, quorum prior Aloyſius Priolus oblatam dignitatem, ob provectioris ætatis incommoda recuſavit: alter Joannes Sagredo ab ei collata dignitate ſeditioſo popelli tumultu eſt excluſus. Hic ob acre ingenium, & compoſitos ad antiquam ſeveritatem mores, & annitente forſan aliquorum invidia traductus velut magiſtratui impar, famæ tamen commendari meruit, tum ob generoſam deſtitutionis ſuæ patientiam, tum ob egregios, quos de Turcarum imperio edidit commentarios, multaque alia anecdota, quæ lubenter cum merita tanti hominis

minis laude legerentur, niſi ea evulgari aliquæ hactenus rationes prohiberent. Nicolao tandem ſuffectus eſt Aloyſius Contarenus in Reipublicæ primatu, quem pientiſſimi animi modeſtia, aliæque boni principis virtutes extulerunt. **ſuccedit Contarenus.**

Aliud crudeliſſimum mortis genus impiiſſima hominum in Gallia malitia in Europam invexit, & latiùs diſſeminavit: nam ut Ludovicus XIV. non ex legum præſcripto, ſed ex libidine (ut quod libet, libuerit) regnavit, ſic Regis ad exemplum totus componitur orbis, ſive Galliæ indigenæ in execranda deflexêre crimina: nam venenata ibidem inventa & compoſita eſt infectio, Poudre de ſucceſſion nominata, quæ ſpeciali arte per certa grana, ſcrupulos, ſemiuncias & doſes ita præparabatur, ut homo ſenſim certo anno, certo menſe, die, & hora infallibiliter necabatur. Quæ in arte diabolica ſpecialiter ſe exercebat gallica quædam mulier nomine Brinvilliers perfectiſſima artifex, quæ ut indubitatam ſuæ artis haberet probam & experientiam, miſeris in noſocomiis infirmis ſub ſpecie eleemoſynæ tali veneno infectos cibos præbebat, & probabat certo die ac hora exanimabat: quod peſſimum exitiale malum ita paſſim perſerpebat Galliam, ut plurimi etiam magnates occultè vita privarentur, & Rex ſpeciale judicium la chambre ardente inſtituere duxerit neceſſarium, quo etiam prædicta artifex condemnata, & capite plexa eſt; artificioſa verò venena, ne in privatas multorum exitio devenirent manus, in regia aula cautè ſunt depoſita. Quod toxicum non in Gallia ſolùm permanſit, aut ſuppreſſum eſt, ſed **Veneficium gallicũ.**

Hh 4 etiam

etiam in Germaniam (etiam in Hiſpaniam, ut quidam referunt) pervenit. Monachus in nobili Abbatia ſive odio, ſive invidiâ ſuo Prælato ejusmodi toxicum præparavit, & præfixo tempore enecavit.

Suecorum novercans fortuna.

143. Novercantem armorum fortunam Carolus Rex Sueciæ hoc anno experiri perrexit, vix enim ei vires ſe defendendi ſufficiebant; nam ob exſcenſionē in vicinam Scaniam à Chriſtiano Daniæ Rege facta vires ſuas dividendo tot hoſtibus impar erat; tribus tamen præliis victor Danos in fugam conjecit, Elſimburgo potitus; ſed tribus naumachiis Danus ſuperior Suecos devicit, & Konigsmarckius Suecorum archiſtrategus Wolgaſtum in Pomerania à Danis captum recuperaturus, ab ejuſdem præfecto tribuno Alardo generosè fortiterque defenſum rejicitur; Anclamum deinde ibidem, Demminum inſignis roboris urbes cum Locheritio, Tribſeſo & munimento Penemunder-Schantz variis obſidionibus Elector Brandenburgicus ſuæ feliciter fecit poteſtatis; Principes denique Brunſchwi-Zell, & Wolffenbüttelenſis occupando Stadenium totum ſibi ſubjecerunt ducatum Bremenſem. Princeps quidem Hanoveranus pacto cum Sueco ſingulari tractatu ſubſidium contra quoſcunque ducatûs Bremenſis invaſores, inſtigante maximè Rege Galliæ, promiſerat; ſed quia Suecus eodem Ludovico urgente primus Imperio & Electori Brandeburgico tam frivolè ſine ulla cauſa bellum indixerat, manus retraxit, ſecutus neutralitatem. Præclaræ hæ victoriæ Electorem Brandenburgicum induxerunt, ut Stetinum

Brandenburgus multas eorū urbes capit.

Luneburgenſes Bremenſem Ducatum.

tinum urbem hanſeaticam, & Pomeraniæ metropolim, robore, commeatu & apparatu bellico affatim proviſam pyrobolis vexare intenderit, ſuoque rei tormentariæ tribuno Weiler, qui fidelem admirabilemque hoc bello præſtiterat operam, mandarit, ut à longinquo pyrobolos urbi injiceret, abſque ſingulari tamen damno, niſi quòd præfecti urbis ſorori pes ſit revulſus; hæc quia nuda ſolùm debebat eſſe urbis vexatio, ſeriâ ſequenti anno obſidione premendæ, hinc à longe illam mandat cingendam & includendam.

Comes Straſoldus hujus anni initio Debrecinum in Hungaria Rebellium receptaculum Cæſaris juſſu occupat; ſed quia Turcis erat tributarium, graviſſima violatâ jam evidenter pace minarum fulmina evomebant ubique Baſſæ, ut extracto milite, redditoque Straſoldus oppido exercitum ultra Tibiſcum reducere, factumque Cæſar miſſo ad Baſſam Budenſem internuntio per ignorantiam & errorem excuſare cogeretur. Turcis autem majorem exigentibus ſatisfactionem, temerariores conjurati Rebelles, caſtra Comitis Colalti haud procul Zathmario opprimunt, tres ejusdem trucidant vexillationes: in Junio prope Calo de legione Schmidiana trecentos: in Julio Croatarum legionem Comitis Palffii opprimunt, & varia circa Zathmarium incendunt oppida; duo alia in ſuperiori Hungaria cæſis incolis expilant, quorum reditum & ſpolia intercluſurus Straſoldus haud procul Onoth apud paludem adeo ab eis preſsè circumvenitur, ut fuſis Germanorum pluribus ipſe tribus ſaucius vulneribus fugâ vix fuerit elapſus.

Debrecinum Straſoldus occupat.

Rebelles Cæſareos cædunt.

Aliæ conjuratorum turmæ profligatis Schonigo, Schmidio & Bargotzio oppida & arces Balack, Neutram, Edenburgum, Zaltach & Dowarum invadunt, rapinis exhauriunt, inflammant; fœdéque pro libitu dominantur ubique. Muranæ arcis præſidiarii in ſuperiori Hungaria pro certa pecuniæ ſumma arcem perfidè Turcarum tradere poteſtati moliebantur; re tempeſtivè prodita Heiduci turcicis induti veſtimentis nocte ad arcem deducti, & admiſſi quaprimum præſidiarios armis exuunt, captivos abducunt, & duos proditionis auctores palo transfigunt. Duo ſimiliter rebelles nobiles Nachi Michol & Keres Ferentz ſub larvato germanico habitu Zathmarii Cæſareum granarium incenſuri, ex loquela cogniti, & molimen confeſſi, meritis unci pœnis plectuntur. *Vid. num.* 147.

Pax Polono-Turcica Ad medium Octobris pax tandem poſt longos tractatus ſancita eſt inter Rempublicam Polonorum & Portam Ottomannicam, Tartarorum Chamo illi obſtetricante, quamvis pro utriusque gentis genio inter continua hoſtilis odii exercitamenta exiguam ſui ſpem facere videretur. Hac reſtitutum eſt Poloniæ decus, abolito tributi nomine, quod tempore Michaëlis Regis pactum fuerat, redditaque Reipublicæ Podoliæ provincia, unico excepto Camenecio cum eo diſtrictu, quem Rex deſignaret. Ucrayna item Reipublicæ aſſerta, minori ejus parte Doroſenskio permiſſa, qui eam ſub Sultani fide retineret; & priſtinæ libertati reſtituta quindecim millia Polonorum, quos bello durante captivos Turcæ abduxerant. Sic regnum vindice dexterâ

Jo-

Joannes Sobieskius Rex reſtauravit, tanto nominis ſui terrore & gloriâ, ut eum barbari ipſi tunc polonicas acies præcedentem humili coluerint obſequio, ad eumq; videndum dum certatim affluerent, deinceps coram eo mutire non auſi. **Sobieskii laus.**

Geldria & aliquot fœderatorum Statuum provinciis Auriacum pro abſoluto Principe & Domino acceptare paratis, immo ejus dominium ſeditioſâ impatientiâ flagitantibus, Ordines de concludendo bello, quod Principi fautores & amicos parabat, cogitant, impellunt fœderatos ad renovandos pacis tractatus, qui olim Coloniæ Agrippinæ cœpti fuerant. Neomagum ad Wahalim pro conventûs loco electum eſt; ſed integer annus excurrit, priusquam feriæ tractationes inſtituerentur, variis obortis difficultatibus circa numerum, titulosque eorum, qui ad vota ferenda admitterentur. **Auriacus expetitur in dominum.** **Pax Neomagi indicitur.**

Annus 1677.

144. Graviſſimum hoc anno 1677. confœderatorum expeditio toti Galliæ minabatur excidium, tribus ſeparatim exercitibus invadendæ; invicem enim erat conventum, ut Hiſpano-Batavi verſus Cameracum & Valencenam, Cæſareus exercitus per Lotharingiam, & Imperialis per Comitatum liberum ſeu Burgundiam & Alſatiam, Galliæ viſcera penetrarent; ſed ut ait *Saluſtius*: Priusquam incipias conſulto, at ubi conſulueris, maturè facto opus eſt: **Quæ confoederatorum hoc anno expeditio.**

Tolle moras, ſemper nocuit differre paratis,

ait *Lucanus lib. 2. bell. civil.* Sed Rex Galliæ conſuetis per ſuos proditores dolis jam tum occulta

culta confœderatorum penetraverat conſilia, totamque eorum expeditionem; & quia in bello gerendo celeritas fortunam maximè demereret, eâ hoſtes præveniendo eſt uſus; vix quidquam hyems de ſumma remiſerat acerbitate, cum 28. Februarii Valencenam urbem Hanno-niæ maximam, & robore fortiſſimam à Duce Luxemburgico adoriri & infeſtari jubet, vallaque caſtrenſia 4. Martii aperire; cives autem numero 15000. & præſidiarii 5000. un-& magnanimi conſenſu in ultimam urbis conjuraⱶrant defenſionem. Galli interim obſidionales acceſſus promovere, 12. die tormentis muralibus urbem arietare, & urbana in propugnaculis tormenta deſtruere non deſiſtebant: à quo die regis frater Philippus caſtra accedens, regis juſſu exteriorem foſſæ murum oppugnans, 17. obtinet, & militares cornuti operis ſepes deſtruit: in quo inſultu per diem contra militares regulas peracto præſidiarii inde in ſemilunam fugientes, atque hic reſiſtendo impares, tumultuariò in urbem ſe proripiunt; ſed Galli ponte verſatili occupato ſimul urbem penetrant, & ſubito citra omnium opinionem capiunt, trium hebdomadarum periodo tantam, tamque robuſtam urbem, in cujus muros tantâ majorum tormentorum vi actum fuerat, ut mille trecenti globi ferrei ingentis ponderis unâ die fuerint in eos exploſi, reque improviſo terrore & confuſione actâ, vix præſidiarii vitam ſibi deprecari potuerint incolumem, utque urbi & civium direptioni Rex parceret, & inſanientis militis furorem hoc verbo: *Rex venit* ſiſteret, præfectus

Valencenæ obſeſſio.

Capitur.

autem

autem marchio de Richeburg cum trium millium, præſidio captivus eſt abductus, cives tamen ſuis ſumptibus arcem urbi imponere ſunt coacti; quando verò iidem Galli anno 1654. eandem Valencenam obſidione graviſſimâ tentarunt, ingenti ſtrage repulſi, Gallorum ſepulchrum eſt indigitatum.

Ludovicus Rex hujus loci victor duas ſimul urbium aggreditur obſidiones (non quòd Hiſpano-Batavi illo eſſent infirmiores, & victoriarum curſum non impedirent; ſed quòd tempore & viribus uti bene neſciant; tempora tempore temperanda) nam cum partem exercitûs ſub fratre Philippo Aurelianenſium Duce in fanum ſancti Audomari immiſiſſet, ipſe cum reliquis copiis ad Cameracum obſidendum feſtinat, urbem magnæ in toto Belgio conſiderationis, & archiepiſcopalem, quam interfluens Scaldis dividit, & arx ex altiori loco totam defendit, quamque foveæ è rupe excavatæ, murique quinque propugnaculis, totidemque ſemilunis probè communiunt, ipſa quoque urbs vaſti quamvis ambitûs, bonis tamen aggeribus & munitionibus, altiſque foveis eſt fortificata. Hanc, inquam, urbem Rex 21. Martii circumvallationis lineâ cingens, exercitum ſuum quadripartitus, ſuam ultra Scaldim figit ſtationem, ad dextris Luxemburgum, à ſiniſtris mareſcallum de Lorges, & in hac Scaldis parte Schombergum; quamprimum urbs muralibus flagellabatur tormentis, Cathedrale capitulum B. Mariæ V. miſſis duobus ad Regem Canonicis enixè rogabat hujus templi conſervationem,

Cameracum cingitur

quam

quam annuens Rex, jubet foſſas caſtrenſes aperire, quibus quingentis paſſibus promotis, vix centum quinquaginta paſſibus ab urbis foveis, non tamen ſine exigua utrimque cæde, diſtabant. Trigeſimâ hujus Schombergus è viginti tormentorum ſuggeſtu adeo in urbanos fulminabat, ut gallicos in caſtris operarios amplius impedire non poſſent. Dum interea Aurelianenſis Audomaropolim circumvallat, Auriacus collecto pone Dendermondam exercitu videbatur Aurelianenſis caſtra, & Audomaropolis ſolutionem tentaturus; Rex igitur ex ſuis Cameracenſibus caſtris octo armatorum millia ſub Duce Luxemburgo in ſuppetias fratri ſubmittit, ſuas interim caſtrenſes foſſas ad urbis foveas promovens, quadraginta ſolùm aberat paſſibus; adeo ut prima Aprilis noctu præſidiariis vix contranitentibus Schombergus & marchio de Revel extantem foveæ angulum occupaverint, & altera Aprilis nocte circa decimam duas ſemilunas interceperint, à tertia vero non ſine levi cæde rejecti; paulò poſt autem obtentâ munitione coronatâ, applicatiſque cuniculis territi præſidiarii ſpontaneam hac conditione offerunt deditionem, ut intra 24. horarum armiſtitium præſidiarii in arcem ſecedant, quo permiſſo, præcipuaque muliebris ſexûs nobilitate Montes Hannoniæ excedente, Galli 6. Aprilis in unius portæ poſſeſſionem admittuntur.

Urbs deditur.

Tum incepta eſt violenta arcis impreſſio, erectiſque intra urbem & arcem duobus 5. tormentorum muralium ſuggeſtibus, & extra urbem

urbem uno, continuis arcem jaculationibus arietant, nec minus præſidiarii ferventes ſuis ſe ejaculationibus, paucis eruptionibus per decem dies glorioſè defendunt. Cum autem jam cuniculus propugnaculi partem, viginti passuum aperturam feciſſet, & tormenta in ſemiluna non exiguam murorum dejeciſſent ruinam, præſidiarii quamvis numero quatuor mille ſe ſubmittere ſunt coacti. Inter hæc Aurelianenſis continuabat ſuam Audomaropolis obſidionem, quæ urbs Arteſiæ utcunque magnitudinis fluvio Aa, & amplis ex una parte adjacet paludibus, ex altera non exigui roboris arce, latis & profundis foveis defenditur: hanc ad munitionem bubulam minus robuſtam jubet Aurelianenſis oppugnare, feliciterque capit, & 21. Martii noctu quadringentis præſidiariis excurrentibus utrimque ſtrenuè & pertinaciter confligitur, mox paratis ad prædictam munitionem viis foſſilibus decem impugnatur tormentis. Et ecce adeſt cum exercitu Auriacus caſtra Aurelianenſis invaſurus, cui hic commiſſo Generali de la Trouſſe, & campi mareſchallo Stuppe caſtrorum imperio, illi cum gallico exercitu obviam verſus Mont-Caſſel procedit: ubi decimâ Aprilis convenientes, duo ſolumodò rivuli, & aliquot ſepes & horti intermedii ambos ſeparabant, cùmque Hiſpano-Batavi tranſito rivulo prope molam aliquot legiones diſpoſuiſſent, Aurelianenſis eos per tormentorum præfectum Freizyliere inde caſtrenſibus tormentis juſſit propellere; Auriacus autem dum dexteram ſuam

Et Arx.

Audomaropolis obſidio.

Pugna Mont-Caſſenſis.

ſuam alam magis confirmaturus aliquot ex ſiniſtra turmas ſeu legiones transferret, Aurelianenſis cernens Batavos viribus ſe inferiores (ſi pares aut ſuperiores fuiſſent, prælium certò declinaſſet) milite in aciem per duas lineas diſpoſito, horâ ſecundâ pomeridianâ alterum tranſit rivulum, & per Mareſchallum Humieres quinque batavicas equitum, & duas peditum turmas adoritur, exercitum deinde in amplum deducens campum, reperit jam modò à Batavis occupatum, ibi acriter utrimque concurrentes, diu ambigue confligitur, donec Batavi cedere coacti; hi econtra mediam gallicam lineam ferociter irruentes diſſipant, adeo evertunt, & ſupprimunt, ut Aurelianenſis ipſe cum altera linea ſuccurrens fugientes repulerit, in ordinem reduxerit, adeoque Principem hunc fratre rege animoſiorem fuiſſe plures aſſeverent: tenuit conflictus diu ſatis utrimque dubius, & niſi cameracenſis octò millium ſuccurſus opportuno adveniſſet tempore, devictos omnino Gallos fuiſſe indubitatum; fateri tamen debent Galli totam victoriam generoſæ Helvetorum fortitudini eſſe adſcribendam, & Batavorum infortunium maturiori fugæ alæ ſuæ ſiniſtræ, dum inſtar leonum Angli decertaſſent. Cæſa ſunt Batavorum tria millia quingenti milites, tredecim tormenta bellica, quadraginta quatuor ſigna & vexilla, omniaque bellica impedimenta capta.

Victores Galli.

Obtentâ hac victoriâ Galli ad caſtra reverſi oppugnationem cōtinuant, & præſidiarii licet ſuccurſu multum deſiderato privati, viriliter ſe tamen aliquot adhuc diebus defendentes, deditionem

nem tandem obtulerunt. Poſt quæ bello partis tribus celeberrimis civitatibus Rex ad aulæ ſuæ delicias remigrat, felicem expeditionis ſuæ finem adeptus, jamque utraque aliquamdiu pars quieſcebat, Hiſpano-Batavi ſtragem ſuam novo auctoramento reſtaurando, Galli expeditionibus fatigati vires reficiendo; aliquas tamen copias ad Crequium confirmandum in ſuperiorem remittunt Germaniam, unde ille, ut audiemus, Cæſareanis prævaluit.

Auriacus interea Luneburgicis, aliisque ad Sexaginta millia auctus copiis, Carolo-Regium ad ſublevandos Cæſareanos obſidione, non ſine ſpe obtentionis cingit, quem etiam Dux Lotharingiæ ſuo cum exercitu accedere meditabatur; ſed quia plura ad hoc deſiderabantur requiſita, plurimusque tam bellici apparatûs quàm commeatûs eſſet defectus (in quibus Galli multò ſunt providentiores) ſimulque Dux Luxemburgicus urbi ſuppetias ferre præpararet, Auriacus obſidionem poſt decimum octavum diem ſolvere debuit, qui hoc anno ſingulare nihil effecit, Gallis ubique invigilantibus, & circa Gandavum regionemque Waas tributa crudeliter extorquentibus, ferro flammaque omnia barbarè devaſtantibus & depopulantibus: neque incidens menſe decembri frigoris acerbitas à victoriarum curſu illos potuit abſtrahere, quin mareſchallus Humieres fanum Gislenii in Hannonia, loci præfecto, & Villâ Hermoſâ tunc Belgii Gubernatore nil tale ſuſpicantibus circumvallaverit; apertis namque 5. Decembris obſidionalibus acceſſibus, incredibili adeo labore oppidum impugnat, ut decima hujus omnia

Carolo reg.um Auriacus fruſtra cingit.

Fanum Gislenii Humieres capit.

extrema occupaverit munimenta, audiens imprimis Batavos inde vix tribus abeſſe milliaribus, aggreſſionem caſtrorum forſan entaturos; cumque jam generalem & decretoriam adornaret impreſſionem, præfectus huic impar offert deditionem, & Humieres militi hybernia.

Confœderatorum expeditio. 145. Quemadmodum Galli conceptam confœderatorum hujus anni in Belgio ad nihilum redegerunt expeditionem; ita quoque eandem in ſuperiori fruſtrarunt Germania. Nam Carolus Dux Lotharingiæ ſeptuaginta armorum millibus præfectus, quos Cæſar tum ex ſuis, tum ex auxiliaribus Imperii copiis collegerat, nedum Lotharingiam recuperare, immo per eam in Galliam penetrare diſponit, eâ rerum hoc anno benè gerendarum fiduciâ, ut in aliquibus ſuis vexillis ſymbolum appingi curaverit, quo opem ſui exitûs certam pollicebatur. Hujus periculi auditu exterritus Ludovicus jubet Crequium inacceſſibilem inferioris Alſatiæ Leiningenſem arcem Daxburg ſubitò occupare, qui tumultuariè velut fulgur ſex armatorum millibus eandem in libero latè campo altæ rupi inſidentem circumcingit, triginta ſolùm præſidiariis ob ſecuram loci ſituationem munitam; per illatum tamen in rupem cuniculum, & injectos ſuperiùs aureos globos intra paucos decem dies arcis præfectum ad deditionem coëgit. Cumque Carolo Lotharingo Galliam invaſuro iter per Alſatiam erat inſtituendum, Ludovicus imperat contractis ex vicinia omnibus præſidiis in Alſatia inferiori, Weſterwald, & dorſo canino omnia vaſtari, omnis generis commeatus abduci, cunctas, præ-

Daxburg Crequius occupat.

Gallorũ crudelitas.

tet

ter paucas, urbes dirui, latoque incendio turicolarum pagos & villas ſuæ etiam juriſdictionis & protectionis abſumi, ut ſic Germanis tolleretur ubique omnis ſubſiſtentia:quod fatum experta eſt Hagenovia, Buſchweiler, Bipontum, Alba Sebuſiana, Zabern, Lützenſtein, Ottweiler, Veldens, Caſſel, Mompelgardum, & quadringenta oppida & vici; Biponti plus quam barbarè apertis principum ſepulchris eorundem corpora ejecerunt & ſpoliarunt. His tamen non remoratus Dux Carolus trajecto prope Oppenheimium cum triginta millium exercitu rheno ad tractum Saræ, ejusdem cognominis Saræpontem exigui roboris urbem aggreſſurus,ejusdem præſidiarii Galli trecenti ſe temerè auſi ſunt opponere, & arcis præfectus urbem igni ſubjicere; Germani hac temeritate offenſi omnes ad unum trucidarunt. His igitur ſe Crecquius cum viginti duobus Gallorum millibus opponens, cunctando rem reparare ſatagebat, & exercitum ſuum in eum diſponebat locum, ut in omnes circumcirca urbes, aggreſſionis periculo obnoxias, præſidium tumultuariè poſſet injicere: &quo ſtudioſius Dux Carolus eum ad pugnam alliciebat & provocabat, eò cautius ille eam declinabat, eo loco proximus, ubi ante biennium inſigniter cæſus fuerat. Hinc & inde tamen uterque exercitus transmigrando Galli ex altiori loco tormentis bellicis in Germanos ejaculando, ſexcentos eorum occiderunt; econtra Caprara primum Gallorum agmen in itinere ad devia aggreſſus, totam de la Rhene legionem internecivè cædit. Porro Crecquius pluribus è

Lotharingus capit Saræ pontem.

Belgio copiis adeò auctus, ut Duci Lotharingo ſi non ſuperior, par ſaltem videretur, ut quo ſe Dux verteret, neſciret, transmiſſis tamen cum exercitu ſuo Moſæ & Moſellæ fluminibus, ad fines Campaniæ pervenerat, & occupato Muſſiponto ulterius progreſſurus, obicem opponit Crecquius; qui ut removeretur, Auriacus Carologium obſidet, Crequii copias diſtracturus: etiam Carolus ad facilitandam Carolo-regii obſeſſionem viginti Germanorum millia Auriaco ſubmiſerat, ſed conjunctionem impediebat Luxemburgus, cumque jam Rocrojum perveniſſent, Carolo-regii obſeſſionem jam modò ſolutam audiunt: cum denique fatali aulæ Cæſareæ incuriâ commeatus deficeret, Carolus in Alſatiam eſt reverſus, ſuppetias Duci Saxoni Eiſenaco abs Crequio conſtricto laturus. Hic Princeps imperialis exercitûs decem millium (alii 30000) archiſtrategus omni poſſibili modo & ſtudio Liberum Comitatum ſeu Burgundiam penetrare conatus fuit, tranſiensque in Junio pontem Argentinenſem ad Monaſterium S. Leonardi per emiſſam turmam famoſum illum incendiarium la Broſſe trajecit, inde Burgundiæ aditum Beforr aggreſſurus, Alſatiæ gubernator Monclas collectis tumultuariè copiis illi obicem oppoſuit; quo fruſtratus quaſi Briſacum vellet includere, munitionem apud oppidum Hünningen à Gallis occupatam, intercipit; quamprimum autem Monclas majoribus eſſet copiis confirmatus, Ducem Eiſenacum inſequitur, pabulatores ejus prope Altkirchen opprimens, quingentos eorum captivos abducit, imo ducis caſtra & pon-

Et Muſſipontũ.

Dux Saxo-Eiſenac Burgundiã tentat.

tem

tem navalem deſtruendo tormentis impetit, ideoque Eiſenacus ſuppetias à Lotharingo poſtulans cùm audiret eum à Crequio continuò obſervari & perſequi, eaque de cauſa militem ei ſubmittere non poſſe, 28. Junii noctu rhenum tranſit, quæ res inſperata Lotharingum ex Alſatia retraxit Argentoratum; tunc Crequius miſſo ad Monclas militum augmento, jubet irruere Eiſenacum, & peſſundare, qui miſsâ exercitûs ſui parte Friburgum & Offenburgum, cum reliquis Argentoratum confugit, quem Monclas tranſito rheno prope Wilſtadium noctu aggreſſus, uſque ad protectionem tormentorum Kehler-Schantz eſt perſecutus. Tum Monclas capit Wilſtadium, & evacuato ibidem Cæſareo granario, urbem incendit; Eiſenacus autem ſuperato ponte argentoratenſi Lotharingo ſe conjungit, qui Schletſtadium adhuc aggredi meditatus opponente ſe ad Kochersberg Argentoratum inter & Zabern Crequio impediebatur; ubi 10. Octob. collidunt ſe invicem, & Germani gallicos procubitores in ſua uſque caſtra propellunt; hi ſuccedentibus ſibi aliis abarcebant viciſſim Germanos, quos legionatim accedens totus gallicus invadit exercitus, eoſque magnâ vi, non ſine exigua cæde ad ſua rejiciunt ſepimenta, & ab hinc ambo ſe exercitus invicem aliquamdiu obſervantes, Germani tandem ad hyberna diſceſſerunt: his vix in hyberna diſtributis, Crequius Briſgovienſem invadit tractum, & 30. Octobris Friburgum primariam ejus urbem improvisâ obſidione, feſtinatiſque aggreſſionibus poſt paucos dies in deditionem recipit:

Anguſtiatur à Gallis.

Wilſtadium capit Monclas

Conflictus ad Kochersberg.

Crequius Friburgum obtinet.

nam ficto itinere quaſi Saarbruck impetiturus, reflexo mox itinere, ſuperatoque rheno Briſacum tendens inde rem tormentariam Friburgum conducit, quæ urbs duobus muris cincta, arx vero quatuor propugnaculis, aliisque munimentis inſigniter roborata, 10. Novembris obſidione eſt cincta, & mox Schombergus altiorem aggerem (redoute) trecentis armatis ſtricto gladio expugnat, promotisque ad urbis foveas acceſſibus obſidionalibus, triginta tormentis muralibus arietat, urbanorumque tormenta adeo invalidat, ut 12. Novemb, latam murorum octodecim decempedarum ruinam effecerint, Crequiusque urbis deditionem poſtulaverit; qua denegatâ, quòd foveæ altæ & latæ prius eſſent adimplendæ, continuata ferventius eſt obſeſſio; & quia murorum ruinæ non reparabantur, Crequius in iis fixit ſtationem, præſidiariosque ad ſecundi muri portam delecta Gallorum manus depellit, domos ibidem occupat, & foveam arenâ, virgultis aliisque materiis adimplet, ut tandem 15. Novemb. gubernator ſpontaneam urbis, non verò arcis obtulerit deditionem, quam Crequius ſine arce noluit acceptare; utrâque traditâ Galli quinquaginta millia ſiliginis maldra, & duo millia vini amas ſunt conſecuti, urbis autem præfectus Schützius quòd maturius ſine extrema neceſſitate, & ſine militaris conſilii, tribunorumque conſenſu, in tanto adhuc 2500. præſidiariorum numero ſe ſubmiſerit, in judicium vocatus eſt; ſed à Cæſareæ aulæ cancellario Ockero ob effœtam viribus ſenectutem, & petitam jam diu ante & non ob-

obtentam dimiſſionem excuſatus & liberatus eſt. Galli poſtremò adhuc Saræpontem occuparunt, in expeditionibus ſuis ſemper primi & ultimi. Atque ita Germanorum hujus anni expeditio tam meditatè concepta (prima Duci Lutharingio commiſſa) magno Cæſaris & Imperii Rom. diſpendio in nihilum eſt redacta. Et Saarbruck.

146. Tranſeamus pauliſper in Americam, quo ſe etiam extendit inſatiabilis Ludovici Regis ambitio & arrogantia, ibidem Vice-Admiralis Comes de Eſtrees die 15. Februarii ad inſulam Tabago appulſus, Batavos inde expulſurus, viginti exploratores in eam exponit, qui capto uno Negro referebant, extructum inſulæ portum ad plenum necdum perveniſſe defenſionis ſtatum; adventum vero Gallorum audientes Batavi, illis invigilarent; Galli itaque aliquot militum exponunt agmina, qui repulſi vix naves ſuas aſſequi poterant; totâ igitur claſſe Batavos involant, & fit utrimque conflictus acerrimus, ut gallica navis concepto igne alias utriusque partis naves incenderit, & quidem duas Batavorum, uxores & liberos continentes, hi prætoriam Vice-admiralis navem adorti impugnant quidem, ſed ſua viciſſim à Gallis incenſa eſt, conſervatâ prætoria, Eſtreo in capite tamen & pede vulnerato, occiſoque Gabaret. Ambo ſibi adſcribebant victoriam, ambos autem multas perdidiſſe naves, certum eſt, aſſeruntque Batavi hoc anno inde depuliſſe Gallos, ſequenti ab his fuiſſe inſulam occupatam. Galli in America Tabago inſulam tentant. Naumachia Gallo-Batavica.

Tota interim hyeme laboratum eſt in Hiſpania interno ejus aulæ diſſidio, quod tandem poſt Exauctoratio Marck.

 varias

Villaſerienſis varias mutationes novam rerum ſpeciem parturivit. Exauctoratus eſt, carcerique addictus 27. Januarii Ferdinandus Valenzuola Marchio Villaſerienſis, qui à P. Nitardi diſceſſu regni totius arbiter, eâ, quam ſub Reginæ Mariæ Annæ Auſtriacæ auſpiciis captaverat, auctoritate abuti dicebatur, unde multorum, qui publica & privata negligi, exceptâ unius hominis ambitione querebantur, diſcurſus & querelæ ſunt exortæ. Vocatus igitur eſt ad præcipuas univerſalis regiminis curas Joannes Auſtriacus, Regis Caroli II. frater, qui primo Belgii, & non ita pridem regni Siculi procurationem recuſarat, rogataque Regina libero ſe diſceſſu ſubduxit; ſed & juſſi ſunt taceſſere alii rerum ſub ea adminiſtri, qui regni damnorum auctores vel complices audiebant; Vis ingens auri, argenti, gemmarum, & pretioſæ ſupellectilis ex unius Valenzuolæ mulcta regio eſt addicta fiſco, veteri & ſemper novo exemplo, quo homines liberalis fortunæ illiciis capti, ſibi improvido felicitatis abuſu ruinas moliuntur.

Joannes Auſt. præficitur auſæ hiſp.

Rex Carolus Arragoniam viſitat. Nova inter præteritos tumultus regiæ auctoritatis adminiſtratione ſuſcepta Rex Hiſpaniæ Carolus anteceſſorum mori & conſuetudini obſecutus in Arragoniam ſe contulit, ubi & benigno omnium ordinum complexu, & immenſo propè gratiarum effluvio ita populos ſuos demeruit, ut fauſta omnia illi ex mutato rerum tenore & forma auſpicarentur. Suadebat hos novo Regi affectus Joannes Auſtriacus, cui probè notum erat averſos populorum animos auſte-

auſteram execrari regiminis formam, quæ pridem Philippum patrem, & ſub eo rerum adminiſtros, propriis aut voluptatibus aut utilitatibus intentos abs ſubditorum & aſpectibus & neceſſitatibus alienâſſet. Publicæ tamen hæc prima felicitatis experimenta corrupit latè per Hiſpaniam graſſata lues, quæ vix vertente anno eſt ſedata, reperto ejus ſanandæ remedio, quod promptum & facilè fuerat (expreſſus ſcilicet è malis limoniis ſuccus) quodque hactenus fuerat ignotum.

Peſtis in Hiſpania.

In Catalaunia anno ſuperiori ambo utriuſque nationis exercitus pacatè quieverat; dirigente autem Regni Hiſpaniæ habenas Joanne Auſtriaco, accerſitus è Belgio novus Cataloniæ Prorex Comes Montereius grandi ardore, non pari felicitate cum totius fere nobilitatis delectu in Navaleam gallici exercitûs ducem movit; quod hic audiens motis ſubitò caſtris, interceptoque prope arcem Villarnadal oppido [ut commodius Col de Bagnueles poſſet tranſire, non ſine tamen ingenti Hiſpanorum tormentorum igne, & Gallorum ſuorum ſtrage] primâ menſis Julii ſe ſiſtit, & opponit. Illum tempeſtivè ultra Pyreneos delatum, ut ab regionis ruina deterreret Montereius pugnam coactus eſt conſerere. Stabat jam in tertiam diem utraque ex adverſo acies parvo rivo interfluente, & 3. Julii Hiſpani Gallos adorti, à tergo illos prope ſilvam circumcingunt. Navailles undique incluſus & commeatu deſtitutus, ſummo ſilentio verſus Col de Bagnueles ſe præripit, quod ſummo mane Hiſpani advertentes ſecundum eorum agmen intra

Montereï cum Navaleo conflictus.

ſanum S. Clementis & Epoville adoriuntur & confundunt. Cumque Galli ſuperato jam fluvio & valle Torline intra Epoville & Col de Bagnueles ulteriùs procederent, Montereius ducentos nobiles honorarios adjunctâ legione equeſtri jubet collem, quem Galli jam reliquerant, occupare, & inde deſcendendo dexteram Gallorum alam invadere, ubi in vigoroſiſſimo ſex horarum conflictu multi ex utraque parte ſunt cæſi, ambo victoriam ſibi attribuentes, Galli gloriantes quinque Hiſpanorum legiones omnino contritas, & ter mille quingentos cæſos; Hiſpani econtra triumphantes, quod Gallos in fugam & ad urbes & munitiones compulerint; certum illud, quod utraque pars cruentam ſatis paſſa ſit ſtragem. Multum diversè alius auctor refert: In eodem Hiſpani incautâ & præcipiti invaſione incurrentes grandium majorum à detonante tormentorum procella metuntur: unde cum utrimque acriter pugnatur, Hiſpani ne integrum excidium tolerarent, deſideratis ſuorum tribus millibus, & Gallorum longè minori numero pedem retrahunt, regione victoribus permiſsâ, qui illam ad hyberna uſque militari licentiâ vaſtaverunt.

Oranũ fruſtra tentatũ. Oranum in ora Africæ denuo Barbari obſident, novoque tentant molimine arcem ſibi importunam revellere. Eo immiſſa ſunt à Rege Catholico ſubſidia, quibus claſſem ſuam è vicina Luſitania ſociari juſſit Petrus regni adminiſter, quo communi annisu hoſtis depelleretur. Sed ſolo virium, & auxiliorum apparatu res perActa eſt egregiâ Eneconis Toletani arcis præfe-

ctæ

cti virtute, qui barbaros improviſa egreſſione erumpens disjecit, antequam auxilia advenirent, quæ nihilo ſecius liberali Caroli Regis munificentiâ in claſſis Luſitaniæ præfectos ſunt donata.

147. Sub hæc grandi Turcarum Vezirio Kiuperlo fatis conceſſo, belli Ungarici oſore, promotore autem ejus Katâ Muſtaphâ in locum ſuccedente, non ſine cauſa Cæſar & Rebellium fautorem, & coadjutorem futurum nihil dubitans, tolerabiliores his proponit pacis & concordiæ conditiones per Generalem vicepræfectum Bargotzium, in Comitum nuper album pro merito relatum, generalem imprimis amneſtiam; in ſingulis quoque comitatibus Calviniſtæ unam, & unam Lutherani pro libero religionis ſuæ exercitio recuperarent Eccleſiam; omneſque proinde ac Romano-Catholici tam ad civilia quàm militaria promoveantur officia. Quæ Cæſaris clementia quò fuit in reos benignior, eò fuit illorum in Regem ſuum tumultuandi libido inſanior. Mille quingenti quidem deſertis Rebellium caſtris Cæſarea ſecuti, ultra decem millia verò promiſſis diffidentes, furore magis efferebantur, Weſſelino præſertim cuilibet officiali 26. ducatos, & præfecturam competentem, privato autem militi Cæſarem deſerenti decem ducatos, promittente. Et quamvis indictâ Eperieſi conventione per utriuſque partis commiſſarios plurimis per menſem martium tricis & altercationibus concordiæ negotium agitaretur, in vanum tamen omnia reciderunt; niſi quod Comes Balaſſius Imbre Cæſaris amplexus gratiam, militari fuerit, ad pro-

Cæſar Rebellibus pacis conditiones proponit.

mo-

movendam aliorum ſequelam , remuneratus præfecturâ; ſed rejectis omnibus concordiæ tractatibus, Turcarum freti favoribus ſana omnia repudiabant, illudebantque conſilia: hi enim in turbidis piſcari aquis aſſueti, funeſtis ſæpè excurſionibus hæreditarias Cæſaris provincias expilabant; & initio quidem anni ſex Turcarum millia congelatum propè Fürſtenbergum Arabonem tranſeuntes, ingentem Moraviæ intulerunt terrorem & damnum. Quibus meritò Cæſar, ſtantibus adhuc induciis, offenſus, juſtas per Meninskium ſuum apud Ottomannicam Portam interpretem depoſuit querelas; ſed hic dignatus vix reſponſo, illud ſolùm à Vezirio retulit, à Chiauſio proximè Soldani mentem Viennæ Cæſari Rom. aperiendam; quâ ſibi ſuſpectâ Cæſar Schafgotſchio ſuo ad aulam Polonicam legato propediem ſignificat, ut pacem Polono-Turcicam ſub incude ferventem indefeſsè laboret interrumpere; ſed paulò pòſt eam concluſam confirmatamque Rebelles Ungari intelligentes, miſſo properè Byzantium legato ſuppetias petentibus reſponſum eſt, quod Soldanus Moſcowitico adhuc bello implicitus, alterum nollet ad arma provocare hoſtem viribus potentem; remiſit tamen illum ad Baſſas Budenſem, Belgradenſem, aliosque pannonicos præfectos cum mandato, ut quantas poſſent Rebellibus ſubmitterent ſuppetias, & adeſſent conſilio, & protectione defenderent: qui incunctanter illis chiliarcham præfecerunt, addideruntque duodecim Tartarorum millia: ipſi præterea Turcæ quadringentis Vyvarienſibus ad oppidum

Turcæ illis favent.

Ab illis auxilia impetrant.

dum Neutram, & mille aliis in Croatiam excúrrentes barbarè cuncta circa Zackholmiam devaſtarunt, Cæſaream circa Carlſtadium cohortem oppreſſerunt, ingentemque tum pecorum, tum hominum deprædati ſunt numerum; neutiquam tamen ejusmodi populationibus læſas eſſe volebant inducias. Quid quòd etiam Chriſtianiſſimus Rex Galliæ Ludovicus XIV. Romanum impugnans Imperium, ut Cæſaris vires diſtraheret, non ſine inſigni temeritatis nota conjuratos ære ſollicitabat, fovebat conſilio, & gallicum illis præficiebat Generalem Chiliarcham Boham, gallica illis ſtipendia numerantem, quibus aucti munitique viribus ductore & archiſtratego Weſſelino Comite inſolentiores immani ſæpè crudelitate patriotas ſuos, & fideles Cæſari Comitatus adeò fœdè diripiebant, ut cùm Chiliarchi Straſoldus, Coppius & Schmidius horrendis captivorum tormentis eos abſterrere niterentur, illi inſaniori in vindictam furore accenſi ſæviores Cæſareanis talionis pœnas tum maximè inferebant, quando victoriis [raro victores, victi plurimùm] inſoleſcebant; tum vel maximè, quando ſubmiſſum Coppio largum æs militare, commeatum, bellicumque apparatum Weſſelinus intercepit, maximo Cæſareanorum detrimento, quorum mille quingenti hoc ære ſollicitati & attracti caſtra Weſſelini ſunt ſecuti, & in miſeram redactus eſt indigentiam Coppius, cujus barbaram Rebellium palis transfixionem, nimiamque tyrannidem Cæſar inhibens, Chriſtianis maximè indignam, militari captivos jure & modo mulctandos imperat: nihil

Eorum anteſignanus Weſſelinus.

Qui æs & commeatũ intercipit.

Galli illis militem ſubmittit.

nihil interim ſævitiæ remittunt rebelles; ſed ſubmiſſionis impatientiores quo viribus indies fiebant auctiores: nam gallicus ad aulam Polonicam legatus Marchio Bethunus ſex Polonorum millia gallico ære conſcripta dum illis tranſmitteret, novas in Ungariam, & funeſtas Ragotzii, adhærentis tunc Cæſaris partibus, ditiones expediunt excurſiones, quæ ne in maximam ſerperent ulteriùs regni ruinam, generalem rurſus Cæſar illis delicti non ſolùm veniam & gratiam [quam plures etiam ſunt amplexi] ſed tria Evangelicis templa in ſuperiori Ungaria offert reſtituenda. Verùm impetuoſus ille diſcordiæ factionisque ignis pœnarum hactenus metu occluſus, in latiſſimam demum vi erumpens flammam, nullumque admittens extinctionis remedium, novam Regis ex Marchionis Frangepani familia primùm moliebantur electionem, quam tamen alius diſſenſionis turbo eò diſſipavit facilius, quò difficilius convenire poterant, cujusnam ſe Principis defenſioni, protectioni ve ſubmitterent, gens libertatis tenaciſſima, & ſuâ inconſtantiâ ſibimet nocentiſſima, quærens in libertate turpiorem ſervitutem; expedit autem reipublicæ, ne quis de re ſua malè utatur. *Inſtit. De his, qui ſunt ſui, vel alieni jur.* circa finem.

Alium petunt Regem.

Motus Tranſilvaniæ inter Abaffium & Pedipolum.

Dum hiſce ſeditionum bellorumque motibus funeſtè agitatur Ungaria, huic contermina Tranſylvania quoque factioſis inteſtinè commovetur tumultibus: Pedipolus enim ut Abaffium quâ vi, quâ arte principatu dejiceret, liberalibus Soldano & Vezirio promiſſis ſibi conciliatis, plures etiam è populo & nobilitate ſectatores

tores habuit & adhærentes: nec ſuis caruit Abaffius, auctus imprimis rebellium Ungarorum copiis polonicis, quas opportunè ipſi ſub Bohamo ductore transmiſerant, quorum etiam viribus ad internecionem cæſus fugatusque Pedipolus, cum Thoma Bethlenio cancellario, aliisque tribus præcipuis exercitûs ſui tribunis fugit in Walachiam, inde novis Walachorum Moldavorumque copiis reſtauratus, alterum decretorium principatûs tentans prælium, iterum victus, & armis exutus, jus omne Abaffio magni Soldani Turcici mandato per Waradinenſem illi Baſſam intimato, cedere debuit. Abaffius tanti non immemor beneficii, principatûs ſui jam ſecurus, præter auxiliares ſibi ſubmiſſas, totidem ex Walachis, Moldavis, & Tranſilvanis collectas copias in Ungariam ad Weſſelinum tum Rebellium anteſignanum ad Nagibaniam conſiſtentem remittit, qui juſtum armatorum ſexdecim millium exercitum mox in campum educit, Tockaium occupaturus; quem Coppius Caſſoviâ propediem eo cum exercitu inſecutus eſt, prælio decertaturus, quod ille ex defectu refugii, ſi forte cæderetur, declinans, plurima circa Mongatſchium & Caſſoviam oppida incicineravit. *Vid. num.* 149.

Victor Abaffius

Rebellibus militem ſubmittit.

148. Barbaro tyrannidis abuſu Epidaurenſem remp. oppreſſam hoc anno voluit ſupremus Portæ Ottomannicæ Vezirius eo prætextu, quò graſſante Cretenſi bello, & pactis ſe tributis ſubduxiſſet, & ea Venetis præſtitiſſet auxilia, quæ gravi caſtris obſidentibus damno fuiſſent. Averruncatus tamen eſt barbarus furor eâ arte, quæ

Turcæ Raguſis infeſti.

quæ debiliorum eſt, precibus ſcilicet, officiis, & ære numerato , quibus redempta ſunt belli incommoda, & velut offa placata eſt cerberi latrantis fames.

Eluvio & annonæ caritas,

Laborarunt Veneti hoc anno inſolitis aquarum eluvionibus, annonæque caritate Italia tota, unde ægritudinum multitudo, quæ de imminenti peſte ſuſpicionem injecit; lues tamen ſolos Hiſpanos (inter quos jam vigebat) Danos, Suecos, & Turcas afflixit. Subalpini præcipuè frumentorum inopiâ laborarunt , quo gravior principi fœminæ, filii Ducis ditiones regenti, cura populis opitulandi incubuit; quod tamen præſtitit egregiè , convehi juſſis ex Hollandia & Polonia frumentis, in quæ regium ærarium liberaliſſimè contulit.

Peſtis.

Alterna clade ſe Dani & Sueci conficiunt.

Chriſtianoſtadii in Scania jam ab anno præterito poſt Elſimburgum captum obſidionem Sueci formarant , hybernaque tranſegerant in caſtris, cùm Rex Daniæ Chriſtianus urbi hoc anno ſuccurrere, viriumq; periculum cum hoſte facere inſtituit. Sed vix ejus adventûs fama Suecos perculit, cum abjecta obſidionis curâ ſe proripuêre: quo audito Rex Daniæ viciſſim urbi Malmegienſi obſidionem molitur , primoque vallum & aggerem circa eam jubet extrui. Præmiſit Rex Sueciæ Carolus ad ſuorum auxilium claſſem, quæ naves Danicas obvias habens ab eis conſerto prælio detrita eſt, quin & inſula Rugia occupata. Hinc protractâ obſidione Malmegienſes ad incitas redacti poſt edita conſtantiſſimæ fortitudinis experimenta ſe Regi Chriſtiano dedunt, tardiori ad ſuppetias ferendas Rege

Ca-

Carolo, qui terreſtribus copiis eo ſe præceps ferebat; qui tamen obſeſſis ſuis ſuccurrere nequiverat, alternâ victoriâ potitos victores obſidionis laboribus fractos & imminutos, ad novum prælium vocatos ſtravit, cæſis Danorum bis mille quingentis, & reliquis fugatis, quorum partem Rex Chriſtianus ægrè Landſcronium retraxit.

Sueci non feliciores hoc anno quàm præcedenti fuerunt; nam Stetinum in Pomerania à Brandeburgico Electore cinctum, Königsmarckius quidem in inſula Rugia quinque millibus moliebatur obſidionem ſolvere, ſed à Chriſtiano Rege Daniæ inde depulſus eâ, ut dixi, eſt privatus inſulâ, & Stetini ſolutione, quod poſtquam ea omnia eſt paſſum, quæ in longa integri anni obſidione ferre ſolent obſeſſi, inediam maximè, quâ præſidiarii & cives ad edendos non ſolùm equos, ſed canes, feles, mures, & quidquid turpius mandi poteſt adacti ſunt, ſe tandem 16. Decemb. Electori Brandeburgico dedidit, ſingulari obſtinatæ fidei & fortitudinis exemplo, quo extrema omnia Sueci tolerare perſtiterunt, priuſquam de deditione tractarent, eò quod religionis eſſe bellum affirmarent, Electoremque carnivorum ex religionis Calviniſticæ, & Sueci Lutheranæ diverſitate vocitarent; ideoque ex deſperatæ & inauditæ defenſionis motivo 2500. cives occubuerunt, & tamen omni Electoris gratiâ inſperatè ſunt gaviſi. Pretium expugnatæ urbis Electori fuit Pomeraniæ totius arbitrium, quæ dein integra ejus imperio uſque ad pacem paruit.

Stetinum à Brandeburgico captum.

Ejus fames.

Diſſidii Romæ inter Pontificem, & Regum oratores

Tumultuatum eſt Romæ hoc anno inter Pontificem & oratores Hiſpanicum & Gallicum, quòd peſſundatâ Principis Rom. auctoritate iſti milites conſcribere, & rapere etiam invitos non deſiſterent. Acribus utrimque diſceptationibus actum, acrioribuſque factis, dum vicinæ Siculæ defectionis neceſſitas oratores eò adigebat, ut ſuis quocunque modo conſulerent, Pontifex indemnem Romæ ſuam tueretur auctoritatem. Agitata his motibus quæſtio effecit, ut Pontifex , quo radicem malis omnibus præcideret, abolitam vellet eam diſtrictuum immunitatem, quam oratores circum palatia ſibi adſcribebant, in quibusque jus aſyli prætendebant omnibus in eos refugientibus ſacrum & inviolabile. Solemni proinde vetuit edicto exterorum principum inſignia præ januis figere palatiorum & domuum,quaſi publicæ juſtitiæ miniſtros, à quorumcunque criminum vindicta arcere deberent. Quod ut tunc acerbam querelarum ſegetem , ſic poſtea, dum ſanioris judicii ſenſus maturuêre, fructus optimos peperit, eliminatis Româ, Chriſtiani orbis capite , iis omnibus piaculis, quorum indemnem licentiam ſibi & his aſylis barbara & effrenis procacitas præſumebat.

Jus aſyli ſublatū.

Annus 1678.

Turcarum excurſiones & ſubſidia Cæſar deplorat

149. Anno ſequenti, qui eſt milleſimus ſexcenteſimus ſeptuageſimus octavus Cæſar Secretarium belli & ſtatûs Hoffmannum ad Portam Ottomannicam ablegat, de protectione & ſubſidio Rebellibus à Baſſis ſubmiſſis , deque fre-

frequentioribus Turcarum excurſionibus & vaſtationibus graviter queſtus, juſtam damnorum expoſtulat reſtitutionem: verùm Porta iſta eas aut frivolè excuſat, aut tam abſonas reponit reſponſiones & propoſitiones, quæ pacis violationem haud procul abfuturam indicare videbantur. Ut verò Soldanus ob conſuetam pretioſorum munerum oblationem aliquam Cæſaris poſtulatis præſtaret ſatisfactionem, Baſſam Waradinenſem querelarum auctorem (aut aliam veriſimiliùs ob cauſam) ſtrangulari jubet. Tunc verò proximè videbatur ſecutura pacis ruptura, quando Cæſareani ob illata ſibi à Vyvarienſibus damna novum cum ducentorum equitum comitatu advenientem Baſſam viritim omnes interfecerunt: qua de re plurimùm Præfectus Budenſis apud Wurmium tribunum queſtus, gravesque Soldani iras eſt interminatus, funeſtâ circa Butracum & Sandum excurſione omnia crudeliter expilando, ducentos in captivitatem abduxit Chriſtianos.

Rebelles interim Ungari, Turcarum maximè freti protectione, nihil de furore remittentes, defuncti loco Weſſelini Emericum Comitem Tôckelium factionis ſuæ ducem & anteſignanum eligunt, quem parens ſuus moriturus ardenter ad jura & privilegia regni & patriæ libertates recuperandas & defendendas erat adhortatus. Hic Nadasdi, aliorumque complicium territus ſupplicio, in Tranſylvaniam interim transfugerat, ibidemque vaferrimi dexteritate ingenii in tantam ſe Abaffii Principis inſinuaverat gratiam, ut illo primario aulæ ſuæ miniſtro *Tôckelius fit Dux Rebellium.*

uteretur, eumque ſuppetiis ad Rebelles ſubmiſſis ducem præficeret. Hic Tôckelius luſtrato decem millium exercitu, duodecim bellicis tormentis, & quatuor mortariis ſe urbem poſſe validam intercipere confidens, indicto Torſali Nagibaniam inter & Colzabucam tertio Calendas Maji 1678. bellico conſilio, imperat interceptis Tôckelii nepotis ſui copiis mox adfuturis, ut tranſito Tibiſco urbem, aut hoſtem, ubicunque poſſent, invaderent; ſed dum paulò pòſt Abaffius adhuc dubius, ne nimiam Cæſaris incurreret offenſam, Tôckelio mandat curules machinas & mortaria in ſuum, unde ſumpſerat, locum reponere, conceptum evanuit conſilium & molimen. Cæſar etiam quia potiores ex Tranſylvania vires Tôckelio transmitti ſciebat, ſuadet Pedipolo, ut reſumptis armis Tranſylvaniam invaderet, idque haud fore difficile, ſi ad Portam Ottomannicam deputatis amicam ſibi illam conciliaret & favorabilem. At Soldanus ſeptemturrito carceri deputatos illos mancipat, proteſtante licet Cæſaris ibidem Reſidente, qui Pedipoli cauſam & negotium omni quo poſſet ſtudio promovere debebat: quare Baro Sattlerus ſecretis hujus negotii literis inſtructus, Byzantium ablegatus, malignâ in itinere febri moritur, & omnes ſecretæ Sattleri inſtructiones ad Tôckelii manus perveniunt, unde plurima didicit ſibi poſtmodùm profutura.

Plures invadit urbes. Quare aucto plurimum ex Tartaris, Polonis, Coſaccis & Walachis XX. millium exercitu ingentem ubique circumfert terrorem, & immanem ſævitiam, urbes & oppida mediocriter munita

nita vi, aut deditione capit plurima; abs juſtæ verò fortitudinis ac roboris urbibus & munimentis graviſſimas exactiones, à Cremnitio XXIV. ducatorum millia extorquet: nec multò pòſt ſuperioris Ungariæ Montanas, ut vocant, urbes, auri & argenti fodinis ditiſſimas, Schemnitzium, Cremnitzium, antiq- & neo-Solum &c. cum ingenti argenti aurique mole, & CXXXX. ducatorum millibus in auro ſignato intercipit; cum ſummo Cæſaris detrimento & injuria (nam ſpectabatur eo tempore ex rapto auro & argento cuſa moneta hujus inſcriptionis: *Vivat Ludovicus XIV. Rex Galliæ*, & in altero latere: *Patronus & Protector Hungariæ*) Levenzanque urbem obſidione cingit; è quibus licet per Wurmium & Dunwaldum expulſus, eas tamen poſtmodùm omnes, Montanas, inquam, civitates occupat: nec furori, quo in circumjacentes debacchatus Comitatus & regiones, metam poſuit, donec publicato Cæſar manifeſto generalem omnibus & ſingulis amneſtiam, bonorum confiſcatorum Nadasdi & cæterorum reſtitutionem, Palatini electionem, liberumque religionis exercitium ſanctè promiſit, modò intra trimeſtre ſubmittant ſe, armaque deponant. Pactis itaque induciis ad tentandam pacis concordiam invitatus, ſuos Viennam mittens Commiſſarios nova proponit gravamina ſine mora expedienda; quæ Cæſar etiam ad proxima diſtulit comitia certò removenda. Sed indiſcretus Cancellarii Ockeri zelus, non ſine juſta Cæſaris etiam offenſa, evertit omnia, ut ſapienter Tacitus lib. 1. annal. ait: *Sæpe honeſtas rerum cauſas*, & gra-

Cæſar amneſtiam & inducias Rebellibus offert.

Ockeri indiſcretus zelus.

& graviſſima negotia, *ni judicium adhibeas*, *pernicioſi exitus conſequuntur*. Nam cùm in prædeliberatione incautior Ockerus omnis Ungaricæ nationis perfidiam infidelitatemque illis univerſaliter ad aurem uſque obganniret, magnus Ungariæ Cancellarius injurioſum proteſtatur particularium perſonarum perfidiam toti velle nationi impingere; alii, Palffius regni theſaurarius, Comites Harkanus & Forgatſchius graviter indignantes, ſuam ſemper in Cæſarem ſinceram conteſtati fidelitatem & innocentiam, retorquentesque in Ockerum commiſſam in Cæſarem nequitiâ, abruptâ compoſitione inde receſſerunt. Hanc quoque pacis compoſitionem reddebat adeo difficilem pertinax Tôckeli, rebelliumque Magnatum pervicacia, & firma eorum pacta cum Turcis fœdera, qui bello Moſcovitico brevi, ut ſperabant, finiendo, cunctas ſuas in Ungariam vires effuſuri moliebantur: hinc Soldanus Janinam Moldaviæ, & Abaffium Tranſylvaniæ Principes Ungariæ proximiores, ut in hanc ſibi expeditionem redderet promptiores, ſingulari illum Conſtantinopoli honoris coluit magnificentiâ, & huic præſtantem donavit acinacem, ſingulare Ottomannicæ ſignum benevolentiæ. Abaffius deinde ad Tranſylvanica Claudiopoli indicta comitia viciniores invitans Baſſas, plurima de ſuccurrendis Rebellibus conſuluit; Rebellesque ipſi haud multò pòſt miſſis Conſtantinopolim legatis pro obtinendo ſubſidio annuum tredecim ſuperioris Ungariæ Comitatuum tributum obtulerunt. Cæſar funeſtam futuri belli tempeſtatem avertendo, Perſa-

Tôckelio Turcæ & Abaffius favent.

rum

rum Regi bellum in Turcas perſuaſurus, eo ablegat Baronem Meyerbergum, & Byzantium Doctorem Ficinum, ut Soldani penitùs, quantum poſſet, exploraret mentem, impediretque ſubſidium Rebellibus ſubmittendum.

Quid autem Tôckelius? furore inſaniens incineratis Caſſoviæ ſuburbibus, Zeilaverdum, Thornam, Zakaturnum, Czerenicum, Malchaſſum, Eperias, Arram, Levenzam deditione, & Padracum armatâ manu occupat, emiſſisque per omnes Comitatus circularibus literis omnes & ſingulos ab intolerabili germanico ſervitutis jugo ad arma pro libertatis, religionis, jurium & privilegiorum defenſione & recuperatione, ſub inevitabili ignis & vaſtationis interminatione vocat, cogit, & neceſſitat. Atque inde ferocior Comitem Lesleium prope Zathmarium confidentem tumultuariè opprimit, trucidat, aut captivat fermè univerſos. Poſt hæc aliquot equitum turmæ Tartaris conjunctæ in Moraviam emiſſæ præcipuum ejus munimentum cum ingenti indigenarum terrore intercipiunt: & tribunus Joſua ſex armatorum millibus proprio ære conſcriptis Auſtriam invadens obvia quæque ferro flammáque crudeliter devaſtat. Ita inimici hominis domeſtici ſunt perniciofiſſimi. Tandem Comes Wurmius variis confirmatus ſupplementis Tôckelium & Bohamum, ne inſolens eorum latius progrederetur inſania, ſummo mane vigorosè, conſtanterque aggreſſus, dubio utrimque marte diu pugnavit, donec circa tertiam pomeridianam Tôckelius Germanorum fortitudinem nequaquam ſuſtinens, fugam

Plura ſubjugat loca.

Illum Wurmius cædit.

Altſolum uſque corripit, ſtrage per continuatam ſic diu pugnam non exiguâ minutus. Viginti ſimiliter Ungarorum agmina montana vi perruptura tribunus Reuterus occluſis ubique tumultuariè aditibus, haud levi cæde rejecit. quas paulò pòſt ſtrages Tôckelius vindicans Biſtricum, ſuperioris Ungariæ oppidum vi capit, præſidiumque & oppidanos plurimos in ore gladii devorat. Filecenſe econtra præſidium Germani internecivè delent: & Pontificius Generalis Comes Eſterhaſius quingentos Turcarum Spahos ſeu equites, & duo Janizarorum ſeu peditum millia hæreditarias Cæſaris provincias jam invaſura, inſigniter prope Veſprimium cædit, & in fugam convertit. Neve id pacis cenſeretur apud Portam Ottomannicam ruptura, miſſus à Cæſare Byzantium legatus, rei geſtæ veritatem, ſtragumque occaſionem expoſuit. Hybernorum demum tempore pacto utrimque armiſtitio pacis iterum reſumpti ſunt Sempronii tractatus, quibus Cæſaris nomine præſidebat Princeps Schwartzenburgicus, & ſtudioſiſſimè illam promovebat Comes Noſtitius. Hujus continuationem *vide ſeq. num.* 158.

Novis quoq; barbarorum inſultibus Epidaurenſes laceſſiti pro ſuppetiis ad Pontificem, alioſque Principes recurrunt, & varia tum copiarum, tum numeratæ pecuniæ ſubſidia exorant. Vanus tamen timor peperit ſecuritatem, quæ ex pacato hoſte ſecuta eſt.

Carolus D. Lotharing. nubit Eleonor. Reginæ

150. Anni hujus principio in Februario Carolus V. Dux Lotharingiæ in uxorem à Cæſare accipit Eleônoram ſororem ſuam, Polonorum Re-

Reginam, Regis Michaëlis Wiſnowicki viduam, eidemque cum pleno dominio & redituum uſque ad ejus in ſuum Lotharingiæ Ducatum reſtitutionem uſufructu, Tyrolenſem concedit comitatum, unde defunctæ recens archiduciſſæ ſoluta hucuſque fuerant annuè centum viginti florenorum millia, & ex Burgavienſis in Suevia marchionatûs reditibus viginti facile florenorum millia aſſignat, juſſitque Leopoldus, ut pari tantis nuptiis Statu potiretur, familiæ ſuæ ſedem figere Oeniponti, ubi olim Archiduces Auſtriæ lineæ ſecundogenitæ aulam ſuam habuiſſent. Hunc Ducem Carolum Rex Galliæ Ludovicus XIV. anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo fœderatum clam, ut dicebatur, Batavorum ſocium militem contra pacta (quem exauctorare Rex juſſerat) ſub prætextu Cæſari contra Rebelles Ungaros opitulandi auctorantem, per Crequium inopinatè Ducatu, ærario, archivio, urbesque muris omnique robore ſpoliavit, vix Principe per Burgundiam præcipite fugâ Viennam Auſtriæ elapſo. Ubi Cæſari 25. inter & 26. Julii diem naſcitur filius primogenitus Joſephus, Jacobus, Ignatius Archidux & Princeps hæreditarius, ex Eleonora Magdalena Palatina Neoburgica, Philippi Wilhelmi tunc Viennæ cum uxore Amalia Magdalena Landgravia Haſſo-Darmſtadienſi præſentis filia, voto ante triennium magno Patriarchæ D. Joſepho facto ſuſceptus, quo ſanctiſſimum hunc Chriſti patrem, nutritiumque, ac Mariæ ſponſum, omnium regnorum, & provinciarum ſuarum Patronum & Protectorem inſtituens, precatus fuerat: *Da mi-*

Joſeph archidux naſcitur.

bi liberos, *Geneſ.* 30. 1. voti compos factus eſt; ideoque eidem nomen Joſeph imponit, in omen augendæ pluribus maſculis Auguſtæ familiæ, quæ tunc in ſolo Leopoldo florebat. Hac tot ditionum, & dignitatum accenſa præ ceteris in orbe clara æternitatem videtur ſuâ ſorte palam oriri, ut oritura ejus defectu bella prævertantur, Europâ fermè totâ apprecante: *Joſephum accreſcentem, filium accreſcentem,* ut in altero videbimus ſeculo.

Romæ aſyla tolluntur. Romæ Innocentius XI. pontifex ſuum recens emanatum contra exitioſas domiciliorum immunitates decretum conſtanter, & ſeverè admodùm tuetur ac manutenet, opponentibus quidem initio; ſed remittentibus poſtmodùm aliis Regum & Principum legatis, ſolus Marchio Lavardinus Galliæ Regis imperio hoſpitii ſui immunitatem, & maleficorum refugium pertinaciter & temerariè defendebat; pontifex autem omnino aboleri volebat; ideoque non tantùm ſupplicio ſuſpendii imperavit juvenem puniri, qui contra publicos urbis apparitores ſe tutari ſecus ædes Oratoris Veneti auſus eſſet, quin caperetur; ſed etiam exilio mulctari aliquos præcipuæ nobilitatis viros, qui iisdem apparitoribus vim inferre præſumpſerant. Novum ibidem Venetæ Reip. legatum admittere renuit, quod à quibusdam ejus familiaribus in eosdem publicæ juſtitiæ miniſtros eſſet peccatum, ineluctabili conſtans voluntate criminoſis facinoribus viam præcludendi, quæ per impunita hæc aſyla patebat.

Radzivilli ad Inſigni numeroſi comitatûs pompa Regis Fri-

Friderici Auguſti, Electoris Saxoniæ & Reipub. Polonorum orator, quem obedientiæ vocant, ſe videndum Romæ obtulit Princeps Radzivilius, quo, ut Pontifici regni nomine obſequeretur ſe contulerunt. Inſolenti tum exteræ gentis cultu, tum prope immenſa divitiarum oſtentatione ita oculos omnium demeruit, ut vix pari ſpectaculo ſe interfuiſſe pauci meminiſſent; non indigno pontificis & pontificatûs decore excepti ſuntPoloni, ut mutuis ſibi honoribus ſatisfactum gratularentur. Epiſcopos item Græcos Armenosque provinciarum ſuarum nomine obſequentes ſibi hoc anno habuit Innocentius, tantâ nominis & pietatis famâ orbi catholico notus, ut certatim ei principes & populi delatum honores feſtinarent.

Innocentium P. Legatio.

Et Armenorum Epiſcoporum.

Galli ſuis ipſi in Italia rebus, & Meſſanenſium aſtutiæ diffiſi, Siciliam perfidâ ab Hiſpano rege ſuo anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto defectione à ſe occupatam turpiter deſerunt: infructuoſæ enim protectionis, quam Meſſanenſibus hactenus Rex Ludovicus prorogarat, & diſpendiorum, quæ in iis alendis ſuſtinere cogebatur, eos tandem propriis fatis relinquere ſtatuit, copiasque ſuas in Galliam revocare: Sicilienſes namque gallici pœnitentes & impatientes dominii, ſecundas, ut olim, & quotidianis inſidiis, & occultis conjurationibus meditabantur veſperas. Res autem plena erat periculi; timendum enim ne Sicilienſes eorum diſceſſum intuiti, quorum hactenus ſteterunt auxiliis, Hiſpanosque Taorminam urbem occupantes, ſibique imminentes ad defectionis vindictam

Rex Ludovicus Meſſanã deſerit.

dictam proſpicientes, deſperato planè auſu omnia ſuſque deque miſcerent, ipſosque adeo Gallos conficerent auxiliares.] Unde Foliadeus Dux, quem Rex ad reducendum in Galliam marchionem Vivonium illuc miſerat, non expectato æris martii ſigno tempeſtivè cum ingenti bellico apparatu fictæ cujusdam vicinarum urbium expeditionis causâ inde ablato, juſſis copiis naves ſubire, ſe ex Meſſanæ civitatis portu & aſpectu in locum certum proripit, ibidemque ſubſiſtens, conſules ad ſe vocatos, quaſi rem cum illis majoris momenti collaturus, eos Regis ſui docuit voluntatem, qui diſpendiorum, & lubricæ eorum fidei pertæſus, urbem propriis deinceps eorum auſpiciis permittebat. Territi Meſſanenſes biduum vix conſules exoravere, per quod è Meſſanenſibus claſſem liceret illis conſcendere, qui Hiſpanorum clementiam deſpondentes libero ſe exilio vellent ſubducere. Unde factum eſt, ut 40. ad 50. ex præcipuis familiis urbem desererent, & Maſſiliam deportarentur. Ibi tamen, ubi ſecuritatem & aſylum non defuturum ſibi appromittebant, vix per aliquot menſium moram reſpirant, cùm novo exilio è tota Gallia faceſſere ſunt Siculi omnes eâ vel causâ vel prætextu, quòd portum Maſſilienſem prodere, & incendere urbem ſtatuiſſent. Sic, inquam, Foliadeus cum Vivonio explicatis velis Siciliæ valedicit, & ad Caroli II. Hiſpaniarum Regis ſui redit obedientiam Meſſana, magnitudine, divitiis, robore, & familiarum nobilitate potentiſſima, atque uti factione prima, ita & prima pœnitentiâ & ſubmiſſione.

Plures familiæ migrant in Galliã

Inde poſtea eliminantur.

Nova

Novo item diſſidio Rex Galliæ Ludovicus & Genuenſes laborarunt ob expetitam, nec datam gallicæ claſſi à tormentis igniariis eâ formâ ſalutem, quæ novo ritu in mari Liguſtico à Rege depoſcebatur; afflicta proinde in ora maris occidua civitas, globisque majoribus & incendio fœdata vel attrita ſunt multa ex palatiis & ſuperbis domibus, quæ hæc litora ornabant. Ludovico tamen Reip. humilitate & patientiâ litatum eſt, unde pax prima eſt reſtituta, & monarchicæ ſuæ imperandi libidini quodammodo ſatisfactum. Sicut hominibus reges, ait *Seneca in epiſt.* ita regibus dominandi libido dominatur, in Ludovico inſatiabilis. **Genua ignibus vexatur à Galliis.**

Venetiis decedit Joannes Baptiſta Nanius D. Marci Procurator, vir ingenii per multas rerum ſummi momenti tractationes exerciti, quas domi forisque ad varios principes legatus obivit. Inſignes edidit commentarios, in quibus ævi ſui hiſtoriam eſt complexus, ob quos ferè nulli melioris notæ ſcriptorum ſecundus audivit; præſumptâ civium ſuorum exiſtimatione & affectu ad ſupremum reip. clavum evehendus, ſi diutius vixiſſet. Opera manuum ruinæ ſunt obnoxia, ingeniorum partus æterni. **Mors Nanii.**

151. Diogenes Cynicus Philippum Regem Græcos invaſurum in caſtris viſitaturus, perductus ad illum eſt rogatus, nunquid ſpeculator eſſet? reſpondit: quinimo ſtultitiæ, vanitatisque tuæ, qui nullo cogente; de vita, & de regno velut ad caſum aleæ periclitaturus venis. *Bruſ. lib.* 3. *cap.* 15. Liceatne mihi illud de aliquot poſtremis hiſce ſeculis Galliæ Regibus ſcribere, qui **Reges Galliæ,**

nullo

côtinuo Europā bello turbarunt.

nullo cogente; ſed monarchiæ cupidine ſtimulante de vita, de regno, de milite velut ad caſum aleæ periclitaturi, continuis propè bellorum tempeſtatibus univerſam turbarunt & devaſtarunt Europam; conſervatâ quidem hactenus vitâ, & regno dilatato, innumeris illud evacuaſſe hominibus, opibus (ſolus Ludovicus XIV. moriens debitor fuit 1800. millionum) & militibus, eorum annales conſulenti patebit: in unico ſolo Cortracenſi conflictu Philippus IV. duodecim Nobilium ibidem occiſorum, præter plura gregariorum millia amiſit. Solum bellum Flandricum XI. annorum ſpatio illi abſtulit ultra tria centena Gallorum millia: quot militum milliones unicus Ludovicus XIV. per graviſſima, ſimulq; nefandiſſima regiminis ſui ab anno 1643. uſque ad pacem Baden-Raſtadienſem 1714. continuata bella libitinæ conſecravit? in ſolo Hochſtadienſi prælio anno 1704. inter Eugenium Sabaudum & Marleborugum, Cæſareanorum, Emmanuelemque Bavarum & Tallardum Gallorum archiſtrategos 13. Auguſti inito, ultra XL. millia Gallo-Bavarorum tum cæſorum, tum læſorum, tum captorum deſiderabantur, de quo latius infra. Punctum eſt, inquit *Seneca in præfat. lib.* 1. *nat. quæſt. cap.* 49. quod inter tot gentes ferro & igne dividitur: ſurſum ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem animus admittitur. Ohe dictum ethnici, non ethnici! O vertigo morum peſſima! graviſſimum genus egeſtatis, in divitiis inopia! an non ambitio hæc res vana, ventoſa, nullum habens terminum? tam ſollicita, ne quemquam an-

Multum fuderūt ſanguinem.

te

te ſe videat, quàm ut alium poſt ſe. Laborat invidiâ, & quidem duplici: & invidetur ei, & invidet ipſa. Viden, ait Seneca, quàm hæc miſera ſit, & confragoſa in faſtigium dignitatis via, in extremum infelicitatis præcipitium ſeducens. Franciſcus I. Galliæ Rex pacem cum Carolo V. Imp. factam non diuturnam fore aſſerebat, quòd nec hic parem, nec ille ſuperiorem ferre poſſet; uti nec Ludovicus XIV. Leopoldum I. Imperatorem. *Vid. anno* 1704.

Hinc pacem gemens tota ſuſpirabat Europa (cujus nuper tractatus violenta Coloniæ Agrippinæ Principis Wilhelmi Furſtenbergi Viennam abducti interruperat captivitas) hujus ſe mediatorem Rex Angliæ offerebat, Pontifex miſſo Viennam ad Imperatorem Bevilaqua apoſtolico internuntio illam expetebat, ceteri eam quoque deſiderabant Principes, & maxima ubique urgebat neceſſitas: Romanum etenim Imperium ſub graviſſimis ſuſpirabat belli ſumptibus, militaribus hoſpitiis, & continuis militum tranſitibus exhauſtum: Gallia plurimum æris & ſanguinis fruſtra effundendo non paucos in ſe concitarat inimicos; Hiſpania Caroli Regis ſui minorennitate fideli carens moderatore, ære & milite indigebat, quamvis ſub tutore & adminiſtratore Joanne Auſtriaco recens ad Madritenſem aulam revocato ſperaret nunc feliciora: Belgium & Confœderati Hollandiæ Status bellorum tempeſtatibus hactenus obruti ineluctabiliter implicabantur: Suecus & Danus quò unus terrâ, eò alter mari felicior; nemo alteri cedens, ambo eviſcerabantur. Adeoque nullum

Europa exhauſta pacē deſiderat.

ſit

ſit tam felix bellum, quo non potior ſit pax iniqua, ſive curas, ſive ſumptus, ſive diſcrimina conſideres. Calamitates belli ſemper ſunt certiſſimæ, incertus eventus, rarò felix, rei nummariæ anguſtia, ærarium exhauſtum; inde exactiones & tributa: inchoante namque bello ſubditi tondentur, durante deglubuntur, deſinente exoſſantur. *Lud. Vives. in epiſt. ad Henr. 8. Angl. Reg.* Ludovicus Rex quoque pacem ambiebat, ut Sueco confœderato ſuo amiciſſimo, à Dano-Brandeburgicis ad incitas ferme redacto ſubveniret, ad quam modò Batavos (refragante tamen Auriaco) diſpoſuerat; ſed iniquiſſimam repudiabat Hiſpanus. Hunc, ejusque confœderatos igitur ut disjungeret, ſecreto planè laborabat conſilio.

Gallíæ Regis dubia expeditio tandem in Gandavi tendit obſidionem.

Legati interim Regum ac Principum in aſſiduo pacis & concordiæ ſtudio Noviomagi deſudabant & confligebant, haud brevi tempore, ut Rex Galliæ prævidebat, abſolvendo; ideoque antequam pax concluderetur, ſollicitatis per Cardinalem Eſtreum in ſuas fruſtra partes Sabaudo, & Ferdinando Mariâ Bavaro, maturum adeo, & ſingulari abſque dubio molimine gravidum Ludovici Regis ſeptimâ Februarii hujus anni 1678. in Lotharingiam iter confœderatorum ſuſpendebat animos, quo tandem, an in Alſatiam, an ad Moſellæ tractum, an denique in Belgium tenderet. Utque dubios magis falleret, mandat Crequio militem ex Alſatia in Briſgojam traducere; Calvo ad Moſam agmina colligere, & Choiſeulo obſervare Luxemburgum, ipſe Metas abiens & Theonisvillam, illuc

illuc neceſſarium deſtinat bellicum apparatum. Rom. è contrà Imperium, Moſellæ Tractus, & Belgium minùs milite erant proviſa; & hujus quidem aliquot urbes, Iprum, Montes Hannoniæ, Namurcum & Charlemontium jam tum eminus Galli incluſerant; atque ita nullus Regis mentem penetrabat; niſi quòd Villa Hermoſa Belgii tunc Gubernator minimè Gandavo, ſed magis Ipro metuens, partem præſidii Gandavenſis majorem illuc ſubmiſerit: quare gallicus ſtrategus Humieres juſſu Regis Gandavum quingentis ſolùm præſidiariis, tam vaſtæ urbis defenſioni haudquaquam ſufficientibus munitum, primâ Martii decem equitum millibus circumcingit. Urbis Gubernator Franciſcus Pradus conſumptis mox igne ſuburbiis, & aperris cataractis hoſtem longius ab urbe depellere, cives & operarios armis induere, militemque novum colligere; Humieres econtra aggeres objicere, aquasque effuſas in Schaldim fl. derivare, & adveniente 4. Martii in caſtra Rege, noctu caſtrenſia aperire valla, & tormentis mœnia cepit flagellare: cumque tyrones præſidiarii ſe in munitione ad portam Puicellanam (Segel-ſchantz) cernerent impetendos, fuga ſibi conſulunt. Poſtquam igitur circa portas Herver- & Puicellanam omnes externæ ſemilunares munitiones tormentorum ictibus quaſſatæ eſſent dirutæ, Villerojus illas juſſu Regis, præmiſſis pluribus in urbem pyrobolis & ſphæris incendiariis ad mediam noctem ſeptimæ Martii involat, & obtentis 4. vexillis & 200. captivis intercipit: proximâ deinde nocte dum plures in urbe domus, templa Gandavum Gallo traditur cum arce.

& monaſteria ingenti civium terrore & damno igne corriperentur, nullaque ſuccursûs ſpes afſulgeret, ſupremus urbis prætor & præfectus, invitis licet civibus,citra extremam adhuc neceſſitatem urbis traditionem illæſis privilegiis & civium immunitatibus 9. Martii offerunt, Rexque poſt ſubſignatos 68. deditionis articulos levi exercitûs ſui jacturâ urbem opibus, & magnitudine ampliſſimam occupat. Pradus autem præfectus impetrato unius diei armiſtitio reliquos urbis præſidiarios cum ſufficiente bellico apparatu & commeatu arcem ingreſſus, vigoroſam meditatur defenſionem; ſed cùm Humieres obſidionales vias ad exteriores uſque foſſæ muros promoviſſet, & dejectis propugnaculis generalem 12. Martii decreviſſet impreſſionem, cui Pradus omnino impar, pactâ incolumitate, militarique honore cum duobus tormentis bellicis egreſſus, Antwerpiam eſt deductus.

Gandavum Flandriæ Comitatûs metropolis, & Caroli V. Imp. natalis patria, ea propter ipſi ſemper in delitiis: inter quinque maximas Europæ civitates, Lovanio (quod in ambitu habet 3691. virgas 14. pedum, juxta Ægidium Grotzerum ex mandato Ducis Philippi Audacis dimenſum) tribus virgis minus, majus Leodio & Pariſiis virgis quinque, & Coloniâ Agrip. virgis duodecim, ut ſcribit *Marchantius in Flandria*, & alii, triginta ædificiorum millibus ſuperba; quatuor fluminum, Scaldis, Legiæ, Mourwater & Lievæ confluentiâ gaudens, novusque prætetea anno 1551. additus ibidem canalis, Newfahrt dictus, quadriennii labore, & immenſis ſum-

ſumptibus, per quatuor omnino milliaria in mare Selandicum, ingenti indigenarum ob navigationem & mercaturam commodo propè validiſſimum Sas von Gent munimentum ſe exonerans.

Quod confœderatos & Anglos admodùm ſollicitat

Hæc tam inſperata Gallorum expeditio & fortuna graviter admodùm Confœderatorum animos ſollicitabat, qui in militari quidem conſilio Hagæ Comitis 22. Januario in præſentia Principis Auriaci habito concluſerant, ut Cæſareani ſuperiorem rheni tractum, Luneburgici, Monaſterienſes & Lotharingi tractum Moſellæ; Auriacus cum ſuis & Hiſpanis copiis Belgium tuerentur; Brandeburgici verò & Neoburgici hoſtem volatili ad Moſam exercitu obſervarent: at quia Gallus pleraſque ſuas armatorum vires effunderet in Belgium, duplici hìc, eoque valido obnitendum exercitu quis non videt? hinc Batavi, quibus proximus ardebat Ucaleon, triginta armatorum millia, præter ea, quæ in Hiſpano Belgio habebant præſidia, promptè offerebant, quibus Hiſpani X. adderent millia, & XX. millia confœderati: ſed legatis ſine expreſſo Principum ſuorum Scitu & voluntate his conſentire nolentibus, ſolus Monaſterienſis epiſcopi legatus Termeulenus novem millia protinus ſpondebat. Anglia vero auditâ præproperâ Gandavi occupatione admodùm conſternata, ad Villæ Hermoſæ inſtantiam ſine mora Howardum cum* MCCC. armatis Oſtendam ſubmittit, quos hæc admittere recuſat, niſi Rex Angliæ Gallorum ſe prius hoſtem declararet: quod hic recuſabat, antequam cum Cæſare, Hiſpano &

Et ad bellum incitat, aut paci

Batavis eſſet arctiùs confœderatus; Principis tamen Auriaci inſtantiâ tanquam mediator projectum, ut vocant, pacis, Gallo per Comitem Fevershamum propoſuit, ut Urbes ſcil. Caroloregium, Athum, Athum, Fanum S. Gislenii, Audenardum, Cortracum, Condeum, Valentianam & Tornacum Hiſpano reſtituantur, & pro Sicilia prætenſa Rex Galliæ Burgundiæ comitatum poſſideat. At quia Gallus priores quidem ſex urbes reſtituere; Tornacum vero & Valentianam ſibi retinere reſolverat, Rex Angliæ Carolus II. per legatum ſuum Hyde cum Batavis contra Gallum off. & defenſivum init fœdus, compellendo illum ad reſtituendum omnes prædictas octo civitates & Siciliam, ac quidquid in illa nunc occupaverit, & poſt hinc occupaturus eſt Hiſpano: Carolo Duci Lotharingiam 1670. raptam; comitatum verò Burgundiæ retineat, &c. quem in finem Rex Angliæ 30. armatorum millia jubet conſcribere, & ex conſenſu parlamenti navalem XC. navium claſſem cum 25562. claſſiariis, ultraque decem millionum impendiis inſtruere: Auriacus etiam moto protinus in Brabantiam exercitu ad Scaldim Gallorum molimini invigilabat.

Gallus Ipretũ obſidet. 152. Hiſce minimè Ludovicus Rex perterritus, Ipretum 15. Martii obſidione cingit, quam continuis aër pluviis adeò impediebat, ut in viis obſidionalibus miles inter aquas genu tenus nec pugnare voluerit, nec potuerit; faſcibus igitur primò & virgultis, ob pluviarum deinde continuationem LX. aſſerum millibus vias Rex jubet ſternere, & obſidionales acceſſus indefeſſo la-

labore promovere. Nec deſides in urbe præſidiarii quicquam ad vigoroſam omittebant defenſionem; ſed tormentorum exploſionibus & iteratis excurſionibus ingens Gallis inferebant detrimentum, præfectusque urbis Marchio de Conflans, inſignis vir generoſitatis, & militaris experientiæ ubique inclytus, & ab ipſo Rege Ludovico laudatus, hoſtium adeo evertebat molimina, ut nequaquam intercepiſſent, niſi privata Batavorum cum Gallis pax interceſſiſſet. Rex igitur iu bellico convocato conſilio decrevit ex altera urbem parte aggredi, & 23. Martii noctu per Sourdum duos ab exteriori foſſæ muro 15. paſſibus diſtantes erigit reductus, & internos receſſus, vallo & aggere communitos: poſt hæc noctu diem inter 24. & 25. Martii validiſſimo exteriores foveæ muros tam arcis quam urbis inſultu aggreditur; & quamvis urbani præſidiarii conſtanti hoſtem fortitudine conati ſint rejicere; ſuccenturiatis autem continuò Gallis ſpe præmii à Luxemburgo animatis, & Regis ſui præſentiâ incitatis cedere debuerunt, & permittere firmam Gallis ibidem figere ſtationem. Peractâ feliciter impreſſione urbis deditionem Regi poſtulanti renuit præfectus; illuceſcente tamen vix die ſubſidii ſpe omninò fraudatus, & tot graviſſimis hoſtium inſultibus impotens reſiſtere, ſub eisdem Gandavi conditionibus & honoribus traditionem offerens, cum 3. præſidiariorum millibus Brugas eſt deductus, ſubſequente illum hac Regis laude, nuſquam ſe tantam in hiſce expeditioni- bus

Et deditione capit.

bus, quantam hic expertum reſiſtentiam. Iprum autem civitas Flandriæ magnitudine, pulchritudine & fortitudine præſtans, hoc habet ſingulare, quòd in domo ejus civica (quam vulgò Hallam vocant) & quidem capaciſſima, infinitis propè contignationibus concamerata, nulla unquam aranea, aut tela ejus viſa ſit, ut tradit *Georg. Bruin. in Ipra.* Uti Pragæ in Bohemia in macello nulla unquam muſca dicitur viſa, nec in macello Auguſtano mus, aut glis; quin imo hæc eo illata ſtatim occidunt. Rex cunctis tam Ipreti quàm Gandavi ritè diſpoſitis militem per immenſas defatigationes, & aëris injurias exhauſtum reficiendum ad hyberna dimittit, ipſe cum regina, quæ illum Inſulis convenerat, Pariſios præter omnium, majora formidantium, opinionem revertitur, ſive his modò acquiſitis contentus, & ad pacem jam inclinatus, ſive Anglorum pluriumque hoſtium metueret potentiam in ſe mox effundendam. Angli certe in conquirendo nervo bellico ſtudioſiſſimi, omnem cum Gallis interdicebant mercaturam, omneſque gallicas merces regno ſuo excludebant, regem etiam urgebant, ut ſicut nuper cum Batavis off- & defenſivum, nunc perpetuum iniret fœdus, Gallum Regni hoſtem declararet, & vigoroſam pro eximendo periculis Belgio, & Anglia conſervanda, armorum tam mari quàm terra pararet expeditionem.

Ludovicus redit in Galliam

Angli bellum in Gallos parant.

Sed Batavi & Hiſpani proximiores belli incendio, pacem bello præferebant, majorem urbium ſubtractionem metuentes. Trajectenſis namque præfectus Calvo 2, Maji noctis beneficio

Calvo Leviam occupat

cio tranſcendit oppidum Leuwe, ſive Leviam, in Brabantiæ fermè meditullio, inter ſtagnantes paludes propugnaculis & fovea aquaria probè communitam; ſed exiguo proviſam præſidio: jamque pernatando foveas evulſis ſubito ludibus arcem tumultuariè conſcendunt, antequam præfectus Hernandez, vir aliàs militaris, præſidiarios tremore conſternatos in ordinem colligiſſet, qui ubi Gallos vidit extra tormentorum urbanorum ictum, & periculum jam ipſis adeo arcis tormentis urbem impetere, re deſperatâ cum præſidiariis ad eccleſiam confugiens militarem honeſtamque ſperabat dimiſſionem, quâ denegatâ, cum 400. præſidiariis captivus Trajectum ad Moſam eſt conductus.

Navaillus in Hiſpania Puicerdam.

Item in Catalonia jugum ſubire debuit Puicerda in montibus Ducatûs Certagnei ad Pyreneos montes, non exigui roboris metropolis, quam Dux Navaillus 28. Aprilis brevi temporis ſpatio tormentis adeo quaſſaverat, & cuniculo urbis propugnaculum 14. Martii everterat, ut commodus urbis per aſſultum aditus pateret. Sanchez Mirandus gubernator quia indubitatum à regni Prorege Montereo ſperabat ſubſidium, leoninâ urbem defendit reſiſtentiâ; jamque Montereus unâ & dimidiâ horâ à Gallorum caſtris cum Hiſpano aberat exercitu, ſubſidium illaturus; ſed omni acceſſu abs Gallis arctiſſimè occluſo cogitur recedere. Mirandus ſuâ expectatione dolenter fruſtratus, pacto militari honorifico abitu liberè cum præſidiariis ſuis exceſſit, & Navaillus rebus in urbe diſpoſitis omnem ejus bellicum apparatum mittens Perpinia-

Hiſpani & Batavi pacē deſiderant.

num abii Rouſilonam, Hiſpanorum motus obſervaturus, uti & propræfectus Queſnus claſſe ſua navali in maritimis Cataloniæ finibus eorum continebat molimina. Eâ inquam de cauſa ob præſentiſſimum imminens periculum Hiſpani & Batavi unicè pacem deſiderabant, aut ſaltem per ſuos Noviomagi legatos trium menſium proponebant armiſtitium, ut confœderati periculorum interim ſecuri, ſufficientes aut majores ad reſiſtendum colligerent vires, aut convenientioribus cudendi pacem mediis tempus haberent. Illud Rex Galliæ Ludovicus renuit, bella, formidoloſa ubique ſpirans bella, ad belgica ſe rurſus caſtra *21.* Maji confert, quadruplici confœderatos exercitu aggreſſurus, per Crequium ad rheni tractum, ad Sabim & Moſam per Schombergum, in Hannonia per Humierum, regius denique exercitus Dyenſæ conſidebat, in Catalonia etiam quintus Gallorum exercitus graſſabatur. Rex tamen primâ Junii inde ad S. Germanum in Galliam reverſus, unitis Statuum Ordinibus poſtmodùm ſignificat, ſibi non diſplicere illorum & Hiſpanorum, excluſis ceteris armiſtitii propoſitionem; ſperare itaque ſe in campi acie, & fronte exercitûs pacem brevi prodituram.

Obſeſſis Montibus Hanoniæ concluditur armiſtitium.

Abſente autem Rege ſupremus ejus legatus Dux Luxemburgus Montes Hannoniæ per Mareſcallum Humierum, Montaltium & Quincium à longe omnes obſtruendo aditus circumcingit, ſed inſigni præſidio & bellico apparatu probè munitos; ideoque fame potius quàm vi armorum expugnandos: ipſe verò Dux cum reliquo exercitu verſus Bruxellas contendens,

Bey-

Beygarde conſedit incredibili indigenarum detrimento, rapinis, exactionibus truculentiſſimus. Inde tamen ſe Regis ſui mandato Villæ Hermoſæ Bataviſque ſignificat, ſi modò Montibus durante petiti armiſtitii tempore nullus inferatur commeatus. Ambo iniquiſſimam rejecerunt conditionem, armiſtitii eſſentiæ contrariam, quod univerſale omnibus & ſingulis commune eſſe ſuadet ratio, poſſentque interim cives & omnis miles Batavicus fame perire.

153. Re Noviomagum ad legatos delata, concluſum tandem eſt armiſtitium, aſt nondum ratificatum, ejuſque Gulielmus Auriacus inſciens, urbis liberationem urgente Villâ Hermosâ tentaturus, confœderatorum ad ſe copias, Anglicas, Oſnabrugenſes, Cellenſes, Monaſterienſes, & ſub Generali Spahn Brandenburgicas, relictis aliquot prope Trajectum legionibus, illorum excurſiones reprimentibus, ociſſimè convocat. Cujus certior factus Luxemburgus, motis ſubitò caſtris prætoriam in Abbatia S. Dionyſii, uno & dimidio milliari Montibus diſtante, figit ſtationem, quem cum L. millium exercitu Auriacus inſecutus, fortiter ibidem 14. Auguſti aggreditur, ac imprimis ab eminentiori & opportuniori loco Gallos cruentâ utrimque cæde depellit, inde in alterum æquè defenſioni commodum ac fermè inſuperabilem confugientes iterató feliciter dejicit, ipſamque demum S. Dionyſii Abbatiam, idoneum ad urbem aditum Generalis Delwigus invadens,

Prælium Auriacum inter & Luxenburgum

magnâ licet ad ſeram uſque noctem reſiſtentiâ occupat, & utrobique Galli relictis aliquot impedimentis, bellico apparatu & commeatu in fugam conjiciuntur, uberiorem victoriæ fructum Auriacus relaturus, ſi fugientem inſequi pulveris nitrati non prohibuiſſet defectus. Equitatus autem vix quicquam ponderis aut roboris ob difficilem loci aſperitatem adjecit pugnæ, aliàs ferociſſimæ, ſtragesque Confœderatorum ſexcenti, Gallorum verò admodùm copioſa; quibus arenam turpiter deſerentibus palmam tamen victoriæ ſibi arrogare non erubuit Luxemburgus: Ipſe adeo Auriacus denſos inter fumos Gallis commixtus vix vitæ aut captivitatis evaſiſſet periculum, niſi Ouwerkius Gallum illi jam intentantem mortem ſclopo trajeciſſet, quem ideo Batavi gratiarum loco liberaliter remunerarunt.

Galli fugiunt & tamen victoriam prætendunt

Auriaci periculū

Cæterum Auriacus die alterâ hoſtem inſecuturus, audit pacem Gallos inter & Batavos Noviomagi 11. Auguſti in domo legati gallici Eſtrades ſubſcriptam; inito proinde utrimque armiſtitio, Montes obſidione liberantur, & ſufficienti commeatu ſunt locupletati, atque ita bini exercitus in ſuum quiſque territorium, gallicus verſus Sambre-Meuſen, & confœderatus Nivellum ſunt digreſſi. Pacem hanc eò promptiùs amplectebatur Gallus, imo multis urgebat blanditiis, quòd ſe præter ſpem ab Anglis deſertum, & confœderatorum modò partes, Hiſpanis militem tranſcribendo, amplecti perſpiceret, ne tot hoſtibus

Pax Gallo-Batavica.

eſſet

eſſet impar, cunctaque bello occupata Hiſpanis reſtituere cogeretur, omnibus Batavorum poſtulatis & conditionibus haud ægrè conſenſit. Reſtituit igitur illis Trajectum ad Moſam, Comitatum Verenhoff, Fauquemontiũ, Dalheimium, & Rallodocum, Arvenienſi verò Comiti redduntur Bergæ Ob Zomæ. Sicque Batavi non attentis tot initis cum Domo Auſtriaca, Danorum Rege, Electore Brandeburgico, aliiſque confœderatis [qui omnes Batavorum causâ & ſubſidio tam cruentum ſuſceperant bellum] pactis & fœderibus tam turpiter ſocios deſerunt, excluſiſque omnibus, ut ſolent communiter, cum Gallo privatim, Ciceronis fortè conſilio, paciſcuntur, qui *lib.* 3. *offic.* ait: pacta promiſſa ſervanda non ſunt, ſi tibi plus noceant, quàm illi proſint, cui promiſeris, ſociosque ad paciſcendum veluti neceſſitant: uti mox etiam 17. Auguſti ſubſecuta eſt pax Hiſpano Gallica his conditionibus horâ noctis decimâ ſubſcripta: Rex Galliæ ſine ulla demolitione Hiſpanis reſtituet Carolo-Regium, Athum, Audenardum, Cortracum, Limburgum, regionem Waes, Gandavum, Rodenknus, Binchium, fanum S. Gislenii, Læviam cum omnibus utrobique ſuis dependentiis; Retinebit econtra Rex Galliæ Comitatum Burgundiæ (Franche comte) cum Biſontio anno 1674. occupatum, Valentianam, Condatum, Cameracum, Cambreſum, Hirum, Audomaropolim, Iprum, Warwicum, Warnetonum, Papenagum, Bailleubum, Caſſelum, Bavais, & Malbodium

Et Hiſpano Gallica.

cum

cum ſuis dependentiis. Omnia hæc Ludovicus Rex contra pacta Pyrenæa iniquo hactenus belli jure occupavit: præterquam quòd Ducatum Burgundiæ &c. à Rege Galliæ non jure poſſideri deducat Joannes Faius, conſiliarius Caroli Audacis *in opuſculo de jure omnium ditionum, quas d. Carolus filiæ ſuæ moriens reliquit*. Idque apertiſſimum eſt, quibuſcunque non eſt perſuaſum, omnes campos & ditiones, quas gallici oculi ſemel viderint, Salicam terram fieri, perinde ac Hebræo populo terram promiſſionis ingreſſuro dictum eſt: *Quidquid calcaverit pes tuus, tuum erit*. Cùm tamen è contra ſine ſtatuum ſuorum applauſu ne vel unicam ex corona, vel dominio ſuo Rex alienare queat, etſi captivus juret; uti Franciſcus I. in Hiſpaniis à Carolo V. captivus promiſſa eo colore, etiam datis filiis obſidibus, infregit, ut ait *Tuldenus in præfat. ad Damhouderum*.

Claſſis Gallicæ naufragium.

Mari quoque priori tempore Galli felicibus fortunæ ventis velificarunt, hoc anno infelicibus; Eſtreus namque Comes 32. navium claſſe, & quinque claſſiariorum millibus Batavicam in occidentali India inſulam Curacaam invaſurus, primò inſulam *Avis* indigitatam, plurimis plerumque tempeſtatibus & naufragiis famoſam undecimâ Maji aggreditur; ſed in primo ſtatim impetu Admiralius cum prætoria, & duodecim navibus fœdâ tempeſtate quaſſatus ſubmergitur, irritâque expeditione Eſtreus in Galliam revertitur.

Galli Friburgũ communiunt.

In ſuperioris Germaniæ Briſgovia Galli recens occupatum Friburgum interrupto per hyemem

mem labore roboraverant, & ingenti, totique per annum exercitui ſufficienti commeatu, apparatu bellico & præſidio inſtruxerant, metuentes ne uti nuper Cæſareani Philippopolim, ita hoc anno Friburgum adorirentur: Carolus enim Dux Lotharingiæ ex Tyrolenſi comitatu redux Cæſareum exercitum 21. Maji movens Offenburgum, & inde Altenheimium, putabatur Friburgum invaſurus; ideoque Crequius ſuperato Briſaci rheno haud procul Friburgo caſtra metatur; quo etiam Lotharingus cum exercitu progreſſus uno vix milliari à gallico diſtans conſidet, prælium tentaturus, quod Galli viribus adhuc impares declinabant; belgico autem augmentatus ſubſidio Crequius Rheinfeldiam inter Baſileam & Seckingam, ad fines Helvetiæ & Briſgoviæ ſitam aggreſſurus, magnis illuc properat paſſibus, antequam Cæſareani advenirent [aditum autem ad quatuor vallium civitates, Sueviamque oppeſſulabant Helveti] præventus autem à Cæſareanis in nihilum ejus recidit conſilium; arces tamen Rotelingam & Brombachum è regione Baſileæ (non ſine hujus urbis offenſione) intercipit, dum interim Comes Sternbergus novum Rheinfeldiæ à Beuflero & Choiſeulo eminùs circumdatæ injicit præſidium, ejusque rhenanum pontem militari munit ſepimento & interno receptu; quod Crequius impetiturus, dum cum equitatu & dimachis illuc [peditatu longè ſequente] prævolat, Cæſareani hoſtilem exiſtimantes exercitum adeſſe totum, inter pugnandum terrefacti, & ſubitâ Sternbergi vulneratione turbati, fugâ per pon-

Caroli Lotharing. & Crequii expeditiones inſuper, Germania.

pontem ſibi ad urbem conſulunt, qui multitudinis gravitate fractus plures rheno dimergit, reliquos numero circiter mille aut mors, aut captivitas innodavit: ignibus deinde Galli urbem irritè vexabant, quos ſtudioſa Mercii Præfecti extinguebat vigilantia, & fortitudo defendebat.

Irritâ itaque urbis occupandæ ſpe Crequius divertit in Briſgoviam; & quia pluribus militum augebatur ſupplementis, credebatur in Sueviam irrupturus, ideoque Carolus tranſitâ ſylvâ Hercynia Gannoduri caſtra metatur, inde Gallorum ſubſequitur exercitum, cujus primum agmen circa Gengenbachium abs Gallis adoritur, inque fugam verſus Offenburgum, & ad montes relictis binis ſignis equeſtribus, & 400. captivis pellitur: nec incruenta Gallis fuit victoria, Crequius vulneratus, junior Schombergus læſus & captus, occiſi Marchio Chaſteletus & Montfortius &c. Tum Crequius Ortenbergum cum 200. præſidiariis ſuæ fecit poteſtatis, præterito Offenburgo, quod Stembergus inſigni interim robore confirmaverat, ſed Argentoratum petit, pontem ibidem invaſurus, cujus munimentum (Keylerſchanz) exigui roboris ob rheni ac-& decreſcentiam altâ ſolùm foveâ firmatum ab argentoratenſi poſtulat magiſtratu, ſibi æquè ac Cæſareanis vi neutralitatis tranſitum pontis exigens; hoc denegato, Vaubecourtius dejecto per tormenta vallo, 26. Junii armatâ manu occupat, & 6. Auguſti munitionem evertit, expilat Keyl oppidum, & pontis partem non violandæ neutralitatis, ſed tranſitûs Cæſareanis denegandi gratiâ incendit, Altenhei-

Crequius Carolum pellens Argentoratum abit, exigitque pontis tranſitũ.

heimiique rhenum tranſiens, caſtra à Monclario in Alſatia præparata metatur: ubi verò audit Argentoratum à Carolo Duce germano 700. equitum, & mille peditum præſidio confirmatum, illuc cum toto reverſus exercitu, ſtellatam rhenum inter & urbẽ munitionem Stern-ſchantz/ actis vineis invadit, & proximiori tabernæ vinariæ militem imponit, quem Argentoratenſes & ejaculationibus, & civium excurſione fruſtra conati ſunt expellere. Et quia graviora metuebant, his tandem cum Crequio conveniunt conditionibus, ut ejecto cæſareo præſidio totidem, aut quot vellent Helvetos ſocios ſuos admitterent, ſicque ſervatâ ſtrictè neutralitate gallicus territorio diſcederet exercitus, urbique ſecura redderetur libertas; ſed Marchio Badenſis, Comes Picolominus & Mercius ſuâ præſentiâ & gravi oratione, promiſſoque copioſo ſubſidio civium animos in Cæſaris, Romanique Imperii fide confirmantes, pactum illud reſciderunt. Interea autem Stellatæ & telonariæ munitionis præſidiariis metu inſultûs auffugientibus, ambas Galli occupant, & relicta ibidem 27. tormenta bellica in urbem fulminando convertunt; ideoque Carolus ut propius urbis adeſſet periculo, ſuum Lauterburgi ponte volatili exercitum transmiſſurus, à Gallis centenorum aliquot in altera rheni parte internecione impeditus tendit Philippopolim, quem Crequius Weiſſenburgum uſque inſecutus omnia circumquaque ad tollendam hoſtibus ſubſiſtentiam devaſtat & expilat, ſolisque tantum Spirenſibus permittit neutralitatem; ideoque Carolus

Argentoratum cæſareum admittit præſidium.

à Crequio impugnatum.

rolus ſuperato prope oppidum Schreck feliciter rheno, ob alimentorum & pabulorum inopiam in Palatinatum deſcendens, militem ſuum Francofurtum uſque extendit.

Cùm interea Crequius Argentoratenſes ſive per oblatam rurſus neutralitatem, ſive ſecuritatem &c. ſibi conciliandi oleum & operam perdidiſſet, illos tandem hoſtes declarando, omnes ad urbem aditus arctiſſimè intercludit, graveſque omnis generis exercet in illos hoſtilitates: civitas econtra habito quotidie cum Badenſi Picolomino & Mercio conſilio in vigoroſam cuncta præparat defenſionem, Cantoneſque ſive Helvetos in armorum & defenſionis vocat ſocietatem, qui miſſis ad Regem Galliæ Deputatis ſignificabant, ut vel Crequium cum exercitu Argentorati invaſorem revocaret, vel ſciret exigente fœdere urbis ſe fore defenſores. Dein admiſſo decem millium tum Cæſareanorum, tum urbanorum præſidio, ingentia Gallis iteratis excurſionibus & tormentorum ejaculationibus intulêre detrimenta. Septimo enim Septembris urbani excurſores pretioſum Gallorum caſtrenſe pharmacopolium, ad telonariam munitionem deducendum [ubi ultra 400. defunctos aliquot centeni decumbebant ægroti] intercipiunt. Monclario ſub hæc abſente (qui urbem admodùm coarctaverat) & commeatum ex Lotharingia ad exercitum conduceret, Argentoratenſes Offenburgum, & omnes rheni inſulas recuperant, illaſque adeò communiunt, ut omnem ibidem Gallis Briſaci, & Seleſtadii oppeſſularint correſpondentiam: dein ſexdecim ad

Argentoratenſes magno Gallos afficiunt detrimento.

Cre-

Crequii caſtra annonarias naves cum ingenti commeatu & apparatu opulentiſſimo intercipiunt: prætereo aurea horologia, armillas, enſes &c. in argento 18000. imperialium paratæ pecuniæ, farinæ maldra 1123. viginti duo millia panum, omnis generis victualia, pretioſas veſtes, ocreas, calceos, lina & ſimilia magno numero & pretio. Hinc magna in Crequii caſtris annonæ caritas; in rhenana verò munitione tantus Gallorum ægrotantium erat numerus, ut nemo fer mè ſanus eſſet, & Galli incenſis tuguriolis ſuis, & octo pontis jugis eam deſeruerint. Crebris deinde excurſionibus utrimque eſt velitatum, Cæſareanis ut plurimum ſuperioribus. 6. demum Octobris Crequius conſumptis circa Landaviam & Weiſſenburgum omnibus pabulis, & victualibus alimentis, deſtructiſque tribus prædictis Argẽtoratenſibus munitionibus (quas Dux Carolus poſtmodùm reparari juſſit;) Hannovienſem inferioris Alſatiæ arcem montanam Lichtenberg, ob latam circumcirca planitiem multorum judicio inacceſſibilem & invincibilem, ob aquæ penuriam deditione capit, & evertit: pyrobolis enim & ſphæris igneis omnia ejus devaſtavit ædificia, & invento demùm commodo in monte ſubcuniculandi loco jam in aërem evibrare meditanti præfectus Dolne poſt generoſam undecim dierum defenſionem, & plurimorum Gallorum occiſionem, omni ſuccursûs ſpe fruſtratus 18. Octobris offert traditionem, Argentoratum cum 180. præſidiariis conductus. Fugiente interim æſtate Crequius in Lotharingia & Burgundia quærit hybernacula,

Arcem Lichtenberg Crequius capit & evertit.

Carolus munimentũ S. Martini erigit.

quæ & ſuis diſpartitus militibus Carolus, poſtquam ad ſylvam Herciniam haud procul Friburgo novum S. Martini munimentum, ad occludendum Gallis in Sueviam aditum, erigi juſſiſſet, ſimulque decem armatorum millia circum Argentoratum in omnem periculi avertendi caſum, & prædictarum ad rhenum munitionum reſtaurationem diſpoſuiſſet: tum Eslingam indeque Viennam ad Cæſarem eſt profectus. *Vid. num.* 166.

Scombergus & Luxemburgus Juliac. & Colonienſ. devaſtant.

154. In inferiori autem Germania Schombergus Confœderatos Brandeburgicos, Monaſterienſes, Luneburgicos, Oſnabrugenſes Juliacenſi Ducatu in Archidiœceſim Colonienſem expellit, qui Bonnæ & prope Duſſeldorpium in alteram rheni partem tranſierunt; & quia Juliacenſes trecenta imperialium millia contributionum impoſſibilia denegabant, præfecturas Randenrath, Geilenkirchen, Aldenhofen, & plures pagos expilant & incinerant. Luxemburgus præterea 15. armatorum millia in eundem Ducatum Juliacenſ. effundit, vicos varios diripit, & in dominio Laurensberg 4. pagos & eccleſias incendit, Juliacumq; arctè includit. Aquiſgrano 2500. impoſitis, Marcodurum, Sittardum, Linnich, Nidecken, Dahlen, Gladbach &c. invadit: inde Leodienſem irruens Epiſcopatum, ab eo reſtantia adhuc 38000. imperialium exigit; Leodii ſuburbium, & Walburgum diripit, omneſque circumcirca pagos & oppida opprimit, qui, uti & Juliacenſes menſtruum militi ſtipendium numerare, & Clivenſes ſub pœna incendii contributiones & 180000. vario-

rum

rum victualium portiones ſolvere cogebantur: immo proximam Cliviæ minabantur invaſionem; ideoque Monaſterienſes & Brandenburgicæ copiæ Veſaliam ſunt reductæ, ubi inter hanc & Rhenoberckam Brandenburgicus General. Spaan 8000. armatorum caſtra, Gallorum ultra rhenum tranſitum remorantia locavit. Ab archidiœceſi demum Colonienſi poſtulabant Galli 130000. portionum, quamlibet ad 3. ſchillingos æſtimatam, & boum 8000. tum Monaſterium Eifliæ, Berchemium, Zonſium, Noveſium, Kempenam, Urdingam [ubi forte rhenum in Cliviam tranſituri] occupant, ſpoliant, pro libidine ubique ferocientes, & ad portas uſque Coloniæ excurrentes; quæ urbs præſentiſſimis tunc expoſita periculis juventutem & novitium quotidie militem in armis exercebat, novum auctorabat, cunctaque ad defenſionem novus urbis præfectus Avila adornabat; quam clementiſſimus tamen Deus ſub multiplicium ſuorum patronorum præſidio abs Gallorum, aliorumque hoſtium inſidiis præ tot aliis Imperii Rom. urbibus & provinciis hucuſque conſervavit incolumem: Sollicitus eſt Deus de his, qui de ipſo ſunt ſolliciti. *Bernardus Serm. 70. ſuper Cant.*

à Cliven ſi avertunt Brandeburgici.

Colonia ſibi metuit.

Leopoldus hoc eodem anno ſororem ſuam Mariam Annam Joanni Wilhelmo hæreditario Principi Neoburgico Palatino 25. Octobris Neopoli in parentum ſuorum præſentia per Collonitſchium Epiſcopum deſpondit: & Montecuculum ſupremum exercitûs ſui legatum, in Imperii Rom. Principem, eundemque Rex Hi-

Matrimonium Mariæ Auſtriacæ cum Principe Neoburg.

Monte-
cuculus
ſit Prin-
ceps Im
perii
Romani

Hiſpaniarum Carolus II. ad Amalphitani Principatûs dignitatem, Piccolomino etiam antehac conceſſam, elevavit, meritis ejus dignam, qui ob militarem prudentiam Fabius cunctator celebris, annis 58. cunctando rem Cæſaris quodammodo reſtituit. Circa hoc idem tempus, decimâ ſextâ nempe Septembr. inclytus & bellicoſus Chriſtophorus Bernardus de Galen, Epiſcopus Monaſterienſis in oppido Bahus diem

Mors E-
piſcopi
Monaſt.
de Galen

clauſit extremum, ætatis anno 73. regiminis circiter 38. adoleſcens Bellonæ magis quàm Palladis diſcipulus, primò ſecutus militiam armatam, legionis pedeſtris ſub Archiepiſcopo Colonienſi tribunus, deinde ſacram, Monaſterienſis Canonicus & Prior, demum anno 1650. defuncto Ferdinando Colonienſi Electori, & Epiſcopo Monaſterienſi in eundem Epiſcopatum Monaſterienſem ſucceſſit, & urbem refractariam Mo-

Eligitur
Baro de
Fürſten-
berg.

naſterium Weſtphaliæ anno 1660. armis ſibi ſubjugavit. Cujus loco electus Ferdinandus Baro de Fürſtenberg, Epiſcopus Paderbornenſis, vir magnæ ubique etiam apud Alexandrum VII. Pontificem æſtimationis. Moguntiæ ſextâ De-

Mors
Epiſc.
Mogunt

cembris obiit quoque Damianus Hartthardus à Petra Elector, & Archiepiſcopus Moguntinus,

Eligitur
Baro de
Metter-
nich.

anno ætatis 55. & optimi per triennium circiter regiminis: cui anno ſequenti nonâ Januarii ſubſtitutus eſt Carolus Henricus Baro de Metternich Beilſtein, metropolitanæ ibidem Cuſtos.

Sueci anno priori abs Cæſareanis, Danis, Brandenburgicis, Luneburgicis, & Monaſterienſibus ad ſummas redacti anguſtias, in, & circa Stralſundum ad mare Balticum arctè concludebantur

bantur omnibus fermè regni provinciis, atque ipſa Inſulâ Rugia, præterquam unico fortalitio Fährſchantz exuti, adeoque Stralſundum omni privabatur acceſſu & commeatu &c. quare Konigsmarckius tum neceſſitate, tum Stralſundenſium perſuaſione & incitamento extrema tentaturus, ad prædictæ inſulæ litus haud procul Fährſchantz / nullo reſiſtente, cum quinque armatorum millibus appulſus, 18. Januarii Danos & confœderatos numero ſuperiores (7000. ajunt fuiſſe) & opportuno loco conſidentes plenâ acie aggreditur, & primo ſtatim impetu occiſo tormenti globo Danorum Generali Rumore, eorum ordines aciemque confundit; cumque Sueci Danos ab eminentiori loco ſeu colle dejeciſſent, ipſorumque capta tormenta in eoſdem verſa exploſiſſent, fugit equitatus relicto peditatu, qui aut à Suecis mactatus, aut captus fuit: immo & equitatus, ob nullum effugii locum Konigsmarckii diſcretioni ſe die alterâ tradit, qui omnibus confœderatorum vexillis & ſignis tam equeſtribus quàm pedeſtribus, tormentis, impedimentis, commeatu & bellico apparatu eſt potitus: inde in Ducatum Megalo-burgenſem, ad diſtrahendas hoſtium vires excurrens, plurima colligit ſpolia; audito autem Luneburgicorum adproperare Brandeburgicis ſuccurſum, mox ſe in Rugiam proripit, ubi plurimos confœderatorum captivos aufugiſſe ad ſuos comperit, ideoque in Scandiam cuſtodiæ causâ transportandos jubet; ipſe verò ingens exercitûs ſui augmentum 13600. ex Livonia expectans, gravem in Boruſſiam Brandeburgi-

Konigsmarckſius Rugiâ inſ. potitur.

cam meditabatur per Polonorum Curlandiam irruptionem, cujus tranſitum Patzius Polonorum archiſtrategus gravibus rationum literis & diſſuaſit, & omnino denegavit.

Suecî Chriſtianopolim capiunt.

Inter hæc tamen Sueci Chriſtianopolim provinciæ Bleckingenſis eminus cinctam arctius includunt, & proxima inſula Beegholm bellicis machinis oppugnaturi; ſed urbis præfectus General. ab Oſten 30. Martii excurſione factâ, omnes, præterquam 16. cædit, 7. naves, tormenta bellica, apparatum & commeatum capit, dieque altera urbem furioſius ex ultione aggreſſos non ſine inſigni rurſus detrimento & cæde repellit. nec minus generosè binos eorum impetus 25. Aprilis rejicit. Jamque præfectus inſigni hactenus fortitudine urbem propugnaverat, & fortè conſervaſſet, niſi dira illum fames ad ultimam uſque horam oppugnaſſet; Rex igitur Daniæ 14. fermè millibus urbem obſidione liberaturus, vix mille ab urbe paſſibus aberat; ſed non ſine admiratione Suecorum caſtra tam validis circumquaque aggeribus, vallis & munimentis ſpectat communita, ut nullibi neque terrâ, neque mari penetrari poſſent, nec Sueci ad prælium provocati comparere vellent: quare ſpe ſuâ Rex fruſtratus, urbisque præfectus ſubſidio fruſtratus, & fame coactus deditionem 10. Julii fecit, & cum ultimo panis bolo 1400. præſidiarii urbe exceſſerunt; civium vix 50. ſupereſtant, cæteri fame miſerrimè enecti.

Dani Engelholmiũ, Helſingburgum &c.

Dani econtra Engelholmum cum proximo munimento vi capiunt, incendunt & deſtruunt; occupant 19. Jun. Helſingburgum, & ipſum paulò pòſt

7. Jul.

7. Jul. urbis arcem, totius inſulæ Oreſand dominatricem, Suecis ſerò approperantibus; invadunt deinde Bahum, validum prope Gottenburgum oppidum, & incredibili ignis vexant vehementiâ, à quo tandem à Suecis repelluntur, feliciores in variis excurſionibus.

155. Fridericus Wilhelmus Elector Brandeburgicus ſuis interim collectis copiis tendens in Pomeraniam, præmittit Comit. Promnicium & tribunum Treffenfeld cum 200. dimachis & 300. equitibus, ut Konigsmarckii copias & exercitum recognoſcerent, qui Stralſundi ſuburbium inopinatè irruentes expilant, & grandem ſpoliorum, pecorum & equorum multitudinem abigunt, ingentemque urbi incutiunt terrorem, ex multiplicibus Brandeburgicorum obſidendæ urbis apparatibus ideo maximè auctum, quòd varias militares Danorum naves circum Rugiam cernerent vagari: quare Kônigsmarckius indefeſſo inſulam ſtudio in validam firmat defenſionem, literisque Stralſundenſes in imminente hoc periculo ad fidem & conſtantiam hortatur, erigitque terrore proſtratos, & ſuos circumcirca ſegetes à Brandeburgicis exuſtos miſerè deplorantes (quod idem & Gripswaldenſibus contigerat) nec vanum illorum erat augurium: Elector enim 1. Auguſti Wolgaſtum veniens omnia ad Rugiæ in ſinu Baltico occupationem, & Stralſundi præparat obſidionem, collatoque cum Danis conſilio hi ſub Archithalaſſo Nicol. Juelo, & tribuno Lôwenhelmo fugatâ Suecorum claſſe Jaſmund inter & Wittou feliciter, Suecis licet fortiter obnitentibus 23. Septemb.

Brandeburgus Rugiam invadit.

exſcendunt, & in eadem inſula validis loticis ſuam tumultuariè firmant ſtationem; quos Kônigsmarckius miſſis illuc aliquot legionibus repulſurus, ubi verò cernit Electorem ſub Archithalaſſo Trompio & Dorfflingo &c. eadem die prope Putbutſcher Weyck ſimilem tentare exſcenſionem, revocatis ſubitò prioribus legionibus omni licet vi & modo contraniteretur, loco tamen cum legato gallico Rebenacq cedere debuit, diffugientibus paſſim ab illo ad confœderatos in priori ejuſdem inſulæ occupatione captivis, à quibus adeo ſibi viam fugiendi intercludi metuebat: neve ſibi etiam à confœderatis elabendi via præriperetur, magnâ confuſione ad Stralſundenſem aggerem navibus & pontonibus, interfectis per viam pluribus equis, auffugit, è quibus duo præ nimia multitudine cum pluribus tribunis ſunt ſubmerſi, Dôrfflingus interim munitionem Fährſchantz / inſulæ clavem, armatâ capit manu, ac præter cæſos etiam 700. præſidiarios, ter mille equos, & inſignem apparatum.

His feliciter actis Elector mox novam quoque munitionem, & inſulam Dänholm, immo totam triduo Rugiam ſuæ fecit poteſtatis, quam Königsmarckius 4. armatorum millibus & 80. tormentis bellicis contra omnem hoſtium invaſionem totam, & probè communitam aſſerebat. Tum Stralſundum urbem hanſeaticam Rugiæ vicinam (penes multos invincibilem) cingens, binis ad magiſtratum, & præfectum Konigsmarckium literis ſub dato 1. Octobris, ſub graviſſima ignium interminatione deditionem exigit,

Illam, & Stralſundum occupat

gît,

git, ad cujus conſtantiſſimam denegationem & exploſionem 104. grandibus tormentis bellicis & 16. mortariis urbs adeo terribiliter flagellatur, inflammatur & devaſtatur, ut 24. horarum ſpatio 1500. ædificia & templa fœdè ſint conſumpta, civesque binis vicibus deditionem albis expoſitis vexillis obtulerint, quam pertinaciſſimè Konigsmarckius verſis in ipſos cives & urbem tormentis denegabat; viſa autem miſerrimâ totius urbis vaſtatione & irreparabili ruinâ, occupatisque ab hoſte exterioribus urbis propugnaculis, miſericordiâ tandem motus 24. die Octobis pactis liberi & militaris exceſsûs tabulis illam extradit: Elector urbem triumphaliter 30. Octob. ingreſſus magiſtratûs & civium homagium excepit, abſolutisque ibidem epulis Greiffswaldium caſtra promovet, ubi abs Luneburgicis Darmgardum 16. Octobr. ultroneâ deditione audit occupatum, Brandeburgico demum præſidio munitum; atque ita Rex Sueciæ omnibus Imperii Rom. provinciis & urbibus præter unicam Greiffswaldiam eſt exutus; quam tamen etiam continuis pyrobolis, & ſphæris incendiariis ad traditionem 16. Novembris honeſtis conditionibus Elector extorſit; congratulatusque Dobbrani à Rege Danorum Chriſtiano V. de felici hujus anni expeditione, & collatis invicem conſiliis hic Wiſmariam, inde Hafniam, ille Berlinum victoriis glorioſi abeunt.

Darmgardum etiam, Gripswaldiā & totā Pomeraniam.

Succi igitur Stetino, Stralſundo, Greiffswaldia, Darmgardo & totâ Pomerania orbati, 24. navibus ſub ſalvo Brandeburgicorum conductu in Sueciam patriam ſuam reverſuri, 14. Decem-

bris horribili noctu obortâ tempeſtate propè inſulam Bornholm omnes paſſi naufragium vel aquis, vel frigore periêrunt, vel à Danis capti & Hafniam deducti ſunt: nam omnis fermè peditatus 4000. eximia res tormentaria, 86. ænea inſignis magnitudinis tormenta bellica, 7. mortaria, archivium Pomeraniæ, ingens auri, argenti, gemmarum & mobilium theſaurus, totæ denique familiæ, 2210. homines miſere ſunt ſubmerſi: quo naufragii periculo Königsmarckium cum equitatu in inſula Uſedom remanentem navium exemit carentia; deſperata enim verò Suecorum tunc res erat, niſi Gallorum poſtmodùm interventu, & armorum comminatione fuiſſet reſtituta.

Suecorum naufragium.

Sub his quidem Sueci ad diſtrahendas Brandenburgicorum vires exercitum 16. millium armatorum in Livonia ope gallica collectum duce Hornio in Brandenburgicam Boruſſiam effundere machinabantur; ſed tardigradi nimium inde in Samogitiam ſunt rejecti: nam *Henricus* Hornius auditâ Stralſundi interceptione Memelburgi ſuburbium incendit, quo venti vehementiâ tota pene urbs flammis eſt conſumpta; alii ſcribunt ab ipſo urbis præfecto inflammatum, isque totam latè viciniam Memelburgo Tilſam uſque flammis devaſtavit, ut omnem planè Suecis tolleret ſuſtentationem: inde Hornius verſus arcem Ragnitiam progreſſus prope Tilſam è regione Brandeburgicorum ibidem excubantium caſtra metatus, paulò poſt transmiſſo Chrono fl. Görtzium in fugam agens, inſulam Kukerneſe, Ragnitiam & Inſterburgum inter-

Sueci Boruſſiâ irruentes rejiciuntur, & cæduntur.

tercipit; Trappiam quoque tentat; ſed inde repulſus, & à Brandeburgico Göttzio ibidem invaſus, inſigni clade 1500. profligatur; quare Elector ipſe toto cum exercitu magnâ celeritate provolans 28. Januar. 1679. Regiomontium pervenit, ubi Suecicus Comes Carlſon ſub veſte ruſtica ſpeculator intercipitur: inde Elector abit Gilgen, ſeu Gilgenburgum, & in Suecos præmittit Görtzium cum 4300. tribunum vero Treffenfeldum cum 800. equitibus & 200. dimachis; hic dexteram Suecorum alam inopinatè opprimens, quatuor eorum legiones internecive cædit, duobusque equeſtribus, & octo dimacharum ſignis eſt potitus; Görtzius autem poſtremum Suecorum agmen in Curlandiam tendens aggreſſus bis plane perrumpit & evertit, cæſisque 1200. & captis 200. cum omnibus impedimentis, apparatu & commeatu in fugam propellit, in qua verſus Samogitiam aliquot etiam mille proſtrati, duo millia capta, & 20. ſigna, ita ut pauci incolumes in Livoniam redierint. *Vid. num.* 157.

Eodem anno Turcæ quoque cum Moſcis ſunt colliſi: illi Ezecherinum 25000. Moſcorum præſidio munitum obſidione cingebant, Moſcis ad ejus ſolutionem cum exercitu 300000. accurrentibus, Turcæ quidem poſt furioſam impreſſionem, & 10. millium cædem urbem deſerentes cum Moſcis prælio concurrunt; primò victi, ſed recolligentes vires & animos Moſcos in fugam vertunt, & Ezecherinum repetentes armatâ capiunt manu & deſtruunt. **Turcæ Ezecherinum capiunt & Moſcos fundunt.**

Annus

Annus 1679.

156. Incipit annus 1679. quo Cæſar citra opinionem à Batavis & Hiſpanis deſertus, & à ſuperioris Germaniæ circulisFranconico,& Suevico emunctis haud dubiè deſerendus, pacem quoque cum Gallo fundamento pacis Monaſterienſis nixam amplectitur, contranitentibus Dano, Brandeburgo, Brunſwicenſi & Monaſterienſi,eandem ſibi urnam ominantibus; Cæſareos igitur 1. Februarii 1679. circa medium noctis convenientes, pacti inter ſe fœderis firmitatem & conſtantiam graviter admonebant, vetabantque omnino cum Suecis ad pacis monaſterienſis tabulas, ablata reſtituendo, paciſcendum; quæ enim ratio juſti belli jure parta, ſummo ſuo detrimento communi patriæ, imperiique Rom. hoſti reddere, & ulteriorem illi provincias alias, membraque Imperii invadendi, abſtrahendique anſam præbere? quod ſi fieret, damnorum ſe exacturos reſarcitionem; proteſtantes inſuper, ne quid fieret contra principum ſuorum jura, ſed juſtis ſe conditionibus vel ad paciſcendum, vel ad bellum omni vi & nervo promovendum paratiſſimos. Hæc animorum diſſenſio omnem pacis ſpem videbatur præſcindere; indefeſſo tamen Britanni mediatoris Lionelli Jenkins ſtudio & labore legatorum continuatæ ſunt conferentiæ: & quia tandem unica Ducatûs Bovillonenſis reſtabat controverſa reſtitutio, quem nomine epiſcopi & capituli Leodienſis Charunus & de Veck eorundem ablegati prætendebant, Mediatoris Nuntii Apoſtolici Aloyſii Bevilaquæ, plu-

Pax Noviomagenſis.

plurimùm ad catholicorum Principum tollendas differentias deſudantis auctoritate res eſt compoſita, & pax demum Noviomagi quinta menſis Februarii circa medium noctis eſt concluſa, & his conditionibus inter Cæſarem & Regem ſubſcripta: Pax Monaſterio-Weſtphalica ſit hujus Noviomagenſis baſis & fundamentum: Cæſari Philippopolis, Gallo Friburgum cedat. 2. Ducatus Bovillonenſis reſtituatur Duci Bovillonio, uti & ſuus Duci Lotharingiæ eo in ſtatu, quo fuit anno 1670. præter Nancejum, Mojenvicum, & Marſalum, perpetuò Galliæ incorporata; quorum loco Tullum Leucorum, aut aliud Duci Lotharingiæ dabitur æquivalens. 3. Guilielmo Principi Furſtenbergio libertas, & fratri ejus Franciſco epiſcopo Argentinenſi concedatur Imperii reconciliatio. 4. Utraque demum paciſcentium pars conabitur Danum & Brandeburgum, eorumque ſocios cum Suecis componere. Hanc Gallo cogente mox 5. Februarii ſubſecuta eſt pax Cæſareo-Suecica, in Monaſterio-Oſnabrugenſi fundata, quâ Cæſar Suecos Dano confœderatiſque reconciliabit, Ducemque Gottorpienſem Chriſtianum Albertum proteget. Cæſareo-Suecica.

157. *Verùm expectavimus pacem, dicentes: Pax, pax, & non erat pax; ſed ecce formido. Jerem.* 8. 11. 16. Confœderati namque omnes, Danus, Brandenburgus, Luneburgenſis & Monaſterienſis has maximè deteſtabantur pacificationes, dicentes Sueco jam penè oppreſſo, & ſuis exuto provinciis iniquè hucuſque ab Imperio Rom. abſtractis, ad honeſtiores potuiſſe

Gallos

Galli vexant Colonienſes.

Gallus cogit Brandẽburgum & Danũ cum Suecis paciſci.

Gallos cogi conditiones. Galliarum præterea locum tenens Calvo, præfectus Aquisgranenſis Coloniam Agrippinam civium captivitate, variisque ſub hæc vexabat exactionibus, uſque dum illi 120. coronatorum francicorum millia numerarent. Hæc cives conſtanter denegabant, gallosque viciſſim varios, & mareſcalli Humieres præfectum ſtabuli arreſto innodantes, ſubmiſsâ demum ſupplicatione Regis Galliæ gratiam & amicitiam 27. Februarii impetrant. Subinde Calvo 24. Martii Noveſio cum 32. peditum, & 6. equitum vexillationibus tendens Cliviam, ducatûs metropolim occupat, utque Brandenburgicum ad paciſcendum cum Sueco, eumque per omnia in integrum reſtituendum Rex Galliæ cogeret, transmiſſo ad oppidum Vrdingen Rheno, 28. Aprilis prope Angerath 30. millium caſtra eſt metatus, majoribus à Crequio copiis mox augmentandus; inde Unnam & Tremoniam uſque Brandenburgicum Generalem Spaanium cautè, propter ruſticorum inſidias, perſecutus, Inito tandem aliquot dierum armiſtitio, Veſaliam ad Lippam, ubi rheno maritatur, & Lipſtadium in Comitatu Marchiæ ſecuritatis causâ ex pacto occupat, quo 27. Maji elapſo in Marchiá ex Leodienſi epiſcopatu cum 10. millibus Crequius Calvum accedens, 16. Junii motis Lipſtadio caſtris Bilefeldiam Comitatûs Ravenſpurgenſis intercipit, & fruſtra Sparenbergo & Altenaviâ arce non ſine ingenti tum militum, tum intercepti auri detrimento tentatis, Herfortum, inde Mindam Weſtphaliæ ad Viſurgim fl. Crequius progreſſus, reperit in via 53.

Bran-

Brandenburgicas vexillationes opportuno Viſurgim inter & montem arboribus conſitum loco communitas, & irruentes Gallos generoſè repellentes; ſed Gallorum multitudini impares, plurimos illorum fugiendo ad urbem in Weſtphalia hanſeaticam Mindam proſternunt: ubi Spaanius caſtra trans Viſurgim ad urbis pontem figit, quo ei commodius novo ſemper miliæ, apparatu & commeatu poſſet ſubvenire: & quia urbs longitudine & latitudine vaſta, probéque communita nonniſi ſuperato Viſurgi circumcingi poterat, ejusdem Brandenburgici tranſitum Gallis aliquoties prohibebant, donec Calvo inferiùs illo transmeato omnes ſimul ex utraque parte Brandenburgos inſperatè aggreſſi, inde in urbem, Spaanio licet acriter adhortante, & fortiter obnitente rejecerint. Tunc Crequius cum cuncta in urbis diſponeret obſidionem, binis ad caſtra curſoribus 4. Julii pax Sueco-Brandenburgica ad S. Germanum inter legatos Brandenburgicum Minders, & regium Pompone 29. Junii concluſa & ſubſignata defertur. Galli depoſitâ tunc quidem hoſtilitate; ſed in exactionibus crudeliſſimi ita emunxerunt Weſtphaliam, ut plures intra annos vix poſſit reſpirare, uti & Clivia, Julia, Montes & Archi-Epiſcopatus Colonienſis ultra ſexcentena florenorum millia, præter innumeras alias contributiones pendere debuerunt. His peractis Crequius in regnum Daniæ per Monaſterienſem, & Luneburgenſem Ducatum in Oldenburgenſem ſe effundit Comitatum, in cujus urbe regii Daniæ conſiliarii metu congregati, ut Comita-

Pax Brandenburgo-Suecica.

mitatûs hujus effugerent ruinam, pacti ſunt Gallis ſolvere 124000. imperialium, præter alios immenſos quotidianos ſumptus, & 24000. imperialium à Comite Antonio ob ejuſdem captivitatem pendenda. Pax interim Gallo-Dano-Suecica in aula regia Fontis-bellaquei, 2. Septemb eſt compoſita & ſubſcripta, Crequiusque in Galliam reverſus.

Et Dano Suecica.

Sic inquam Ludovicus XIV. minaci ſuâ potentiâ omnes ſeptentrionales Principes ad pacem, & omnimodam Suecis faciendam coëgit reſtitutionem: Brunſwico-Luneburgenſes omnia occupata præter dominium Tettenhauſanum Sueco reſtituere, & hic Duci 300. imperialium millia in expenſarum ſolutionem tradere debuit, uti & epiſcopo Monaſterienſi Suecus centum millia numerando recepit, quidquid ille in Bremenſi & Verdenſi epiſcopatibus interceperat, reſtituendo. Hos demum ſubſecuti Danus & Brandenburgus; & hic quidem melioribus pactus conditionibus, ut Pomerania in Sueciam & Brandenburgenſem diviſa ſua cuique pars ſit attributa, huicque inſuper in ſumptuum computationem 300. imperialium millia à Suecis ſunt ſoluta, non ſine exigua Regis Suecorum in Gallos indignatione, quòd præter ſpem eorum deceptus promiſſis eo fuerit redactus; ideoque toto vitæ ſuæ tempore Gallorum ſemper abominatus eſt factiones. Ad hoſce Noviomagenſium pacificationum tractatus illuſit nonnemo ironice hoc verſu:

Proſpicitur modò, quod durabunt tempore longo

Fæ-

Fœdera: nec patria pax cito diffugiet.
Sed veriorem & contrarium omnino ſenſum dat præpoſtero ordine lectum & interpunctum:

Diffugiet cito pax patria, nec fœdera longo
Tempore durabunt, quod modò proſpicitur.

Notabile namque erat pacem hanc ad horam primam noctis pactam, & non ſine omine vix unius anni duratione ſubſcriptam; unde alius quidam:

Firmatâ cur pace ſonum campana dat unum?
Unus qui pacem terminat, annus erit.

Nam omnes protinus Gallus contemeravit pacis articulos: gallicus etenim exercitus Imperii Rom. adhuc inhærebat viſceribus, urbibus & locis, quæ vi articuli 27. pacis Noviomagenſis evacuare & dimittere tenebatur; immo ab eisdem violenter extorquebat contributiones: decem inſuper Alſaticas civitates, earumque nobilitatem ad fidelitatis adſtringebat homagium, ſibi tanquam ſupremo domino præſtandum: forenſes cauſas & lites ab imperiali Spirenſi Camera ad novum gallicum appellationis dicaſterium adduci & decidi volebat: feuda ſibi Metenſe, Tullenſe & Verdunenſe arrogat: fiſco addicebat regio bona, & annuos capituli Argentinenſis reditus, variaſque urbis faciebat prætenſiones: novis Schletſtadium & Huningam operis roborabat: Mompelgardiam non evacuabat, occupabat Bitſch & Homburgum &c. quæ omnia & ſingula directè paci Monaſterienſi & Neomagenſi, aliiſque tum anno 1650. Norimbergæ, tum anno 1661. in comitiis Ratiſponenſibus per arbitros pactis con-

Gallus pacis articulos contemerat

traibant, quam iniquam pactorum violationem Cæſar conſilio & conſenſu Imperii Ordinum tum literis, tum legatione Galliarum Regi ad oculum demonſtrans, nihil effecit, ut videbitur infra *num*, 162.

158. Cæſar pace utcunque cum Gallo Turcarum metu compoſitâ, generoſiori nunc animo rem cum Ungaris acturus, concluſo utrimque armiſtitio pacem afflicto regno neceſſariam his offert conditionibus, quòd nimirum Cæſar vellet, juberetque extincto in perpetuum palatinatu regni adminiſtrationem, ſeu Vice-regem, à ſolo inſtituendum Cæſare : templa deinde Proteſtantibus non intra, ſed extra civitates in pagis ſolum & vicis permiſſurus : & antequam tentaretur utrimque compoſiti, externum prius Ungari dimitterent militem. Plures comitatus rerum neceſſitate adacti, dato eorum delegatis ad regni comitia aditu, ad pacem inclinare viſi fuerant; ſed novis anteſignani Töckelii ſuggeſtionibus, & Abaffii Tranſylvanorum Principis auxiliis erecti, induciis & armiſtitio neglecto, rurſus ad arma redeunt : copiarum namque (quas in Polonia publico Regis Galliæ Ludovici XIV. nomine Ungaris militaturas Bohamus collegerat) miſſione vi pacis Neomagenſis factâ, & ducibus ſeu tribunis exauctoratis, dum ille per Tranſylvaniam reditum in Galliam inſtituit, à principe Abaffio rixæ cujusdam prætextu detentus, paulò pòſt cum Töckelio aliiſque conferentiæ aſſiſtit, in qua arma reſumi decretum fuit, offerente Bohamo, dimiſſos omnes ad ſigna ſe revocaturū, primamq;

præ-

præſtiturum operam, quæ per ultima Regis Ludovici mandata intermiſſa videbatur. Ungari vix hæc auribus perceperant, plures comitatus violato mox armiſtitio inſolentiori in patriam crudelitate ſunt graſſati, & Töckelius Cæſaris gratiam, Ragotzianæ viduæ, Petri Serini filiæ, conjugium procando, cum minùs benevolè fuiſſet exceptus, factus ferocior varia rurſus occupat loca, & convocatis propriâ auctoritate Coloswarii comitiis, de continuando promovendoque in Cæſarem bello Ungari conſultant: peſte tamen per Ungariam ſæviente quodammodò ſunt coerciti, quæ deinde Styriam, Auſtriamque atrociter aggreſſa, ingentem hominum ſtragem edens, in ſola Vienna ſupra 70000. abſumpſit, Cæſaremque Pragam fugere compulit; cujus thedarium in ipſo ſuſtulit itinere. Qui hominum defectus brevi magno opificum ad urbem concurſu eſt ſuppletus; adeo ut natali Chriſti die 95. conjugum paria in eccleſia S. Stephani ſint copulata, peſtisque invaleſcente frigore remiſit.

Töckelius & rebelles rejiciũt armiſtitium.

Eodem fermè tempore Comitis Nicolai Serini filius adultam adeptus militandi ætatem, Cæſarisque aucupatus gratiam, paternam hæreditatem & bona, ab aulicis quibusdam hactenus miniſtris tanquam Petri Serini, læſæ majeſtatis rei confiſcata, injuſtè invaſa, jure ſibi debito repetit, jubetque Cæſar omnia reſtituere.

Adeſt ſub hæc Viennæ Kalendis Julii Legatus Moſcoviticus, qui ante pactas cum Turcis inducias of- & defenſivum deferebat fœdus, dummodò Cæſar turcico Soldano bellum denuntia-

ret, illi certò à Turcis mox inferendum. Suadet illud Montecuculus, ſuadet illud ſummus per Nuntium ſuum apoſt. Pontifex, urget illud per Radzivillum legatum ſuum Rex Poloniæ Joannes II. contra imminentes Turcarum machinationes ſolitò terribiliores, of- & defenſivum quoque fœdus offerens: unus illud refugit Leopoldus, vicennales temerè inducias, anno 1684. primùm finiendas, non violaturus; ſed earum potius per Kaunitzium ad Portam Ottomannicam Reſidentem petit prolongationem: quam à Soldano omninò repudiari ſignificabat Kaunitzius, eoque nunc minùs impetrandam, quòd pax Polono-Moſco-Turcica nuperrimè concluſa eſſet & confirmata: ideoque Cæſar oblata tunc fœdera non omninò quidem rejecit; ſed opportuniori neceſſitatis reſervavit tempori, & ſepoſitis violentis benigniora ſecutus conſilia, Rebelles clementiâ ad obedientiam revocare tentavit. *Vid. num.* 163.

Cæſar non vult violare inducias cum Turcis

159. Gravis in Anglia adverſum Catholicos, præcipuè ſacerdotes & Patres Societatis Jeſu ex falsè conficta Titi Oatis potiſſimùm, Dugdali, & Bedlowi criminatione, exorta eſt perſecutio, & infami mortis in multos ſupplicio, in plures exilio animadverſum, metu introducendæ & augendæ religionis Romano-Catholicæ, quam affectare clam Regem ſuſpicabantur. Ficto igitur in Regem conſpirationis & necis à Catholicis intentatæ prætextu, ad ſuæ ſectæ conſervationem in plurimos innocentes adeo iniquè ſæviebat parlamentum, ut Rex illo depoſito novum (quod à ſeculo erat in-

Catholici in Anglia opprimuntur.

inauditum) inſtituerit; & hoc iterum reformarit; nec Anglorum tamen mitigare poterat ſævitiem, licet plurium demonſtraret innocentiam. Immo Jacobus Dux Eboracenſis regis frater quia Romano-Catholicam induerat religionem, Regis conſilio & juſſu Britanniam deſerens fugit in Hollandiam Hagam Comitis, pòſt Edimburgum in Scotiam: parlamentum verò in Romano-catholicæ religionis odium, & ſuæ ſectæ conſervationem & propagationem eundem Jacobum, & omnes ejus hæredes jure ſucceſſionis in Regnum Britanniæ privat, adigitque Regem, ut omnes & ſingulos Principes Romano-Catholicos à coronæ Britannicæ ſucceſſione omnino excludat. Deinde præter alios quinque Patres Societatis Jeſu, P. Thomam Withebread provincialem, P. Wilhelmum Harcourt Rectorem Londinenſem, P. Jonam Fenwick procuratorem, P. Jonam Gawen, & P. Antonium Turnerum conſpiratæ in Regem necis, & propagandæ Romano-Catholicæ Religionis,noviq;Regiminis reos accuſatos, infami ſupplicio patibuli ſuſpendendos, & in quatuor partes ſecandos judices condemnarunt: ipſi verò Patres fictæ criminationis hujus nunquam plenè convicti ſuam publico ſermone conſtanter innocentiam coram Deo & hominibus conteſtantes, contumelioſam fortiter mortem pro fide Romano-Catholica 30. Junii Tyburni ſuſtinuerunt. Ob ſimiles in Scotia tumultus doctor Scharffius S. Andreæ archiepiſcopus pluribus in itinere confoſſus vulneribus, 13. Maji miſere periit; eratque tunc afflictiſſimus Angliæ

Patres Soc. in Anglia martyres.

& Scotiæ ſtatus, Romano-Catholicis admodum fatalis. Quod Ludovicus Rex Galliæ ferebat ægerrimè, ideoque Galliæ Reformatos ſeu Calvinianos ſuis ejecit templis, quædam planè evertit, univerſitatibus Paylaurentenſi & Samurenſi eosdem ſpoliavit: imo credebantur Regis imperio univerſo plane regno ejiciendi. Florentiſſimum autem hoc Angliæ regnum per annos circiter mille non aliam quàm Romano-Catholicam habuit fidem, à S. Gregorio Magno pontifice per Auguſtinum, & alios viros doctos hac ratione motivâ inductam, ut refert *Beda lib. 2. hiſtor. cap. 1.* Quòd dum venuſtos Romæ pueros venum expoſitos vidiſſet, quos Anglos diceret mercator, reſpondit: Angelis vicinos eſſe ſpecie, ſicut & nomine. Cùmque provincia Nothumbriæ accepiſſet oriundos eſſe, quæ Deira dicitur, appoſitè inquit, quoniam de ira Dei ſunt eruendi. Et jam inde Inas ſecundus Rex Saxonum Occidentalium anno 698. Romæ fundavit Seminarium Anglicum; in quem finem ſingulis regni ſui domibus impoſuit cenſum unius denarii annui; qui cenſus tandem auctior per totam Angliam ex devotione per octingentos fermè annos penſus fuit pontifici; inde dictus cenſus S. Petri, uſque ad annum ferè 25. Regis Henrici VIII. qui ob refutatos doctè Lutheri errores titulo Defenſoris fidei à Leone X. anno 1521. eſt decoratus, quem veluti perpetuum & immortale regiæ gloriæ monumentum in ejus poſteros transfundendum conſtituit. At ubi ex Catharina Ferdinandi & Eliſabethæ Hiſpaniæ Regum filia, Arturi fratris natu majoris vidua

Quod ægrè fert Rex Galliæ.

Anglia Catholica quondā.

Ibidem cenſus Petri.

vidua nullam prolem maſculam, ſed ſolam Mariam ſuſciperet, veluti naturæ conditori indignatus, conjugium hoc contra leges Chriſtianas temerè contractum, ipſemet illud pontificiâ auctoritate contemptâ reſcidit, atque Angliam exitiabili ſchiſmate ab eccleſia Romana 1534. divulſit. Repudiatâ enim Catharinâ ſuperinduxit Annam Bolenam, concubinarum ſuarum, alterius quidem ſororem, alterius filiam, adeoque ex ſeipſo fortè genitam (quia Mariam, Annæ matrem, prius cognoverat) quam tamen poſtmodum cum fratre concumbentem ſecuri percuſſit, patre ejusdem inter judices conſidente. Ex hac Anna genuit deinde Henricus adulterinè filiam, novam Jezabelem, Eliſabetham poſt quintum menſem ab infandis nuptiis, & anno 1534. eccleſiæ Anglicanæ ſe caput (uti poſtmodum mortuo Henrico & Eliſabetha idem fecit) conſtituit, Annatas & decimas ſibi arrogat, Canonicos Regulares & Monachos Minoritas imprimis ex monaſteriis expellit, Epiſcopum Roffenſem, Thomam Morum pluresque alios præclaros viros mortis afficit ſupplicio. Et hæc ſunt encænia Anglicanæ eccleſiæ ſic reformatæ; hic lapis angularis, hic Puritanus, ſic prurit anus: hic ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina. *Job.* 31. 12. *Vid. num.* 162. Ceterum Ludovicus Rex hoc anno à Genevenſibus hoc impetravit privilegium, quòd ſuus Galliæ legatus in ſuo ibidem domeſtico ſacello libere ſemper miſſæ Sacrificium more Romano celebrari, & in-

Henricus VIII reformavit eccleſiæ Anglicanæ caput.

intereſſe poſſet; quod Genevenſes à tempore reformationis 1535. nunquã permittere voluerunt.

Rex Daniæ Hamburgum infeſtat; ex compoſitione paulò pòſt diſcedit.

160. Rex Daniæ Chriſtianus V. initâ cum Sueco pace, auctoque nihilominus exercitu, Drachenburgi metatus caſtra, Hamburgo urbi imperiali & hanſeaticæ ad Albim fl. in ducatu Holſatiæ metum obſidionis injicit & circumcingit: magiſtratus illico militem auctorat, ſuppetias ab Anglo, Brandenburgo & Luneburgo petit & impetrat; & hic quidem ut inferioris Saxoniæ circuli director aliquot ſine mora præſidiariorum millia ſubmittit, miſſisque magiſtratus ad Regem deputatis, tam inſperatæ cauſam infeſtationis inquirit; qui debitum antiquitus urbs homagium ſibi ut Holſatiæ duci, vi pacti Sternburgenſis præſtandum, dein inſolentiarum & injuriarum ſibi illatarum compenſationem exigebat. Cui Hamburgenſes: Pacti Sternburgenſis effectum tanquam Imperii Rom. ſtatutis contrarium, nullum hactenus habuiſſe effectum, & omnino eſſe rejectum, urbemque ab anno 1473 imperialem ſemper agnitam, ad Imperii Rom. Comitia vocatam, & ut talem, contradicente licet anno 1510. Domo Holſaticâ, in comitiis Auguſtalibus coram Cæſare Maximiliano I. & in Camera deinde Spirenſi confirmatam, huculque cenſeri im̃ediatè imperialẽ: ipſe adeo imperabat Cæſar Leopoldus Regis petita omnino rejicienda: & quia aliorum Principum conſilio rem amicâ compoſitione, auro potius quàm ferro dirimendam ſuadebatur (id quod Danus ad reſarcienda prioris belli damna affectare videbatur) mediatoribus Cæſare, Rege Galliæ, Brandenburgo,

&

& Luneburgo res Hamburgi 11. Novembris 1679. per Interims-Receſſum, citra ullum utriuſque partis præjudicium aut derogationem ita eſt compoſita: Tam Regi quàm urbi Hamburgo ſua hactenus jura permaneant utrimque inviolata, uſque dum homagii controverſia vel per pacificam tranſactionem, vel judicialem ſententiam dirimatur, maneatque urbs neutralis, in ſuis commerciis, juribus, privilegiis & libertatibus intacta & indemnis: in cujus recognitionem, & gratiarum actionem urbs Regi Chriſtiano biennii ſpatio in quinque ſolvet terminis 220. imperialium millia, quo receſſu utrimque ſubſcripto & conſignato, miles Danicus ad hybernalia deceſſit.

161. Varia Madriti inter aulæ miniſtros & regni ordines de Regis ſui Caroli II. deſponſatione agitabantur conſilia, quidam Cæſaris ſuadebant filiam, quàm certas ob cauſas (proprii forte intereſſe) Joannes Auſtriacus ſupremus aulæ & regni moderator diſſuadebat, & præponebat Portugalliæ infantem; Rex ipſe Carolus ſive aliorum perſuaſione, ſive propriâ inclinatione ad firmiorem pacis nuper pactæ nexum eligebat Mariam Aloyſiam Aurelianenſem, Philippi Aurelianenſis, & Henricæ Reg. Angliæ filiam, venuſtate, humanitate, prudentiâ, aliiſque virtutibus inclytam, eamque ſplendidiſſima ad aulam gallicam legatione per Marchionem Balbaſos 11. Julii concupitam Rex lubens addixit, hiſpanicæ fortaſſis jam tunc, ut quidam volunt, ſpe ſucceſſionis: quam Galliæ Regis juſſu Princeps Harcourtius cum conjuge ſua per Pyre-

Deſponſatio Caroli II. Reg. Hiſpaniæ.

næos montes in Hiſpaniam ad vicum Quintanam Pallam, tribus milliaribus Burgo, veteris Caſtiliæ metropoli, diſtantem conduxit, ubi Carolo Regi copulata, & 20. Novembris ſplendidiſſimo apparatu Burgum, ſeu Burgos, eſt introducta, hìc Harcourtius perſonâ paranymphi exutâ induit extraordinarium Regis Galliæ legatum, proque Reginæ comitatu muneratus à Carolo Rege dono 25000. coronatorum.

Mors Electoris Moguntinenſis. Vitâ functus Aſchaffenburgi Carolus Henricus à Metternich Bilſtein, Archiepiſcopus & Elector Moguntinus, tactus apoplexiâ, quâ ſeptem intra annos quatuor Archiepiſcopi Moguntini obierunt: hic Carolus vir ſapiens & amicus Cæſaris, magna ſpondebat Rom. Imperio, ſi vita permiſiſſet; electus enim Archiepiſcopus in Aprili 1679. ejuſdem anni menſe Septembri 26. moritur: illi 9. Novembr. in Electoratu ſucceſſit Franciſcus Fridericus Baro ab Ingelheim, Capitularis Archipresbyter & Gubernator Erfordienſis, excluſo competitore Guilielmo Comite Fürſtenbergio, qui Pariſiis Francofurtum adveniens ingenti ſtudio & labore iſtam ambiebat dignitatem, in comitiis & rebus Imperii Romani præeminentem. Obierunt etiam Joannes

Mauritii Naſſovii. Mauritius, Princeps Naſſovius unitarum Provinciarum Mareſcallus, & Cliviæ Gubernator, anno ætatis octuageſimo: Et Joannes Fridericus Dux Hanoveranus Romano-Catholicæ religioni 1651. addictus, & Albo Nobilium Venetorum inſcriptus; ideoque Venetias profecturus, Auguſtæ Vindelicorum 18. Decembris decedens, viam mortis ingreditur, pater Wilhelminæ

Friderici Hanoverani.

minæ Amaliæ, tunc Romanorum Imperatricis, quem frater ejus Erneſtus Auguſtus Epiſcopus Oſnabrugenſis Venetias etiam ſubſecuturus, audiens fratris Friderici obitum, ex itinere reverſus, Ducatûs poſſeſſionem ob hæredis maſculini defectum capit; fuit enim ex conjuge Benedicta Henrietta Philippa, filia Eduardi Com. Palatini Rh. genitor quatuor tantùm filiarum, quarum duæ ſuperſtites, Charlotta Felicitas nupta Rinaldo Duci Modenenſi, & prædicta Wilhelmina. Madriti poſt 23. dierum infirmitatem 17. Septembr. vitam cum morte mutavit Joannes Auſtriacus, Philippi IV. Regis Hiſpaniarum [qui eodem menſe & die ante 14. annos ibidem deceſſerat] nothus, hactenus pro Carolo II. minorenne totius monarchiæ hiſpanicæ moderator, maximis aulæ & invidiæ turbinibus agitatus, triplici tandem febre, non tamen etiam ſine veneni ſuſpicione, necdum 50. ætatis anno ſublatus: Princeps ſingulari ſubditis humanitate chariſſimus, Deo pius & devotus, naturæ talentis excellentiſſimus, 5. linguarum peritus, & ex variis Gubernatoris in Belgio, in Arragonia, Catalonia &c. Protegis functionibus monarchiæ hiſpanicæ ſcientiſſimus. Schleiſemii prope Monachium Ferdinandus Maria Dux & Elector Bavariæ 26. Maji bene pranſus, in momento deficiens, medicum & confeſſarium poſtulans, ante eorum adventum catharro ſuffocatus, necdum 50. ætatis annum attingens, Princeps pius & pacificus, ideoque ſemper neutralis, nunquam adduci potuit, ut vel Cæſaris, vel Hi-

Joannis Auſtriaci, | Ferdinandi Elect. Bavari.

ſpa-

ſpani, vel Galli, alteriusve partes in bello ſequeretur: poſt ejus mox obitum Ludovicus XIV. hæreditario ejus Principi Maximiliano matrimonium cum Duciſſa quadam gallica propoſuit, cujus reſolutionem minorennitatis 18. annorum tutor, Maximilianus Philippus frater Patris Ferdinandi ad ejuſdem diſtulit majorennitatem, qua ſibi pro inclinationis ſuæ affectu ſimilem poſſit ſeligere. Hæc Galli propoſitio & intentio, quòd ad majus Galliæ augmentum, & Germaniæ Romanique Imperii tenderit decrementum facilè quilibet perſpexerit; Gallus namque ſub ſpecie pacis nuper compoſitæ truculentius continuato bellico terrâ marique apparatu, militumque augmento bellum moliebatur, toti Italiæ formidabile; & quia præter apparatum ingentem quoque commeatum Pignarolium conduci curabat, Ducemque Sabaudiæ per Abbatem Eſtradem in belli forſitan ſocietatem ſollicitabat metuentes ſibi Genuenſis respublica, & Status Mediolanenſis, ſtrenuam utrobique adornabant defenſionem: quod idem Dux Mantuanus in roborando Caſalio, Dux Florentinus Liburno, aliique Italici Duces ac Principes ſuis invigilando urbibus & Ducatibus ſedulò faciebant; Pontifex verò miſſo Pariſios ad Regem legato rogabat claſſem illius Pontificiæ, Venetæ, & Florentinæ contra Turcas conjungi; ſed fruſtra laboravit apud confœderatum Turcarum ſocium, ut latiùs ſecundâ parte videbitur.

Gallicus apparatus bellicus.

INDEX

✱)(o)(✱

INDEX
RERUM & VERBORUM
PARTIS PRIMÆ,
Indicans numerum marginalem.

A.

ABaſſium Turcæ Kiminijano in Tranſylvania ſubſtituunt. *Num.* 11. Cædit Keminijanum. 21 Claudiopolim fruſtra cingit. 21. Zeikelheidam Cæſari rebellem capit. 40. Claudiopolim occupat. *ibid.* Imploratur ab Ungaris. 115. Fit Catholicus. *ibid.* Poſtulata ejus à Cæſare. 137. De Tranſylvania cum Pedipolo contendit & vincit. *ibid.* Rebellibus militem mittit. *ibid.* *Vide Ungari, Rebelles, Turca.*

Abas Perſarum Rex favens Catholicis moritur. 71

Ærias ab Humiere capitur. 140

Æthna multos incendit pagos. 87. 139

Alcantaram Luſitani occupant. 53

Alexander VII. fruſtra urget Hiſpano - Gallicam pacem. 2. Diſſidium ejus cum Ludovico XIV. 36. Auctorat militem. *ibid.* Sex creat Cardinales. 39.72 Pax inter eum & Ludovicum. 39. Ejus ſubſidium contra Turcas. 47. Ejus cum Venetis maris diſcordia. 55. Infirmatur, moritur. 72. 76. Laus. *ibid.*

Algirienſes ignibus vexant Galli. 51.61

Aloyſia Reg. Luſitaniæ monaſterium ingreditur. 32

Alphonſi Regis Luſitaniæ nuptiæ. 22

Alſatiæ urbes imperiales capit Turennius. 122

Altenburgenſis Ducis mors. 111.

An-

Angliæ regnum reſtituitur Carolo. 11. 9. Anglorum in reges impietas. 9. Anglo - Luſitana pax. 18. 20 Angliæ rebellio. 16. Regis latrones damnantur. 24 Hæreſum variatum nutrix. *ibid.* Stuarti familia Angliâ eliminatur. *ibid.* Batavis Capo-Verde &c. eripiunt. 53. Smirnenſem eorum claſſem invadunt. *ibid.* Batavos vincunt. 60. Eorum claſſem incendunt. 66 Eos Ruyter cædit. 65. Eos Rex Taffelet contemnit. 87. Rex parlamenta conciliat. *ib.* Promiſſio ei à Gallo facta. 91. Cum Suecis Gallo adhærent. 98 Gallo confœderati à Batavis cæduntur. 104. Rex ambit deſpoticum imperium. *ib.* Eos Batavi vincunt. 119. Hiſpani Anglum ad pacem diſponunt. 120 Angliâ Catholici eliminantur & opprimuntur. 35. 126. 159. Pax Anglo-Batavica. 120. Quid à Batavis poſtulent. *ib.* Terrentur Gallorum expeditione. 151. Bellum in Gallos parant. 152

Annæ Auſtriacæ Reg. Galliæ mors. 71

Annæ Mediceæ mors 142

Annus jubilæus 135

Antiquorum fœdera 5

Aquiſgranenſis pax 80

Argentinenſem pontem Galli deſtruunt. 111. Admittunt Cæſareos. 153. Multum nocent Gallis. *ibid.*

Armenorum legatio ad Innocentium XI. 149

Armiſtitium ſub Montium Hannoniæ obſeſſione. 152 Illud Ungari rejiciunt 158

Arragoniæ Prorex fit Joannes Auſtriacus 84

Arrieban Gallicus evocatur 129

Aſyli jus Innocentius tollit 148. 150

Audenardi obſidio ſolvitur 131

Audomaropolim Galli capiunt 144

Avenion Gallus capit. 36. Redditur Papæ cum tumultu. 39.

Google

Averſpergus Viennâ eliminatus 86
Auranum defenſum 138
Auria Genuenſis 70
Auriacum de Witt odit. 91. 100. 107. 108. Fit Batavorum archiſtrategus. 107. Non pacem ſed libertatem quærit, 107. Illum vult populus reſtitui. 108 Dordracum ſublato edicto illum primo reſtituit. *ib.* Illud Ordines confirmant. *ib.* Ejus vitæ inſidiantur de Witt. 109. Renovat magiſtratus. 110. Ei Gallus & Anglus Hollandiam offerunt. *ib.* Nardenum occupat. 121. Per Brabantiam vadit Bonnam. *ibid.* Trajectum irritò cingit. 140. Poſtulatur ad priora officia. 143. Fruſtra tentat Caroloregium. 144. Ejus prælium cum Luxemburgo victo. 153. Ejus periculum. *ibid.*
Auſtriam Turcæ barbarè vaſtant. 30. Eâ Judæi eliminantur. 86

B.

BAlaſſi Ungari rebellio 70
Barcanum Soucheſius incendit 47
Bataviam rhenus efficit diviſus. 100. Eam Gallus occupat. 101
Batavi occupant Eyderſchantz. 37. 53. Illis Angli Capo-Verde &c. eripiunt, & Smirnenſem claſſem invadunt. 53. Auriacum ab officio dejiciunt. 54. Ab Anglis victi. 60. Irritò Anglorum claſſem irruunt. *ib.* Ruyteri felix Indiæ expeditio. 60. Eos Epiſcopus Monaſt. invadit, 60. Pax cum eo. 65. Victi, & victores. *ib.* Eorum claſſem Angli incendunt. 66. Pax Sueco-Batavica. 77. Præcedentiam præ principibus ambiunt. 91. A Brandeburgo admonentur periculi. *ib.* Mittunt de Groot Pariſios. *ib.* Non timent Ludovici invaſionem. *ib.* Diſcordes eorum factiones. 98

98. Eos quadruplici exercitu Gallus invadit. 99. Capiuntur Maſeicum, Weſalium, & plures urbes ob diſcordiam. 99. Negligentiâ Schenckeſchantz, Arnheim, Zutphen &c. amittunt. 100, 101, 102. Anglus eis bellum indicit & invadit. 104. In Naumachia Anglos & Gallos cædunt. *ib.* Gallus fruſtra ambit Hollandiam, cauſa. 105. Eorum Archiſtrategus fit Auriacus. 107. Quot eorum urbes Gallus occuparit. *ib.* Non pacem ſed libertatem volunt. 107 Coverdum recuperant. 110. In prælio contra fœderatos vincunt. 119. Pax Anglo-Batavica. 120 Quid ſinguli à Batavis poſtulent. *ib.* Tractatus reſcinduntur. *ib.* Batavorum tres provincias Galli deſerunt. 123. 131. Iis Monaſterienſis pacificatur. 131 Tentant fruſtra Normandiam. *ib.* Pacem deſiderant. 152. Pax Gallo-Batavica 153

Bavarus pro Gallo Cæſarem dehortatur à fœdere. 111 Suadet eidem pacem 138

Belgium an habeat jus devolutionis. 75. Illud Ludovicus invadit *ibid.*

Bentheimenſis Com. connubium & converſio. 82. Comitatus ab Epiſcopo Monaſt. occupatur, & lis componitur *ibid.*

Bipontum Galli capiunt 140

Biſantium Gallus capit. 129. Proditio 131

Bochainum Galli occupant 140

Bona temporalia religioſi non poſſunt emere 79

Bonnam Auriacus obſidet. 121. Deditio 122

Bononienſis tumultus 22

Borrhus Leopoldo ſervat vitam. 79. Ejurat hæreſim. 112. Curat Clementem X. & Scluſium. 116, 122

Boruſſiam Sueci invadentes rejiciuntur 155

Bouttange irritò tentatur 102

Bran,

Brandenburgus Magdeburgum ſubjicit. 69. Ejus cum Palatino provinciarum contractus. 69. Cæſarem in conjuratione ungarica juvat. 89. Rejicit gallicum fœdus. 91. Seriò Batavos periculi admonet. *ib.* Conjungit ſe cæſareis. 111. Pax Gallo-Brandeburgica. 117. Suecos eliminat, iiſque plura adimit. 137. 143 Stetinum capit. 148. Avertit Gallos à Clivia. 154 Invadit Rugiam, capit Stralſundum, Darmgardum, Gripswaldiam, totam Pomeraniam. 155. Suecos Boruſſiâ eliminat. *ib.* Eum cogit Gallus paciſci cum Sueco. 157. Pax Brandenburgo-Suecica. *ibid.*
Brema à Suecis invaſa & ſubjecta 69
Briſgoviam Galli devaſtant 136
Brunopolis Luneburgicis ſubjecta 90
Brunſwicenſium fratrum diſcordia 59
Bullion capitur 140
Burgundiam Gallus occupat. 80. 129. Ejus proditor. *ibid.* In eum plebis tumultus. 84. Burgundorum ſtrages 129

C.

CÆſar ad bellum ungaricum ſe præparat. 21. Ratisbonam ad comitia tendit. 27. Abit Lincium. 30. Cæſareæ aulæ incendium. 78. Ejus cum Principibus fœdera. 111. Contra quod Bavarus proteſtatur. *ib.* Mittit Montecuculum in Germaniam. *ib.* Cum Hiſpano bellum Gallis indicit. 119. Luſtrat exercitum, & mittit Bonnam. 122. Ejus proteſtatio ad Deum. *ib.* Quærit rebelles ungaros pacificare. 137 Ei naſcitur Maria Joſepha. 138. Regna ſua vovet S. Joſepho. *ib.* Bavarus ſuadet ei pacem. *ib.* Rebellibus pacem proponit. 147. Rebelles cæſareos cædunt. 143. Pax Cæſareo-Suecica. 156. Non vult

Cæſar violare inducias cum Turcis primus. 158
Vid. Leopoldus. Rebelles. Ungari.
Calvus Leviam occupat 152
Camera d' edict tollitur in Gallia 80
Cameracum Galli occupant 144
Caminecum Turca capit 114
Campana prodigioſa 26
Candiæ obſeſſio. 73. Grandis Chriſtianorum excurſio 81. 85. Subſidia ei mittuntur. 85. Periculum, deditio quanti ſteterit, 85. Proditor ejus *ibid.*
Caneæ vel Cydoniæ obſeſſio 64
Canis fidelitas 34
Caniſia à Serinio tentatur 42. 43
Canoniſatio quinque Sanctorum, & ritus ejuſdem 94 Pii V. 112. Gorcomienſium. 135. Saleſii 13
Cardinales ſex creat Alexander VII. 39. 72. Sex alios Clemens IX. 87. Clemens X. quinque. 112. 1 6
Caracena Hiſpanus cæditur 62
Carolus II. Rex Hiſpaniæ patri ſuccedit. 62. Arragoniam viſitat. 146. Deſponſatio 161
Caroli Guſtavi Reg. Sueciæ mors. 6. *Vide Suecus.*
Caroli Auſtriaci mors 54
Caroli Joſephi Auſtriaci mors 25
Carolus II. Rex Angliæ reſtituitur regno. 9. Conjuratio in eum. *ibid.* Coronatio ejus & deſponſatio. 15. 24. Sua reparat. 24. Latrones patris damnat. 24. Dunquerckam Gallis vendit. *ib.* De Religione cath. eſt ſuſpectus. 35. Catholicos Angliâ ejicit. *ib.* *Vide Anglia.*
Carolus Palatinus nubit Daniæ filiæ 97
Carolo-regium Ludovicus capit 75
Caſchovia rebellis 115
Caſimirus Rex Poloniæ regnum dimittit. 83. Ejus querelæ. *ib.* Mors. 115.

Ca-

Caſtrenſis Ducatus 10. 79
Catalonia varias Hiſpanorum & Gallorum ſuſtinuit expeditiones 136
Catholici Angliâ eliminantur. 35. 126. 159. Et Sueciâ ejiciuntur. 98. Ab Ungaris occiduntur. 115. Abaffius fit catholicus 115
Charlotta Palatina fit catholica, & nubit Aurelianenſi 97
Chiſiorum acta Romæ. 23. Flavius Card. abit Pariſios. 39. Marii exilium *ibid.*
Chriſtianus Daniæ Princeps Galliam luſtrat 26
Chriſtianopolim Sueci capiunt 154
Claudiæ Oenipontanæ nubit Leopoldus 127
Claudiopolim Abaffius fruſtra cingit. 21. Tandem capit 40
Clemens IX. fit Papa. 76. Ægrotat. 79. Ejus laus. *ib.* Tres ordines ſupprimit. *ibid.* Creat Cardinales, & Sanctos canonizat. 87. Ejus mors *ib.*
Clementis X. electio. 90. Creat Cardinales. 112. 116 Pium V. canonizat. 113. Averſatur bellum gallicum, Colon. & Monaſt. *ibid.* Terretur Camineco à Turcis capto. 114. Eum Borrhus curat. 116. Mors 142
Cleri gallicani numerus & reditus 97
Cliviâ Gallos avertit Brandeburgus 154
Colonienſis Archiepiſcopi cum Gallo fœdus 91
Colonia Agrippina propugnaculis communitur. 91 Ejus cum Electore diſſidium. *ibid.* Quod per tres Electores tollitur. 96. Parat defenſionem. *ibid.* Eo mittitur Marchio Granenſis. *ib.* Ei Fürſtenberg adverſatur. 96. Elector indemnitatem ei promittit. *ib.* Pacis ibidem tractatus. 120. Eo refugit Elector Maximilianus. 122. Gallos metuit. 154. Eam Galli vexant 157

Columna Henrici IV. Romæ dejecta 80
Cometa Viennæ viſus. 21. Varii. 54. In Hiſpania 84
Comitia Ratiſponenſia. 38. Contra Turcas 43
Comorræ Præfectus Soucheſius 47
Condæi reſtitutio per pacem Pyrenæam 4
Condatum cingitur 140
Conſtinopolitanum grande incendium 55
Contarini mors. 135. Alius fit Dux Venetorum 142
Cornarii victoria de Turcis 81
Corſica pyramis Romæ dejecta 80
Cortracum Ludovicus capit 75
Coſmo III. naſcitur filius. 35. Regiones luſtrat 84
Coverdum Batavi recuperant. 110. Fruſtra illud tentat Epiſcopus Monaſt 126
Crequius malè habetur Romæ. 23. Eum Lotharingus Treveris cædit & capit. 136. Lotharingum pellit uſque Argentoratum. 153. Impugnat Argentoratum. *ibid.* Capit arcem Lichtenbergenſem *ib.*
Cromwellii in Regem Angliæ impietas & latrocinium 9
Crux in igne ſervata, deque ea ordo inſtitutus. 78

D.

DAchſtein Galli capiunt 136
Dalmatiæ motus compoſiti 98
Dania fit Friderico III. hæreditaria. 11. Ejus inſidiæ. 37 Plura Danus Suecis adimit. 137. Amborum conflictus. 148. Capit Engelhelmum & Helſingburgum. 154. Vexat Hamburgum pecuniam extorquendo. 160. Pax Dano-Suecica 157
Darmgardum capit Brandenburgus 155
Daxburgum capit Crequius 145
Debrecinum occupat Straſoldus 143
Delphinus Galliæ naſcitur 19
Devolutionis jus an in Belgio 75

Diſcordiâ Batavorum plures eorum urbes occupantur 99
Dordracum primo reſtituit Auriacum, hinc ejus præeminentia 108
Doroſenckius à Polonis cæſus 92
Drepani rebelles 127
Duacum Galli capiunt 75
Dunquerckam Angli Gallis vendunt 24

E.

EBora capitur & recuperatur 34
Eccleſiarum deſtructores Deus punit 118
Eccleſiaſtici aulas Regum vitent 6
Electorum & Sabaudiæ Ducis præcedentia 72
Cum Cæſare confœderantur 111
Eleonora Auſtriaca nubit Regi Poloniæ 92
Eleonora Neoburgica nubit Leopoldo 142
Eluvies grandis 138. 148
Embden fruſtra tentatur 103
Equorum chorea 72
Erfordia banno innodatur, & Moguntino ſubjicitur 51
Eſcurialis Hiſpaniæ incendium 94
Eſſeckenſis pontis deſcriptio & incendium 41
Eſtenſis Principis mors 9
Europam Galli continuo cum multo ſanguine turbant 151. Exhauſta pacem deſiderat *ibid.*
Eyderſchantz Batavi occupant 37. 52
Ezechinum Turcæ capiunt 155

F.

FAbius Chiſius urget pacem Hiſpano-Gallicam 2 *V. Alexander VII.*
Fames in Gallia. 18. 25. Malorum eſt miſerrimum *ib.* 148. Stetini *ibid.*

Fariaux Præfecti Traject. generoſitas 117
Ferdinandi Auſtriaci mors 78
Ferdinandi Florentini mors 91
Ferd. Mantuani mors 93
Ferd. Bavari mors 161
Flandriam Ludovicus luſtrat 96
Flumen prodigioſum 26
Fœderatorum triplex exercitus. 131. Expeditio 144 145. 151. Terrentur Galli eorum expeditione 151
Fœdus triplex Anglo - Sueco - Batavicum Gallum continet 80. 87
Foquetus bonis exutus 15
Forgatſchius à Turcis cæditur 28
Formoſitas 15
Franciſcus Saleſius canonizatur. 13. Ejus laus *ib.*
Franciſci Epiſc. Oſnabrugenſis mors 16
Frangipanus capitur. 89. Ejus confeſſio. 95. Stirpis ultimus decapitatur, epitaphium. *ib. V. Rebellio. Ungaria.*
Friburgum Galli communiunt 153
Friderici Reg. Daniæ mors & laus 92
Frigus, inundatio, terræ motus varii 93
Fürſtenbergii Ferd. fit Epiſc. Monaſt. 154
Fürſtenbergiorum in Imperio Rom. principatus 73 Abalienatio à Cæſare. 9. Adverſatur Wilhelm. Coloniæ. 96. Ejus temeritas. 118. Capitur. 128. A ſorore tentatur liberari, ſed mortis damnatur. *ibid.* An jus gentium per hoc violatum. *ibid.* Ejus pecunia capitur *ib.*

G.

GAlen Epiſc. Monaſterienſ. urbem occupat 19 Batavos invadit. 60. Capit Lünen. 126. Spernit Cæſaris avocatoria. *ib. V. Monaſt. Epiſc.* Ejus mors. 154.

Gallo-Hiſpanica bella. 1. Galliæ Rex prætendit Regum præcedentiam. 17. Ingens Galliæ fames 18 Algirienſes ignibus vexant. 51. Peſtis Maſſiliæ & per Galliam. 56. Gallicæ aulæ varietas. 61. In ea damnatur liber de infallibilitate Papæ, 61. Gallorum in Candia fortitudo. 85. Gallicus legatus Byzantio revocatur. 87. Eos triplex fœderatorum fœdus continet. *ib.* Fœdus cum Epiſc. Colonienſ. & Monaſt. 91. In ea ſeditio. 93. Noveſium occupant. 96. Cleri gallicani numerus & reditus. 97. Eis Angli & Sueci adhærent. 98. capiunt plures urbes. 99. Rhenum transvadant. 100. conflictus ad Telonium. *ibid.* Anglo confœderati à Batavis cæduntur. 104. Trajectum capiunt. 105. 117. capiunt Treverim 118 Quot Batavorum urbes ceperint. 107. Auriaco Hollandiam Anglus & Gallus offerunt. 110. Argentinenſem pontem incendunt. 111. Diripiunt Moguntinum & Palatinatum. 118. Vincuntur à Batavis. 119. Eis Cæſar & Hiſpanus bellum indicunt *ibid.* Quid à Batavis in pacis tractatu poſtulaverint 120 Tres Batavorum provincias deſerunt. 123. Nobilitas evocatur. 124. Fœdus galli cum Epiſc. Colonienſi & Monaſt. 91. Quod rejicit Brandenburgus. *ib.* Batavicas urbes deſerunt. 131. Vincuntur ab Hiſpanis in Catalonia. 132. capiunt Dachſtein 136 Eorum terror à Montecuculo. *ib.* Palatinatum & Briſgoviam vaſtant. *ib.* cæſi cum Turennio occiſo fugiunt Schletſtadium. 136. cæduntur à Lotharingo, & Treviri expelluntur. *ib.* In Catalonia varia Gallorum fortuna. *ib.* Meſſana Gallos odit. 138. Auguſtam ibidem capiunt. *ib.* Occupant Condatum , Bochainum. 140. Belligardum capiunt. 141. Valencenam, Cameracum, Audomaropolim occupant 144

144. Victores ſunt in pugna Mont-Caſſelenſi *ib.* Crequius capit Daxburg. 145. Eorum crudelitas. *ib.* capiunt Saræpontem. *ib.* Tentant Tabago inſulam. 146. conflictus cum Hiſpanis. *ib.* Fovent rebelles Ungaros, & militem iis mittunt. 147. Meſſanam deſerunt. 150. Ignibus Genuam vexant *ib.* Ipretum capiunt. 152. & Gandavum. 151. & Leviam. 152. & Puicerdam. *ib.* cæduntur. 153. Gallo-Batavica & Hiſpana pax. *ib.* Gallicæ claſſis naufragium. *ib.* Friburgum communiunt. 153. Expeditio in Germaniam. *ib.* Argentoratum iis multum nocet. 153. Vexant Coloniam. 157. Pacem contemerant. *ib.* Gallicus bellicus apparatus 161

Gandavi periculum. 135. A Gallis capitur 151

Gaſtonis Aurelianenſis mors 6

Genuenſium cum Turcis commercium. 70. cum Sabaudo bellum. 74. 113. Victores. *ib.* Eis Gallus pacem imperat. *ib.* cum Gallo diſſidium. 127. Ignibus eos Gallus vexat 150

Germanorum præ Ungaris fidelitas. 77. Germaniam inferiorem vaſtant Luxemburg. & Schomberg. 154

Giſlenium capit Humieres 144

Gloſceſtenſis Ducis mors 9

Goeſius Cæſaris ad Turcas internuntius 27

Gonzagæ Ducis mors 80

Gorcomienſium Sanctorum canonizatio 135

Granenſis Marchio mittitur à Cæsare Coloniam 96

Graviam Rabenhaupt capit 131

Gravina fit Cardinalis 112

Gripswaldiam Brandenburgus capit 155

Groningam Colon. & Monaſt. Epiſcopi fruſtra tentant 103

Groot conſul Amſtelodamens. conſul ex Hollandia fugit Coloniam. 107.

Guiſii Ducis mors & laus 138

H.

HÆreſum variarum nutrix Anglia 24
Hæreſis excuſsâ ſpiritali poteſtate evertit ſecularem. *ib*. Variæ 26
Halcyones quid prænuntient 6
Hamburgum Danus vexat pecuniam extorquendo 160
Hannoverani Friderici mors 161
Haroſii hiſpani liberalitas. 14. Mors *ibid.*
Hatzfelt Gleichen duas ſimul habuit uxores 51
Helſinburgum Dani capiunt 154
Helveti Gallo fœderantur. 37 129
Henrici Guiſii mors & laus 54. 138
Henricæ Galliæ Reg. mors 87
Henricæ Aurelianenſis mors. 91.
Hiſpani cæduntur. 2. Rixa præcedentiæ inter Reg. Galliæ & Hiſpaniæ. 17. Illam prætendit Hiſpanus. *ib*. Hiſpanorum Regum in eccleſiam pietas. *ibid.* Carolus II. naſcitur. 19. Hiſpanis adimitur Luſitania. 34. 53. 62. Luſitanos cædunt, & cæduntur. 53. Rex in uxorem transfert imperium. *ib*. Ejus aulæ renovatio. Et Joan. Auſtriacus removetur. *ib*. Carolus II. Rex. 62. Aulæ hiſp. motus ob adminiſtrationem. 70. Cometa viſus. 84. Nitardus eâ eliminatur. *ib. Vid. Joannes Auſtriacus.* Gallo bellum indicunt. 119. Anglum ad pacem diſponunt. 120. Gallos in Catalonia vincunt. 132. Vocantur Meſſanam in Sicilia *ib. V. Meſſana. Sicilia.* Varia eorum in Catalonia fortuna. 136. Aulæ hiſpanicæ præficitur Joannes Auſt. 146. Peſtis, *ib*. Conflictus cum Gallis. 146. Pacem deſiderant. 152. Pax hiſpano-gallica. 153. *V. Carolus II.*

Hohenloius & Serinius varias urbes capiunt 154
Hollandiam Gallus fruſtra ambit 105. Cauſæ *ib.* Eam Gallus & Anglus Auriaco offerunt. 110. *V. Auriacus.*
Holtzheimenſe prælium 130
Höxteræ tumultus 90
Hyberni rebelles ſuppreſſi 35

I.

JAcobus Eboracenſis nubit Eleonoræ Mutinenſi 126
Janſenii 5. Propoſitiones quis invenit 61. Qui pontifices eas damnarint, & Rex Galliæ *ib.*
Incendium grande Londini 67. Conſtantinopolitanum 55. Aulæ Cæſareæ 78
Induciæ Cæſareo-Turcicæ 27
Innocentius XI. Papa. 142. Ad eum legatio Polonorum & Armenorum 150
Inſulas Ludovicus capit 75
Joannes Auſtriacus Aulâ hiſpanicâ removetur. 53 Ejus æmulatio in P.Nitardum. 84. Quæritur ad carcerem *ib.* Vadit Madritum, & fit prorex Arragoniæ *ib.* Aulæ hiſp. præficitur. 146. Moritur 161
Joannis Caſimiri Reg. Poloniæ mors 115.
S. Joſepho Leopoldus ſua regna vovet 138
Joſeph Auſtriacus naſcitur 150
Ipretum Galli capiunt 152
Judæorum novus Meſſias 71. Auſtriâ eliminantur. 86.93
Juliacenſes hetrodoxi. 37. 69
Juramentum Philippi & Ludovici in inſula Phaſiana. 5. Ejus violatio gravis *ibid.*
Jus gentium quomodo violetur 128

K.

Kemeni Janus Cæſarem Tranſylvaniæ protectorem invocat. 11. Turcæ ei Abaffium ſubſtituunt. *ib.* Cæditur. *ib.* 21
Königsmarckius Rugiam capit 154

L.

Lauenburgicæ ſtirpis extinctio 57
Legatio mutua Leopoldi & Soldani. 58. Polonorum & Armenorum ad Innocentium XI. 150
Leodienſis arx prodita. 135. Deſtruitur 140
Leopoldo naſcitur Joſeph. 150. Abit Græcium 11. non vult Caniſam fulmine tactam tentari. *ibid.* Abit Ratisbonam ad comitia. 27. & Lintzium. 30. Connubium cum Hiſpana. 38. 72. Cædit Turcas ad S. Gothardum 48. Ei cedit Tyrolis. 57. Amittit pileum. 72. Ungarorum in eum conjuratio. *ibid.* 86. Ei naſcitur filius 77. Vitam ei ſervat Borrus. 79. Ægritudo ejus. 87. Eum Saxo & Brandeburgus juvant. 89. Nubit Claudiæ. 187. Nubit Neoburgicæ. 142. *V. Cæſar.*
Leopoldi Wilh. Auſtriaci mors 25
Leopoldopolis extructa 58
Levenza capitur. 31. Recuperatur. 46. 47. Ad eam prælium 47
Leviam Galli intercipiunt 152
Liberalitas Haroſii 14
Liberorum propagationem urget Ludovicus. 71. Parentis plurium liberorum prærogativa *ib.*
Libertas pretioſa. 68. Polonorum *ib.*
Lichnizenſis Ducis mors 138
Lichtenberg arcem Crequius capit 153
Limburgum captum 135

Lint-

Lintzium Cæſar abit 30
Lipay archiepiſc. Strigonienſis mors & reditus 70
Lobkowicii caſus, proſcribitur 134
Londini grande incendium 67
Lotharingiæ Dux ab Hiſpanis captus liberatur 42. Regi oppida cedit. 19. Et ducatum, 20. Cui frater contradicit. *ib.* Ejus cum Palatino diſſidium 81 Franciſci mors. 90. Carolus ducatu expellitur. *ib.* Quem Rex non vult reſtituere. 96. Crequium cædit Treviris, quam capit. 136. Ejus negligentia & mors. *ibid.* Ejus nepos Carolus capit Saarbruck. 145. Nubens Eleonoræ Auſt. accipit Tyrolim 150. Ejus expeditio in Germaniam. 153. Erigit munimentum S. Mauritii *ib.*
Lubomirskius Polonus accuſatur. 52. Excitat motus civiles. 63. Cædit regios. *ib.* Subditur regi. *ib.* 68
Ludovicus XIV. Ægrotat. 2. Semper turbavit Europam 1. Ambit infantem hiſp. & pacem 3. Ejus & Hiſpani juramentum. 5. Copulatio cum Maria infante. *ib.* Pariſios triumphaliter ingreditur. *ib.* Ejus arrogantia. 23. Quæ exigat ab Alexandro VII. 23. 26. Avenion occupat. *ib.* Vult Caſtrum Parmenſi reſtitui. 36. In Italiam militem mittit *ibid.* Marſaliam adimit Lotharingo. 37. Fœderatur Cantonibus. *ib.* Pax inter eum, & Alexandrum VII. 39. Contra Turcas mittit ſubſidium. 47. damnat Janſeniſmum. 61. Minuit parlamenti poteſtatem. *ib.* Belgium invadit. 75. Caroloregium, Tornacum &c. capit. Item Duacum, Cortracum. Inſulas. 75. Non habet jus ad Belgium hiſpan. 75. Valiere concubinam ſumit. 61. Proceres aula exturbat. *ib.* Coloniam in Magadaſcar inducit, & Algerianos invadit, *ib.* Teſtamento excluditur à Philippo IV.

IV. 62. Sileſiæ partem prætendit. 64 Tornacum occupans erigit parlamentum. 75. 80. Burgundiam occupat. 80. penè eſt ſubmerſus. 91. Promiſſio ejus Anglo facta. *ib.* Ejus fœdus cum Epiſc. Colon. & monaſterienſi. 91. Flandriam luſtrat. 96. Filius ejus Philippus obit. 96. Batavos quadruplici exercitu invadit. 99. Excipitur ab Electore Colon. *ib.* Bataviæ urbes occupat. 101. Schenckenſchantz & plura capit. *ib.* Ultrajectum occupans à multis congratulatur. 105. Hollandiam fruſtra ambit, quæ cauſa. *ib.* Ei invidus & contrarius Anglus. 105. Redit in Galliam. *ib.* Ejus conjuratio in Luſitanum. 127. Diſſidium cum Genuenſibus. *ib.* Erexit noſocomium militare. *ib.* Burgundiam, Biſantium, Dolam &c. capit. 129. Monteſpanam viro ſuo eripit. 131. Meſſanam deſerit. 150. Continuo Europam bello turbat. 151. Multum ſanguinem fudit. *ib.* Gandavum, Ipretum capit 151. Brandeburgum cogit paciſci cum Sueco. 157. Ægrè fert catholicos in Anglia opprimi 159

Luxemburgus Hollandiam invadens periclitatur. 106 106. Ejus crudelitas. *ib.* Ejus cum Auriaco victore prælium. 153. Germaniam interiorem vaſtat 154

M.

MAgdeburgum Brandeburgus ſubjicit 69

Mantuani & Mutinenſis lis circa padum 69

Marchiam & Palatinatum Turennius diripit 106

Margarita hiſpana nubit Leopoldo. 72. Obit 116

S. Maria Styriæ patrona. 41. Ratiſponæ proceſſione veneratur *ibid.*

Maria Thereſia copulatur Ludovico XIV. 5

Maria unit Ludovicus XIV. 54. Alexander VII. & Ve-

Venetorum de mari diſcordia: quis maris dominus 55
S. Martini munimentum Lotharingus extruit 153
Marſaliam Lotharing. Gallus capit 37
Maſſilia tumultuatur. 5. Peſtis ibidem 56. Rebellio. 89. Maſſanenſes inde eliminati 150
Mauroceni de Turcis victoria 16
Maximilianus Elector fruſtra tentat Groningam. 105. Excipit in Germania Ludovicum. 99. Fœderatur Gallo. 91. Viſitat Lauretum *ib. V. Colonia.* 96. Conjungitur Monaſterienſi, plures urbes capiens. 102. Fugit Coloniam 122
Maximiliani Emman. Ortus 25
Mazarini Card. policiſmus noxius. 3. 4. Mors. 14 Ejus typus. 14. Ejus legatum contra Turcas 22
Melitenſium victoria de Turcis. 81. ibidem peſtis 142
Mendoza occiditur 84
Meſſanæ tumultus. 13. 94. Recrudeſcit. 132. à Gallis annonâ ſublevatur, eamque Ludovicus capit. 138. Odit Gallos. *ib.* Eam Galli deſerunt. 150. Plures inde familiæ fugiunt Maſſiliam, inde poſtea eliminati. *ib. V. Sicilia*
Meſſias novus Judæorum 71
Metternich fit Elector Moguntinus 118
Michaelis Reg. Poloniæ matrimonium. 92. *V. Wiesnovickius.*
Moguntinus Joannes Erfordiam recuperat. 51. Ejus cum Palatino diſſidium. 82. Componit diſſidium Coloniæ cum Electore. 96. Cæſareis rheni tranſitum cum Trevienſi & Palatino negat. 111. Joanni Phil. ſuccedit Metternich. 118. Galli Moguntinum diripiunt. *ib.* à Petra mortuo ſuccedit Metternich. 154. Ejus mors 161
Mom-

Mombas proditor fugit ad Gallos 100
Monaſterii Weſtphal. urbis cum epiſcopo contentio & obſidio. 19. Pax cum Batavis. 65. Epiſcopi cum Gallis fœdus. 91. Conjunctus Colonienſi multas urbes capit. 102. Groningam fruſtra tentat. 103. & Coverdum. 126. Pacificatur Batavis. 131. Mortuo Galen ſuccedit Fürſtenberg. 154.
Monckii mors & laudes 93
Monclas cæditur & capitur 141
Montecuculus archiſtrategus Cæſ. 80. Dono accipit Pottendorff. 95. Ducit in Germaniam exercitum, cui electores rheni tranſitum negant. 111. Tendit in Weſtphaliam. *ib.* Werthemii gallorum annonariam domum incendit. 122. Gallorum terror occupat Rencherloch, & cædit Turennium 136
Monteſpaniam Ludovicus viro ſuo eripit. 132
Monterei cum Gallis conflictus 146
Montibus Hannoniæ obſeſſis fit armiſtitium 152
Moraviam Turcæ barbarè vaſtant 30
Mortes variorum. 25. 65. Chriſtinæ Sabaudæ 37 Wilhelmi Haſſi. 37. Aliorum 80. 81
Moſci & Coſaci à Polonis cæduntur. 6. 18. Pax Moſco polonica 22. eos Poloni invadunt, 35. Radzini ibidem rebellio. 92. Titulum Cæſaris ambit. 124. à Turcis funduntur 155
Muleus Fexæ tyrannum dejicit 138
Murana arx. 86. Capitur. 89. Fuit conjurationis receptaculum *ib.*

N.

NAdasdi ſcelera. 79. Contumacia. 89. Capitur. *ib.* Confeſſio ejus. 95. Damnatur ad mortem. 95. *V. Rebellio. Ungaria.*
Nardenum Auriacus occupat 121

Naſſovii Mauritii mors 161
Naumachia gallo-anglo batavica. 119. *V. Angli. Batavi. Galli.*
Neapoli tumultus. 13. Ejus præſtantia *ib.*
Neomagenſis pax. 143. 156
Neutra capitur à Turcis 32. Recipit Souchesſius 46.
Nitardum Joan. Auſtriacus æmulatur. 84. eliminatur Hiſpaniâ. *ib.* Fit Romæ orator Hiſpanicus & epiſcopus. 94. Fit Cardinalis 112
Normandiam Batavi tentant 131
Noſocomium militare erigit Ludovicus 127
Noveſium Galli occupant 96
Noviomagum capit Turennius 105
Nuntius Apoſtolicus Gallia eliminatur 23

O.

Ockeri zelus indiſcretus 149
Oranum à barbaris irritò obſeſſum 46
Oratio militaris Soucheſii 47
Ordo S. Spiritus. 25. S. Crucis 78
Oſnabrugum 16
Ottingenſis comes fit princeps 134

P.

Palatini jus Wildfangiſticum. 59. Ejus cum Moguntino & Lotharingo diſſidium. 81. Palatinatum Turennius diripit. 106. 118. 136
Palatini Neoburgici cum Brandenburgo contractus ducatuum 69
Parentis multorum liberorum prærogativa 72
Parlamenti auctoritatem Ludovicus R. diminuit. 61. tale Tornaci erigit 80
Patriæ amor. 135.
Pax Pyrenæa, ejusque fabricatores. 4. Ejus conditiones.

nes. *ib.* Polono-Suecica. *6.* Anglo-luſitana. 20. Moſco-polonica. 22. Chriſtiano-Turcica, & cauſæ. 49. Hæc diſplicet Ungaris. *ib.* Cæſareæ-Turcicæ violatio. 58. Monaſterienſis-Batavica. *66.* Sueco-batavica. 77. Anglo-Luſitana. 78. Aquiſgranenſis. 80. Polono-turcica. 114. 143. Gallo-Brandeburgica. 117. Ad pacem Hiſpani Anglum diſponunt. 120. Anglo-batavica. *ib.* Pacis tractatus Coloniæ. *ib.* Ejus legati & poſtulata. *ib.* Reſcinditur. *ib.* Neomagenſis. 143. 156. Pacem Europa deſiderat. 151. Etiam Hiſpani & Batavi. 152. Gallo, Hiſpano-batavica. 153. Cæſareo-Suecica. 156. Brandenburgo-Suecica, & Dano-Suecica. 157. Eam Gallus contemerat. *ib.*

Pedipolus Tranſylvaniam cum Abaffio affectat: cæditur 147

Peſtis per Europam & Maſſiliæ graſſatur, ejuſque remedium. 56. 148. Melitæ 142

Petrus depoſito Alphonſo fit Rex Luſitaniæ 78

Philippi IV. Reg. Hiſpaniarum juramentum in inſula Phaſiana. 5. Regimen in conjugem transfert. 53. renovat aulam. *ib.* Mors. 62. Teſtamento excludit Ludovicum *ibid.*

Philippi Aurelianenſis connubium 15

Philippopolis capitur 141

Podoliam Turcæ capiunt 114

Poloni Coſacos & Moſcos cædunt. 6. 18. Turbæ. 22. Pax Polono-Moſcovitica. 22. Belli civilis finis. 35. Moſcos invadunt. *ib.* 52. Eorum diſcordia. *ib.* 68. Libertas. *ib.* Caſimirus Rex dimittit regnum. 83. *V. Caſimirus.* Poloniæ regni competitores. 88. Wieſnowiekius Rex eligitur & coronatur. *ib.* Co-

pulatur Eleonoræ Auſtriacæ. 92. *V. Wieſnowiekius.* Doroſenzium delent. 92. Poloniæ periculum. 114. Ejus diſſidio Turca invaleſcit, fovetúrque à Gallo. *ib.* Amittunt Podoliam & Caminiecum. *ib.* Pax Polono turcica. *ib.* Caſimiri mors. 115. Bellum cum Turcis recrudeſcit. 123. Wiesnowiekii mors. 125. Sobieskius Turcas cædit. *ib.* Regis electio & candidati. 133. Sobieskius fit Rex. *ib.* Radzivilli & Regis legatio ad Innocentium XI. 150. Cum Turcis varie confligunt 138
Pontificis infallibilitas, & qui Janſeniſmum damnarint 61
Portæ principis mors 55
Poſtarum jus 75
Pottendorff donatur Montecuculo 95
Præcedentiæ rixa inter Gallum & Hiſpanum. 17 Inter Electores & Sabaudum. 72. Neoburgum & Batavos 91
Prælium ad Levenzam. 47. Ad S. Gothardum. 58. Galli in hoc pugnare detrectant. *ib.* Ejus deſcriptio. *ib.* Gallo-Anglo-Batavicum. 119. Batavi victores. *ib.* Ad Sintzheim & Holtzheim. 130. Ad Sennef. 131. Montcaſſelenſe. 144. Inter Montecuculum & Gallos. 146. In inſula Tabago. *ib.* Inter Auriacum & Luxemburgum 153
Presburgi timor 32
Prodigia varia fluminum, campanæ, piſcium 26
Puicerdam Galli capiunt 152
Puer ab urſa altus 38
Pugna *V. prælium.*
Pyramis Corſica Romæ dejecta 80
Pyrenea pax, ejus fabricatores, & conditiones 4
Quin-

Q.

QUinqueeccleſias Serinius incendit 41

R.

RAbenhaupt Groningam defendit. 103. Graviam capit 131
Radzini moſci rebellio 92
Ragotzii mors, 7. Ejus uxor fit catholica. 58. Starrenbergum capit junior. 89. Reſipiſcit ad Cæſarem. *ib.*
Raguſum terræ motu deſtructum 74
Ratisponenſia comitia, 38. Proceſſio ibidem B. Mariæ facta. 41. Contra Turcas habita 43
Rebellio *V. Ungariæ.* 89. Rebelles cæduntur à Sporckio *ib.* Fugiunt in Tranſylvaniam, *ib.* Rebellium confeſſio. 95. Punitio. *ib.* 115. Implorant Turcas & Abaffium, *ib.* Tôckelius eorum Dux cæditur. 134. Puniuntur, *ib.* Eos Cæſar quærit pacificare, 137. Cæduntur. *ib.* Cæſariis pacem proponit. 147. Eos Turcæ & Galli fovent, 146. 147. Dux eorum Weſſelinus. *ib.* Alium petunt regem. *ib.* Dux eorum Tôckelius, 148. Rejiciunt armiſtitium. 153. Catholicos occidunt. 115. Cæduntur. 124. Cædunt Cæſareos 143
Rheinſtein cedit Brandenburgo 136
Rhenus diviſus efficit Bataviam, 100. Eum Galli transvadant. *ib.* Ejus tranſitum negant electores tres Cæſareis 111.
Religioſis non poſſunt vendi bona temporalia 79
Rencherloch occupat Montecuculus & cædit Turennium 136
Rohani proditio & ſupplicium 131
Romæ tolluntur aſyla 150

Romano Rege vivo an novus eligi poſſit 63
Rugiam inſ. capit Königsmarckius 145
Ruyteri felix Indiæ expeditio. 60. Ejus laus. 66. Anglos cædit. 77. Gallo-Anglos vincit. 119. Expeditio ejus martinica 131

S.

SAbaudus Venetis reconciliatur. 22. Fit Rex Sardiniæ. 26. Vallenſes ſupprimit. 37. Sabaudi & Electorum præcedentia. 72. Ejus cum Genuenſibus bellum. 74. 113. Ubique victus. *ib.* Caroli mors & laus 135
Sagredo dux Venetorum. 135. Mors 142
S. Saleſii Canonizatio 13
Salisburgenſis archiepiſcopi in Cæſarem liberalitas 57
Saræpontem capit Lotharingus. 145. Poſt Galli *ib.*
Sardiniæ Rex fit Sabaudus 26
Saxo juvat Cæſarem contra rebelles 89
Schenckenſchantz & plura alia capiunt Galli 101
Schomberg Germaniam inferiorem vaſtat 154
Seductoris vanitas & ſupplicium 24
Senneſe prælium 131
Serinwar extruitur. 11. Cingitur. 44. Occupatur. 45. *Nicolaus* Turcas cædit. 29. Cum Hohenlojo pontem Eſſeck. Quinqueecclefias & plura occupat. 41. Ejus laus. *ib.* Zigetum tentat. *ib.* Et Caniſam. 42. Ejus æſtimatio. 45. 50. Ab apro occiditur. *ib.* *Petrus* Turcas cædit. 42. Ejus factio. 86. Urbes occupat. 89. dehortatus à filio. *ib.* ſubmittit ſe irritò, & capitur. *ib.* Condemnatur. 95. Decapitatur, ejusque epitaphium. 16. *V. Rebellio Ungariæ.*
Siciliæ deſcriptio. 139. V. *Meſana*. Genium & veſperæ ejus, & pugna cum Hiſpanis. *ib.* Odium in Hiſpanos 139

Si-

Sigiſmundi ducis Tirolenſ. mors 57

Sileſiæ partem Gallus prætendit 64

Simmeren ducatus cedit Palatino 118

Sintzheim prælium 130

Sobieskius Turcas cædit. 125. 133. Fit Rex *ib.* Laus ejus 143

Soucheſius Nytriam occupat. 46. Et Leventzam, Turcasq; fundit. *ib.* Ejus oratio ad milites. 47. Barckanum incendit. *ib.* Fit Comorræ præfectus. *ib.* Suſpectus deponitur. 134

Sporckius Turcas fundit. 48. Et rebelles ungaros 89

Starck damnatus capitis in Suecia, liberatur 98

Sternutatio periculoſa 56

Stetinum igne vexatum. 143. Capit illud Brandenb. 148

Straſoldus debrecinum capit 143

Strigonienſis archiepiſcopi Lipay mors & reditus 70

Strotzius occumbens laudatur 44

Stuart familia Anglia eliminatur 24

Styriæ votum B. Mariæ factum 41

Sueci Bremam invadunt. 69. Pax Sueco batavica. 77. Gallo adhærent. 98. Catholicos expellunt. *ib.* Eos Brandeburgus & Danus vincunt, & plura adimunt. 137. 143. Amborum conflictus. 148. Stetinum fame capit Brandeburgus. 148. Occupant Rugiam & Chriſtianopolim. 154. Amittunt Eagelholmunt Helſingburgum. 154. Item Rugiam, Straſundam, Pomeraniam. 155. Eorum naufragium. *ib.* Boruſſiâ ejiciuntur. *ib.* Pax Cæſareo-Suecica. 156. Gallus cogit Brandenburgum paciſci cum Suecis. 157. Pax Brandeburgo-Dano-Suecica *ib.*

Sultani turcici periculum. 65. *V. Turca*

T.

TAbago inſulam Galli tentant 146

Tattenbach capitur 89
Terræ motus varii. 93. Arimini 113
Thomas Aquinas 15
Tôckelius dux Rebellium. 134. 149. Plures urbes invadit. 149. Cæditur à Wurmio. *ib.* Rejicit armiſtitium 158
Tornacum Gallus occupat, & ibi parlamentum erigit 75.80
Trajectum Galli capiunt 117
Tranſylvania Ragotzio, Barclajo & Kimeni-jano cedit. 7. De ea contendunt Pedipolus & Abaffius 147
Treverim Galli capiunt. 118. Eam capit cum Crequio Lotharingus 136
Turcarum ad bellum Ungar. præparatio. 27. Induciæ cum Cæſare Rom. 26. Cauſa belli turcici. 27. Eorum à Cæſare poſtulata. *ib.* Vyvarinum cingunt. 28. 29. Cæduntur à Setinio. 28. Auſtriam & Moraviam barbare vaſtant. 30. Cæduntur à Setinio. 42. Contra eos comitia habita. 43. Ad bellum turcicum pontificis & Galli ſubſidium. 47. Arabonem tranſeunt. *ib.* Eorum latrocinia. 48. Canunt ante victoriam triumphum. *ib.* Cæduntur ad S. Gothardum. *ib.* Et à Sporkio. *ib.* Turcia turbatur. 49. Pax Chriſtiano turcica. *ib.* Eorum cum Genuenſibus commercium. 70. Eorum naves capiunt Veneti. 70. 81. Eos Melitenſes cædunt. 81. *V. Candia.* Caminiecum & Podoliam capiunt. 114. Implorantur à rebellibus. 115. Bellum cum Polonis recrudeſcit. 125. Eos cædit Sobieskius. 125. Hic varie cum turcis confligit. 138. Pax Polono-Turcica. 143. Rebelles fovent. 146. Raguſis infeſti. 147. Eorum excurſiones deplorat Cæſar. 149. Ezechirinum capiunt, Moſcos fundunt. 155. Inducias cum Turcis non vult violare Cæſar. 158. *V. Rebellus Ungariæ.*

Turennius capit Crevecur, Marchiam & Palatinatum diripit. 106. Vadit contra Cæſareo-Brandeburgum. *ib.* Irruit Weſtphaliam. 116. Montes Hannoniæ capit. 2. Ejus ad fidem Cathol. converſio. 80. Fit præfectus exercitûs. 105. Capit Novio-Magum, Graviam Bommel &c. 106. Occupat civitates Alſatiæ imperiales. 122. Globo trajicitur, mors, & laus 136
Tyrolis cedit Leopoldo 57

V.

Valencena capitur 144
Valiere Ludovici concubina 61
Vallenſes in ſubalpinis ſuppreſſi 37
Varadinum Turcæ capiunt 12
Veneficium gallicum 142
Veneti Sabaudo reconciliantur. 22. Cum Alexandro VIII. maris diſcordia. 55. Sunt maris domini *ib.* Turcarum naves capiunt. 70. 81. Contareno mortuo ſucceſſit Sagredo. 134. Cui ſucceſſit Contarenus 142
Veſperæ ſiculæ 139
Vezirii mater Necromantica. 50. *V. Turca.*
Vicariatûs ImperiiRom. controverſia componitur 123
Viennâ Judæi eliminantur 86. 93
Villaſerienſis marchio incarceratur 146
Ulyſſibonæ tumultus. 34. *V. Luſitania.*
Ultrajectum Galli occupant 105
Ungarorum ignea punitio. 11. Ad ungaricum bellum Cæſar ſe præparat. 21. Pax Chriſtiano-turcica iis diſplicet. 49. Balaſſi rebellio. 70. Eorum in Cæſarem conjuratio. 7. Ungarorum querelæ. 77. Germanorum præ Ungaris fidelitas. *ib.* Eorum in Leopoldum conjuratio proditur. 86. Continuatur. 89. Eorum proteſtatio in rebellium captivitate. *ib.* Rebelles

belles puniuntur. 115. Turcas & Abaffium implorant. *ib.* Catholicos occidunt. *ib.* Novum Cæſar proregem conſtituit. 123. Eorum dux Tôckelius cæditur. 134. Rejiciunt armiſtitium. 158. *V. Rebelles.*
Urſa puerum alit 38
Vyvarinum Turcæ volunt obſidere. 28. Ejus deſcriptio & obſidio. 29. Deditio 31

W.

WErtheimii Gallorum annonariam Montecuculus incendit 122
Weſſelini Palatini mors. 77. Filius ejus rebellium dux Cæſareos ſpoliat 147
Weſtphaliam irruit Turennius, 116. Et Montecuculus 111
Wildfangiſticum jus Palatini. 59. Deciditur 73
Wieſnowieskius fit Rex Poloniæ, coronatur. 88. Copulatur Eleonoræ Auſtriacæ. 92. Factiones in eum. *ib.* à Primate offenditur. *ib.* Mors 125
Wilhelmi Auriaci mors: ejus filium Batavi rejiciunt. 54. *V. Auriacus*
Wilhelmi Ducis Vinarienſis mors 25
Witt odium in Auriacum. 91. 100. 107. 108. Conſpirationes in eorum mortem. 108. Dimittit officium penſionariatûs. *ib.* Cornelius Auriaco inſidiatur. 109. Capitur, proſcribitur, excarnificatur cum fratre 109
Wurmius Tôckelium cædit 140

Z.

ZEckelheidam occupat Abaffius 39
Zigetum Serinius fruſtra tentat 41

Finis Partis primæ.

AC 1468700

Digitized by Google

Googl